
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO VITT. EMANUELE
37
6 B
22

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

JUSSU REVERENDISSIMI P. M.

JOANNIS CAROLI VIPERÆ

MIN. S. FRANCISCI CONV. GENERALIS MINISTRI

In Gymnasiis sui Ordinis percurrendæ

ET ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

D. JOSEPHO GARAMPI

ARCHIEPISC. EPISC. M.FALISCI, ET CORNETI

SS. D. N. PII PP. VI. Prælato domestico, & Solio Pontificio Assistenti, ejusdemque, & S. Sedis Apostolicæ apud Augustam Aulam Cæsareo - Regio - Apostolicam cum facultate Legati de Latere Nuntio

D.

A B A U C T O R E P. M.

JOSEPHO TAMAGNA ROMANO

Ejusd. Ord. olim in Semin. & Colleg. Montisfalisci Phil & Mathes. nunc autem in Rom. Archigymn. S Theol. Profess. Ordinar. in eodemque ad Phil. & Theol. laurum promoven. XII. Viro, & Accad. Theol. Censore.

E D I T I O S E C U N D A

T O M U S I.

LOGICAM, ONTOLOGIAM, COSMOLOGIAM, THEOLOGIAM NATURALEM, PSYCHOLOGIAM, &c. COMPLECTENS.

ROMÆ MDCCLXXX.

Ex Typographia S. Michaelis, apud Paulum Junchi Provisorem Librorum Bibliothecæ Vaticanæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

VIRO PRÆCLARISSIMO

JOSEPHO GARAMPI

ARCHIEPISCOPO, EPISCOPO MONTISFALISCI,
ET CORNETI &c. &c.

FR. JOSEPH TAMAGNA MIN. CONV.

S. P. D.



Raviſſimam criminis ſuſpicionem ut effugerem, Præstantissime Præsul, invidorumque jacula retunderem, tandem aliquando Superi dederunt. Quartum jam prodiit Philoſophicum mearum Inſtitu-

tionum volumen, nec unum hucusque amplissimo Nomini Tuo est consecratum, cum tamen Tibi neque unum æquo jure non deberetur; sciunt enim omnes, qui meas lucubrationes norunt, in celebri Seminario Tuo eas natas esse, dum Adolescentes, quos in rebus Philosophicis instituendos mihi demandaveras, edocebam: sciunt ideo, laborum meorum fructus, hujuscemodi, vix e floribus cum erumperent, æquo Tibi jure fuisse devotos. In aliena igitur horrea eos audens importare, ingrati animi notam effugere vix posse videor. At quæ sic me gerendi causa fuerit, sine, VIR Cl. ut ingenue aperiam.

Titubanti animo, corde, & pectore elementa mea Metaphysica, Illo præcipiente, cujus voluntati libero me Sacramento ab ephebis obstrinxi, præbui typis evulganda; quomodo enim, nisi per summam animi vel levitatem, vel impudentiam, secunda sperare poteram pro illo opere suffragia, quod in privata luce sic genitum fuerat, ut ibi deberet aboriri, ubi fuerat ortum?

Ob

Ob id ſcilicet, quamquam labori nunquam pepercerim, ſæpe tamen Scholaſtico urgente onere, adverſa conflictatus valetudine, viribus cedentibus, ita ſcribebam, ut quæ ex calamo deciderent, vel a blattis, tineiſque comedenda crederem, vel donanda Veneris Marito. At opinionem fefellit eventus. Celeberrimi Seminarii Tui fama, Diſcipulorum meorum vocibus (qui cum unice Præceptorem diligant, jecore potius, quam cerebro linguam temperant) Familiam meam qui regit, permotus, inconditum adhuc, impolitum, exſuccum opus, ut in Gymnaſiis noſtris legeretur, juris publici, me reluctante (non ignota loquor) fieri præcepit. Quid tunc agendum? Meritis licet imparibus, læta obedientia, timida ambitio manus operi admoverunt: ſed juſſit prudentia, ne Nomen Tuum ampliſſimum incerti operis conſecratione contaminarem.

Quis vero ſperaviſſet unquam? Litterarius Orbis quamvis probare non poſſet opus, pepercit tamen conatibus. Brevi omnia diſtracta

fuerunt exemplaria. Animos, quos ferme despon-deram, sumpsi: Tuo Seminario, quæ scripse-ram, non haberi indigna lætatus sum. Efflagi-tantibus Amicis, Mathesim, & Physicam liben-ter iterum lustravi, & Adolescentium commo-do (qualecumque tandem illud sit) evulgandis non obstiti.

Nunc autem editionem alteram paranti, cur Tu Mecænas statim occurras, intelligis facilli-me. Tibi Tua reddo: at reddens, nova luce, novoque decore opus istud exhorno.

Ne quid enim de honorificentissimis illis, & gravissimis muneribus dicam, quibus ad mira-culum usque functo, apud Europam universam immortale Tibi nomen pepererunt, adeo ut pie-tatis, scientiæ, prudentiæ Exemplar Te morta-lium omnium ora deprædicent: Tu scientissimus litterarum cultor, atque patronus ita scientiis universis faves, ut quicumque se iis dederint, firmissimum, amplissimum præsidium in Te uno semper adinvenerint. Florentissima hæc ipsa testa-

tur

tur Urbs, in quam veluti in commune centrum licet Gentes omnes litterarias facultates fuas importent : Te tamen Reipublicæ bono abfentem, Te, inquam, merito confulit, efflagitatque, ut quas Tecum divitias afportafti, Patrio folo interdum reftituas; incredibilem enim, ac divinam pene, qua polles, fapientiam iis in operibus omnes intuentur, quibus nomen Tuum jamdudum immortalitati ita eft confecratum, ut quantum ei diuturnitas detrahet, tantum laudibus fit allatura. Ex hac autem vera, folida, non fucata rerum omnium fcientia, Tua illa nafcitur admiranda, inufitata, inaudita morum fuavitas, illa lenitas animi, & fingularis manfuetudo, qua Mortalium omnium Tibi corda devincis: quippe doctiffimus cum fis, & doctos Viros veneraris, & indoctos alto fupercilio non afpernaris.. Quinimo cum pietas potius Tua, quam Paftorale onus ad Diœcefeos, quam regendam Tibi Divinus Spiritus concredidit, negocia temperanda a CÆSAREA ufque AULA Te traxerit, quis

dicendo poterit percensere, quæ in S. Visitatione egisti? Rura, Oppida, Agri, quæ perlustrasti, suaviter collacrymantia futuris enarrabunt Incolis & effusam Tuam in Deum pietatem, & solidam Tuam erga egenos charitatem, & invictam in omnes miram Tuam sollicitudinem.

At quod maxime me movet (quem vero plumbeum etiam non moveat, dummodo humani cordis semel saltem sit affectus expertus?) est, Te in Principum Aulis enutritum, Te inter Reges oracula fundentem, Te acutissima Aulicorum cribrantem consilia, Te, inquam, Rusticorum lustrare cavernas, rudimenta Fidei parvulos edocere, hebetium, ne dicam rationis expertium, at simul ad ravim usque obstinatorum hominum excipere querimonias, lites componere, jura patientissime dicere. Sanctissima quælibet in Episcopis quisque miretur: miror & ego: sed quod homines scientissimi, negociis semper distenti gravissimis idiotarum consortium non fugiant, villicam sibi crucem figant,

gant, hoc me potissimum semper rapiet. Nisi in eos Cælestis Spiritus migraverit, quo Dei imaginem in rudi licet, & crassissimo homine contemplentur, hujus consortio sustinendo censebo semper ineptissimos.

Quid mirum itaque, si hæc, & centena alia, quæ ut silentio prætercam, modestia, ad quam Te finxit natura, jam præcipit: quid, inquam, mirum, si in Te uno præsidium omne decusque meum inveniam? Habeo, quocumque me vertam, sic me gerendi momenta gravissima. Tu Episcopus Faliscus mei operis repetundi jus habes: Tu Vir doctissimus labores meos potes fovere: Tu Præsul humanissimus erratis meis (quæ sunt plurima) veniam certe concedes. Quod igitur Tuum est, ad Te redux complectere opus, meque nomine, præsidio, patrocinio Tuo tege, fove, sustenta; sic enim efficies, ut tanto Patrono indigna aliquando non coner.

FRA-

FRATER JOANNES CAROLUS VIPERA

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM POST SERAPHICUM PATRIARCHAM MINISTER GENERALIS XC.

Lectoribus, atque studiosis sui Ordinis Adolescentibus.

S. P. D.



Astoralis curæ erga universum nostrum Ordinem mihi licet omnium immeritissimo impositum onus illud præ omnibus exigere videtur, ut scientia in Gymnasiis nostris cum pietate amico fœdere conjuncta vigeat semper, & efflorescat. In istud ad Generalatus apicem evectus statim incubui: atque cum meis viribus tot curis molestissimis hac, illacque distractus omnia perficere non potuerim, operam mihi adscivi, & consilium doctissimi, & clarissimi nostri cujusdam Theologi, ut illarum quæstionum catalogum vobis exhiberem, quæ universam Theologiam, Dogmaticam præsertim, ut inquiunt, & Moralem complecteretur: catalogum, inquam, in quo necessaria non essent desideranda, vitarentur autem superflua. Verum cum sine Philosophica scientia vix Theologi nomen, ut probe norunt ii, qui in utraque hac facultate satis sunt, superque versati, mereamur; ideo, ut vobis quoque philosophicas suppetias ferrem, vehementer concupivi. Id ardentius exoptanti innumera propemodum occurrerunt: occurrit onus Regularibus præsertim demandatum Ordinibus studia sua ad Religionis Christianæ defensionem dirigendi: occurrit immensa illa, ehu dolor! perditissimorum hominum, librorumque copia, qui qua vi, qua fraude possunt, per cuniculos nunc, nunc apertius Depositum nostrum labefactare, enervare, funditus evertere satagunt: illa tandem occurrit librorum penuria, qui Adolescentium manibus terendi præberi possint, ut veram cum fructu demonstrationem Evangelicam addi-

scant

ſcant; indeque quanta in Scholis ignoratio eorum vigeat, quæ vix ſemi-docti homines, dicam etiam mulierculæ noſtra hac ætate non ignorant, utinam non vidiſſem!

Hæc autem omnia conſpiciens, & mecum animo reputans, tanto malo medelam me allaturum deſperavi, ſi materiei pertractandæ ſolum exſuccum ordinem Vobis, Lectores dilectiſſimi, præſciberem, & quæſtionum indice rem omnem arctiſſimis quaſi limitibus concluderem; quî enim ingenium non æque in omnibus acre, ſine ulla forſan librorum copia, abſque ſemita etiam ſaltem vobis indicata poterat in accuratum ordinem redigere immenſam illam rerum varietatem, quæ Religioni noſtræ naturali rationis lumine Divinæ demonſtrandæ neceſſaria eſt, atque omnia pro dignitate pertractare? Cum igitur, Supremo favente Numine, opuſculum ad me perlatum foret, quo P. M. Joſeph Tamagna Ordinis noſtri illius Metaphyſicæ ſpecimen exhibebat, qua lectiſſimos Convictores, ut ajunt, & Alumnos celeberrimi ſemper, ſemperque florentiſſimi Collegii Montis Faliſci inſtituit, quo tempore apud eos Philoſophiam profitebatur, & Matheſim: cumque in hoc opere ad Religionis Chriſtianæ oſtendendam Divinitatem, Incredulis omnibus devictis, juris naturæ veris firmatis principiis, Juriſtis errantibus refutatis, maxima perſpicuitate adoleſcentes Philoſophos manuduci, & plures docti Viri cenſuerint, & ego ipſe perſpexerim: Romam Auctorem accivi, & invitum, ac quaſi reluctantem coegi, ut integrum ſuum opus ſecundis curis ſubjiceret, & veſtrum commodo, atque utilitati in lucem edendo totus ſtuderet. Meæ morem geſſit voluntati, ac, quantum ſiverunt vires, & nova ei imperata ſtudia, rem omnem minuit, auxit, perpolivit, prout exquirere materia videbatur.

Habetis, Lectores eruditi, Adoleſcentes ſtudioſi Inſtitutiones Metaphyſicas, quæ vobis viam ſaltem ad metam ſternant. Inventis addere, facillimum. Addite, auferte, commutate, quæ vobis diſplicent; licet enim Auctor magno præſtet ingenio, non ideo tantum ſibi arrogat, ut omnia perfecta, & numeris omnibus abſoluta ſe excogitaſſe

tasse contendat, cum plurima præsertim prælectionis habendæ sæpesæpius urgente signo debuerit conscribere, ut suos ipsos Discipulos non latet; quapropter ut de hoc etiam Vos admonerem, mihi ipse auctor fuit. Mutantibus tamen, auferentibus, addentibus præcipio, ne disputationes omittere, ordinem in eis servatum mutare, aut cum magno & temporis, & profectus dispendio (præter nova, siquæ confecerint, additamenta) alias Institutiones conscribendas Discipulis exhibere præsumant.

Quod vero attinet ad res Physicas, cum Ecclesiastici Viri nihil potius habere debeant, quam ut Religioni pro virili consulant: reliqua vero vel a longe salutasse sufficiat: volumus, & mandamus, ut in historia potius hujus Scientiæ tradenda breviter versemini, quam penitiora naturæ arcana penetrare contendatis.

Cum primum opus istud vobis exhibuimus, non dedimus nisi institutiones Logicas, & Metaphysicas; Auctor enim rebus Theologicis ex instituto navans operam elementa physica se nunquam scripturum asserebat; & ideo ut Physicam P. M. Laurentii Altieri addisceretis, rogabam. Nunc autem alteram hujus operis editionem parans, jam typis evulgavit, quæ ex Mathesi, & Physica, ut inquiunt, generali censuit magis utilia: daturus brevi & Physicam particularem. Fuso satis calamo hæc omnia prosequitur; Reipublicæ enim commodo serviens debet omnium genio indulgere, quod, vel cursim tangens, vel penitus omittens tot jucundissima, quibus Scientia physica redundat, assequi non posset. Nos propterea non audemus præcipere, quod hæc ipsa elementa, prout in sequentibus voluminibus jacebunt, addiscantur: sat est ita jussisse quod ad Logicam, & Metaphysicam pertinet: sed cupientes Lectores nostri physicas institutiones formare, non parvum certe captabunt auxilium ex recentissimo Auctoris opere, quod undique pulcherrimis, utilissimis Physicorum, & præsertim Accademiarum inventis abundat.

Assequuti jam estis, Lectores ornatissimi, Adolescentes lectissimi, instituti mei rationem; naviter ergo urgete, ut

ut laboribus vestris & nova gloria nostro Ordini accedat, & sitis tandem Ecclesiæ proficui, ac Jesu Christi vineam pro viribus excolatis: in cujus nomine amplector Vos, atque ab Ipso, & a Seraphico Patre omnium benedictionum copiam super vos peramantissime imploro. Valete.

Dabamus Romæ in Cænobio nostro apud SS. XII. Apostolos postridie Kalendis Aprilis, Anno MDCCLXXX.

ADPRO-

ADPROBATIONES.

JUſſu Reverendiſſimi P. Magiſtri Joannis Caroli Viperæ totius Ord. Min. Convent. Generalis Miniſtri attente legimus Opus inſcriptum : *Inſtitutiones Logicæ , & Metaphyſicæ , in quibus Divinitas Religionis Christianæ naturali ratione contra Incredulos demonſtratur &c. Auctore P. M. Joſepho Tamagna &c* in Scholarum ejuſdem Ordinis commodum elaboratum : in eoque non modo nihil offendimus ab orthodoxa doctrina alienum , ſed methodum in rebus pertractandis accuratiſſimam , eruditionem , perſpicuitatem , ac vim rationum , ſoliditatemque magnopere mirati ſumus . Cenſemus igitur Opus hoc utiliſſimum ſtudioſæ Juventuti , planeque dignum , ut typis evulgetur . Romæ apud SS. XII. Apoſtolos 3. Aprilis 1778.

Fr. Philippus Scocciacampana S. Theol. Magiſter , & Collegii S. Bonaventuræ Regens , & Rector .

Fr. Gaudentius de Petris S. Theol. Magiſter , & Juris Canonici Lector .

OPus , cui titulus : *Inſtitutiones Logicæ , & Metaphyſicæ , in quibus Divinitas Religionis Christianæ naturali ratione contra Incredulos demonſtratur &c.* Auctore Reverendiſſimo P. M. Joſepho Tamagna Ordin. Minor. S. Franc. Convent. in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ S. Theol. Profeſſore : jubente Reverendiſſimo P. Thoma Richinio S. P. A. M. libenter , ac ſtudioſe legi . Nihil in eo adverſum Fidei , ac bonis moribus , aut minus caſtigate ſcriptum deprehendi . Contra Auctor Clariſſimus ambas facultates ſic tractat , ut per eaſdem , quod eſt hac ætate perneceſſarium , ſtudioſos veluti manuducat ad veras origines , ac ſumma præcepta juris naturæ , indeque ad Religionem revelatam . Adcuratiſſimus in magna rerum varietate ordo , ſumma ubique perſpicuitas , tum eruditionis copia Operis ſunt ornamenta ; quod vero con-

ſtat

ſtat adcuratiori veritatis exquirendæ arte ; ac penitiori humana Sapientia, perfectaque Evangelica demonſtratione, egregiiſque compluribus, in quibus eminent, quæ ſunt adverſus Libertinos incredulos, tum alios, qui a ſuis fontibus Naturæ jus diſtraxere, diſputationibus. Dignum itaque habeo, quod ſtudioſæ juventutis commodo quantocius publicetur. Dabam Romæ Kal. Februariis anno MDCCLXXVIII.

D. Cæſar De Horatiis Publicus in Archigymnaſio Romano Philoſophiæ Profeſſor.



Reimprimatur, ſi ita iis, ad quos ſpectat, videbitur.

Paulus Franciſcus Antamori Archigymnaſii Rom. Rector Deputatus &c.



REIMPRIMATUR,

Si videbitur Rever. Patr. Magiſt. Sacr. Palat. Apoſt.

F. A. Marcucci ab Immac. Concept. Epiſc. Montis-Alti Viceſg.



REIMPRIMATUR.

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

PHI-

PHILOSOPHIS TYRONIBUS
AUCTOR


Vix duo elapsi sunt anni, ex quibus meæ Institutiones philosophicæ ceperunt lucem aspicere: nondum omnia volumina sunt typis evulgata: & tamen ne unum quidem prioris editionis venale prostat exemplar, licet a plurimis, & præsertim a Polonis avide conquirantur. Id me impulit ad alteram parandam editionem, quamquam nondum primam expleverim. Ne tamen studiosorum hominum fidem fallerem, nihil prorsus censui immutandum in tertio, & quarto jam vulgatis voluminibus: nihil etiam commutavissem in duobus primis, nisi vi quodammodo fuissem adactus. Pauca tamen ea sunt, & ea quibus legentes primam editionem possit sine ulla rerum metaphysicarum jactura carere. In primo volumine adjeci perpauca, quæ virilius defenderent meam de brutorum anima sententiam. In secundo quædam inserui Adversariorum argumenta contra disputationem de naturali jure, & errores nonnullos, qui incaute exciderant, emendavi. Præter ista, prorsus nihil; corruptam enim olere mihi videntur fidem, qui plura posterioribus editionibus adnectunt, ut litteratorum tenue persæpe, & arescens iterum emungant ærarium.

Testimonia tamen illa vel Incredulorum, vel Philosophorum, quæ primum itala reddidi, nunc leges latina; cum enim ultra montes præsertim debeant hæc exemplaria migrare, enixius rogatus sum, ne incommodum aliquando insuperabile sine utilitate vellem Lectoribus afferre. Morem flagitantibus gessi; Italis enim variata illa idiomatum lectio jucunda interum evadit: at Italam non callentibus linguam miserrimam crucem figit.

Ceterum unum volui, ut nempe melior foret papyrus, melioresque adhiberentur typi; quis enim denariolum magis amaverit, quam nitidam perpulchram editionem?

Hæc Tibi dicenda erant, Lector humanissime: jam finem facio; longis enim præfationibus sum infensissimus. Vale.

META-



IN

UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

PROTHEORIA,

IN QUA BREVITER DE VARIA HUJUS SCIENTIÆ FORTUNA DISSERITUR.

1. PHilosophiæ nomen Pythagoram omnium primum in mundum invexisse, concors Historicorum traditio est; is enim a Leonte Sicioniorum, ac Phliasiorum Tyranno interrogatus olim, an sapiens esset, agnoscens, sapientis nomen soli Deo adjudicari posse, respondit, se non sapientem, sed *Philosophum*, hoc est studiosum, amantemque esse sapientiæ. *Quod nomen ita deinde Posteris placuit*, inquit S. Aug. l. 14. de Trin. c. 1. *ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere, non nisi Philosophus vocaretur*.

2. Philosophia igitur, si vis nominis spectetur, nil aliud, quam sapientiæ studium significat; si autem essentia ipsa quodammodo inquiratur, ita cum Tullio *lib. 1. de Off. c. 43. & alibi* valet definiri: *est rerum Divinarum, humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia, cognitioque*. Cum vero, ne in rebus ipsis contemplandis, cognoscendisque intellectus erret humanus, opus sit, ut quadam veluti præeunte face dirigatur, ac ad veritatis inquisitionem quasi disponatur; sic vero dispositus vel ad insensibilium considerationem, vel ad contemplationem sensibilium, vel ad morum rectam institutionem

dirigi, ac manuduci possit, ideo in quatuor partes solet Philosophia dispesci. Prima tradit regulas, quibus tutò queat mens veritatem inquirere, & *Logica* dicitur. Secunda sensibilium ordinem transcendentia revocat ad trutinam, & *Metaphysica* appellatur. Tertia corporea tantum considerat, vel quæ sunt in corporibus, & *Physica* vocitatur. Quarta tandem pro moribus ad honestatis leges componendis canones tradit, atque *Ethica* nuncupatur.

3. Universalem hanc rerum omnium scientiam Protoparenti Adamo fuisse Deum impertitum, Theologorum omnium, Philosophorumque, paucis quibusdam exceptis, unanimis tradit invariata consensio. Nos quæstionem hanc omittimus utpote ad Theologiam potius revelatam, quam ad Philosophiam pertinentem. Illud ratum, exploratumque potius habemus. studium hoc verum inquirendi, addiscendique apud omnes quascumque gentes, qualibet ætate semper viguisse; non enim illud didicimus, vel accepimus, sed a natura ipsa hausimus, & expressimus. Hinc Gentes omnes proprios habuere semper Philosophos: Hebræi *Rabbinos*: Babylonii, Assyriique *Chaldæos*: Persi *Magos*: Indi *Brachmanes*: Ægyptii *Hierophantas*: Galli *Druidas*: omnes denique Doctores aliquot, veritatisque interpretes eximios voluere.

4. Omnibus tamen palmam Græci præripuerunt; ii enim, universo ferme mundo peragrato, veritatibus undique conquisitis, totam philosophicam facultatem in unum veluti corpus digestam posteris amandarunt, atque ex ipsis Græcanica prodiit Philosophia, quæ postea in varias sectas divisa fuit.

5. Postularet modo institutæ pertractationis ratio, ut Philosophiæ universæ historiam contexeremus, at sic nobis persuasimus, sic sentimus; tam longe, lateque provinciam hujusmodi patere, ut integrum exquirat opus, si velit pro dignitate pertractari; quapropter cum & statuti limites id non sinant, & eruditissimorum hominum Stanlej præsertim, & Bruckeri integra prostent hac de re volumina: & Philosophorum dogmata majoris claritatis gratia suis in locis sint exponenda, ideo brevitati potius,

ado-

adolescentumque utilitati, quam ventosæ eruditioni studentes, ab hoc litterario labore libenter abstinemus: quasdam solum celebriores Philosophantium sectas, quarum nomina nostris hisce in institutionibus interdum occurrent, fas est hic dinumerare.

6. Tota itaque Græcorum schola in septem veluti familias discriminata fuit. 1. Poetica. 2. Italica. 3. Jonica. 4. Accademica. 5. Peripatetica. 6. Eleatica. 7. Sceptica nuncupantur.

7. De Poetarum Philosophia utpote antiquissima atque ambagibus plena, nihil ad nos certi pervenit, sed ita omnia obscura, æquivoca, atque intellectu difficilia reperiuntur, ut ne divinando quidem de illa aliquid scire possimus.

8. Debent Italici originem Pythagoræ Samio, sic dicto a Samo insula Joniæ in Asia minori, ubi anno 3457. ortus est. Hic magnus naturæ, verique investigator, collecta sibi ex variis mundi partibus magna doctrinæ copia, demum in Italiam secessit, & Crotone magnæ Græciæ, nunc Calabriæ urbe marittima Gymnasium publicè aperuit, ex quo prodiere inter ceteros Archytas Tarentinus, Ocellus Lucanus, Hyparcus Philolaus, Timæus Locrus, aliique. Peritissimum sese Philosophus iste ostendit in Arithmetica, Musica, & Geometria, quam etiam adinventis locupletavit, inter quæ celeberrimum theorema reperitur circa potestatem hypothenusæ in angulo ortogonio.

9. In eamdem fere ætatem incidit Philosophiæ Jonicæ origo; Thales enim Milesius, qui anno ante Christum 636. creditur natus, post varias orbis peregrinationes magnum sibi Philosophi, ac Græciæ Sapientis nomen adeptus, Mileti in patria cœlebs consenuit, cujus dogmata per Anaximandrum (obiit ante Christum anno 502.) Anaximenem (anno 524. nascitur) Anaxagoram Clazomenium, ac tandem Archelaum ad Socratem pervenere.

10. Huic nato Athenis anno 3540., ante Christum 464. Patre Sophronisco statuario, Matre Phænareta obstetrice, primo Parentis artificium addiscere, postea philoso-

losophari cordi fuit; auditoque Archelao, non quidem scholam aperuit, sed cum amicis domi, forisque collocutus, eos variis interrogationibus evincere, melioresque reddere conatus est: nihil se scire, aut existimans, aut, quod probabilius est, simulans, dicere solitus erat, se hoc unum scire, quod nihil sciret. Demum ab Anytho, & Melitone Atheismi, nec non corruptæ juventutis accusatus cicutam bibit non sine magno Atheniensium dedecore. Plerisque de rebus tam recte philosophatus est, ut merito a Valerio Maximo *omnium Philosophorum doctissimus*, a Lactantio *Fons Philosophorum* sit dictus, atque etiam a S. Augustino summis laudibus commendatus. Ex ejus discipulis variæ eruperunt sectæ, *Cyrenaica* scilicet ex Aristippo, *Eliaca* ex Phædone, *Megarica* ex Euclide, *Cynica* ex Anthistene, in qua, emundata tamen, floruit deinde Zeno Citticus *Stoicorum* auctor, & dux, qui magno floruit sapientiæ, & probitatis nomine: ac tandem *Accademica* ex Platone. Ferme nullius nominis præter Accademicam illæ extiterunt: de iis propterea ne verbum quidem facimus.

11. Silentio itaque prætereundum non est, Platonem Philosophorum omnium facilè principem *Platonicæ*, seu Accademicæ sectæ auctorem extitisse. Hic Athenis nobili genere ortus, ac facundia insignis Philosophiæ nomen dedit, auditoque Socrate, & itinere ad Ægyptios suscepto, Heraclidis etiam, & Pythagoræ degustatis dogmatibus, scholam in quodam suburbano Atheniensi loco aperuit, quam ex Accademo nobili quodam Eroe Accademiam dixit. Tanta solertiæ, ingenii, eruditionis, scientiæ laude floruit, ut non solum a veteribus *Divinus* antonomasticè sit nuncupatus, verumetiam & ipsi Ecclesiæ Catholicæ Patres eum admirati, & sequuti omnino fuerint. Obiit senex anno ante Christum 344. ejusque postea successio tripartita quodammodo fuit. Prima, quæ *vetus* dicitur, a Platone ad Craterem: altera ab Arcesilao ad Egisirium: tertia tandem, quæ *nova* nuncupatur, a Carneade usque ad Clitomacum porrigitur. At de his satis. Deveniamus modo ed celeberrimum illum Aristotelem, cujus philosophica

phica dogmata tam latas, tamque profundas agere visa sunt radices, ut proximo duntaxat præterito sæculo aliquo pacto, non tamen omnino, & ubique potuerint divelli.

12. Hic e Stagyris Macedoniæ urbe oriundus, ex qua Stagyrita appellatur, 20. annorum spatio Platonem præceptorem habuit, ejus tamen opiniones non semper sequutus *mulus* ab eodem dicebatur. Quinque deinde, vel ut alii malunt, decem annis Alexandrum magnum præceptis philosophicis instituit, lyceumque aperuit, quod Peripati nomen ex eo obtinuit, quod deambulando discipuli disputarent, unde & Peripatetici sunt appellati. Licet autem & gibbosus, & balbutiens, & deformis esset, ita tamen ingenii acumine, ac doctrinæ præstantia ceteros sui temporis Philsophos superavit, ut non nisi Platoni secundus haberetur. Logicam, Ethicam, Politicam, Œconomicam, Physicam, Rethoricam, Poeticam, animaliumque historiam ingenio summo, ac diligentia non dissimili conscripsit: floruitque circa annum mundi 3656.

13. Eleatica Philosophorum secta illa fuit, quæ a Zenone Eleatensi, in Elea scilicet magnæ Græciæ urbe inter sinum Scillaceum, & Tarentinum orto, fuit instituta. Celebres in ea fuerunt Democritus Abderita, & Heraclitus Ephæsius, quorum primus ut naturæ secreta rimaretur subtilius, sese obcæcavit, annumque agens 119. extremum clausit diem. Hic dum domo egrediebatur ridebat semper tamquam nugas, & gerras mundana omnia considerans. Heraclitus e contra amare flebat miserias humani generis prospiciens, meditans, atque compatiens. Floruerunt ambo anno 3660. eorumque dogmata excepit postea, perfecitque tandem anno 3695. Epicurus Atheniensis e pago Gargesio, qui scholam in peramœno quodam aperuit loco, vitamque cum amicis agens communem ita iis carus fuit, ut ejus natalem diem quotannis celebrarent. Non obscuri certè nominis fuit hæc secta: discipulos ex Romanis etiam hominibus habuit quamplurimos.

14. Philosophis, de quibus sumus hucusque locuti, quique Dogmatici ex eo dicuntur, quod aliquid certi in Philosophia admiserint, Scepticos adjungimus, quorum

Princeps, & auctor extitit quidam Pyrrho Aristoteli synchronus, ex cujus nomine Pyrrhonici ejus sectatores appellati sunt. Hic omnem cohibebat assensum, nec ullum judicium de rebus unquam ferebat. In hoc ab Accademicis discrepabat, quod ii hoc saltem certum haberent, se videlicet nihil scire; hic autem ne hoc ipsum quidem se scire putabat. Licet vero tam deridicula dogmata tradiderit, fautoribus tamen veteribus, & recentibus non caruit. Floruit inter veteres Sextus Empyricus; inter Recentiores autem Georgius Benly, Petrus Baylius, Canchius, aliique, quorum opera aliquid eos scivisse satis abundè demonstrant.

15. Sed tot veterum sectarum ad nostra hæc usque tempora vix memoria superfuit; ab ætate enim Julii Cæsaris usque ad sæculum Christi 16. Aristoteles tantum, & Plato libere in scholis regnarunt. Et licet post Boetii mortem, qui anno Christi 524. florebat, fere omnino a scholis Aristotelis Philosophia exulaverit, omnes autem Plato edocuerit; octavo tamen labente, atque nono incipiente sæculo, devastata ferro, flammisque a Saracenis Hispania, iterum Aristoteles revixit, ejusque doctrina Averrois, & Avicennæ commentariis illustrata tanto animorum plausu recepta, tanta ingeniorum contentione fuit propugnata, ut brevi orbis universus se Aristotelicum esse sit demiratus; atque exinde scholasticorum secta sub Aristotelicis signis in arenam descendit. Horum antesignani, ducesque fuerunt Petrus Abaleardus, Petrus Lombardus, Alexander ab Hales, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, S. Bonaventura, Joannes Duns Scotus, Durandus a S. Porciano, Guillelmus Okam, Gabriel Biel, aliique plures.

16. Paucis vero annis in Aristotele interpretando idem omnes tradidere; jurgiis enim obortis litterariis, triplicem constituerunt scholam.

17. Prima quæ Thomistarum dicitur, principem jactat, atque ducem S. Thomam Aquinatem Ordinis Prædicatorum lumen celeberrimum, Ecclesiæ Doctorem Angelicum nuncupatum, qui Alberti Magni discipulus, ingenti

genti sui nominis fama annum agens 50. obiit in Domino post Christum natum 1274.

18. Scotistæ, qui secundam constituunt sectam, antesignanum sequuntur Ven. Joannem Duns Scotum ex nostro Minornm Ordine. Tanto hic polluit ingenii acumine, ut *Doctor subtilis* fuerit appellatus. *Hic autem*, verba sunt Guillelmi Cave hæretici Angli præteriti sæculi scriptoris, *Minoribus Novocastrensibus nomen dedit, & ab iis Oxonium missus in Collegio Merronensi, cujus demum socius fuit, peritiorem Litterarum congnitionem hausit: in Theologia scholastica omnium sui ævi facile Princeps: in Jure Civili peritus, ac Canonico versatissimus, Logices, Physices, Metaphysices; ex Accademia Oxoniensi (vulgo Oxford) ad Parisiensem Gullielmo Varroni illius Præceptori in cathedram Theologicam subsequutus est, quam tanta sui nominis glória moderabatur, ut triginta plus quam scholarium millia ejus audiendi gratia Oxonium undique confluxisse perhibeantur.* Hic omnium primus Parisiis Beatissimam Virginem ab originaria labe immunem omni argumentorum genere, omnique robore defendit anno 1304. Tandem Coloniam missus ex hac vita decessit annum suæ ætatis 33. vix excedens.

18. Guillelmus tandem Okamus nostri pariter Instituti Professor a Scoti præceptis, doctrinaque deficiens, tertiam scholasticorum sectam instituit, quæ communiter Nominalium appellatur.

20. Sine ulla igitur contradictione ad annum usque 1465. pacificum in scholis Aristoteles exercuit principatum; at post annum eumdem accerrimos ubique hostes expertus est. Laurentius Valla, Marius Nizolius, Adrianus primum Cardinalis, deinde eodem nomine Pontifex Summus, Joannes Picus Mirandulanus, Franciscus Rytorgius, Cardinalis Bessarion, Marsilius Ficinus, Justus Lypsius, Petrus Gassendus, Lutherus, Melancton, Petrus Ramus, aliique Aristotelicum jugum excutere tentarunt; sed, si Gassendum demas, tantum abest, ut iis ex voto res cesserit, ut profundiores potius jecerit Aristotelica Philosophia radices, quo magis isti eam penitus convellere curarunt.

21. Scilicet tunc solum thronus iste Aristotelicus nutare cœpit, quando Galileus quidam Galilei egregius Hetruriæ Ducis Mathematicus anno 1650. novam philosophandi viam terere aggressus est. Hujus deinde vestigiis inhærentes Petrus Gassendus, & Renatus Cartesius Aristotelem aqua veluti & igne interdixerunt omnino, veteremque Democriti, Epicuri, Platonis, aliorumque Philosophorum methodum e cineribus revocarunt.

22. Fuit Petrus Gassendus natione Gallus, Patria Dinensis, ejusque Ecclesiæ Præpositus. Obiit post multa eximia edita volumina Parisiis anno 1665. ætatis suæ 63.

23. Gallus quoque fuit Renatus Des Cartes, qui Cartesianam sectam instituit. Suis operibus magno orbis ferme universi plausu exceptis, clausit tandem auctor diem extremum anno 1650. ætatis suæ 54.

24. Sed Aristotelico excusso jugo, variam philosophandi methodum plures aut invenerunt, aut ab aliis adinventam secuti sunt; omnibus tamen palmam præripuit Leybnitius, & Newtonus. Wolfium fidelissimum sectatorem, mathematicumque eximium habuit Leybnitius: Isaaccus autem Newtonus omnes ferme Accademias.

25. Licet vero pulchra Auctores isti tradiderint, nævis tamen omnibus non carent; quapropter, hoc nostro presertim ævo, cordatioribus ea secta magis arridet, quæ nullius addicta jurare in verba magistri, ex singulis quibusque operibus ea excipit, quæ veritati magis consona videntur, apes imitans, quæ vagantur, ut flores idoneos carpant, & dulci distendant nectare cellas. Hanc rectissimam terentes viam vix ii omnes dinumerari possunt, qui de rebus philosophicis sunt optime promeriti, itaut & Metaphysica propter methodum, & Physica propter adinventorum multiplicitatem nullimode queant cum veteri comparari.

26. Brevissima hæc est Philosophicæ fortunæ historia. Quod si quis a me exquirat, quænam potissimum mihi schola arrideat, sciat, quæso, me admodum probare sententiam illam vere auream Lactantii l. 2. divin. Instit. cap. 8. *Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut &*

inau-

inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt, quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest ... Quare cum sapere, idest veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Quænam ergo mea sit mens, ex iis Lactantii verbis, quæ nunquam satis laudo, abunde patere posse arbitror. Quin ergo modo plura fusa prosequamur oratione, quæ sunt agenda agamus.

PHILOSOPHIÆ PARS PRIOR SEU LOGICA

27. CUM ad veritatis inquisitionem innato quodam pondere se ferri homines universi, intimo docente sensu, persentiscerent, conspicerentque simul, se non raro vera pro falsis, & pro veris falsa incautè recipere; hinc ut huic malo Sapientes occurrerent, nonnullas leges, seu præcepta in unum congesserunt, quæ logicam appellarunt. Logicæ enim nomine (cujus etymologiam a græco vocabulo *Logos*, latine *Sermo*, derivatam optime dixeris) ea venit facultas, *qua in vero recte cognoscendo, ordinateque explicando mens humana dirigitur.*

28. Nimios hisce in tradendis præceptis veteres Scholasticos fuisse ii tantum ignorare possunt, qui eorumdem opera ne primis quidem, ut ajunt, labiis degustaverunt. Hinc non animal rationale præceptis suis instituendum, ne erraret in veritate conquirenda, sumpsisse sunt visi, sed potius idem compingendum esse, atque formandum quodammodo videntur esse arbitrati. His vero a Recentibus nonnullis majori forsan quam par erat nausea rejectis, effectum est, ut cupientes vitium fugere in contraria cucurrerint, atque *artificialem*, ut ajunt, *Logicam* pesti devovendam esse præteritæ conclamaverint. Sed est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Logicam inesse nobis naturalem rationis tantum expers poterit inficiari; hinc præ-

præcipua, quæ sunt a Philosophis tradita, rectè ratiocinandi principia, esse duntaxat observationes quasdam eorum, quæ in praxi ab omnibus recta ratione utentibus fiunt, non nego; at exinde quod concludatur, inutilia quælibet esse præcepta, quæ in rem istam congeruntur, si Superis placeat, nunquam concedam. Licet enim conspiciam quotidiè, id a natura habere homines, nisi morbo impediantur, ut quantitates supputare, & choræas agere, & canere, & loqui possint, non propterea quis unquam intulit, & arithmeticam, & artem commodè saltandi, canendique, & grammaticam, non dicam inutilia, sed & ea omnia profiteri cupientibus non esse necessaria. Quapropter sunt quidem observationes in natura institutæ humana ea, quæ utramque implent Logicæ paginam; at cum intellectus hominis non bene semper eo utatur rationis lumine, quod a summa rerum omnium Causa nascens est mutuatus, ideo necesse est, ut ea addiscat præcepta, quæ in praxi ab iis adhiberi conspicimus, qui recta utuntur ratione, quæque artem Logicam conficiunt.

29. Nos ergo medium inter utrumque extremum tenere iter cupientes, breviter quidem, quæ tamen utilia habemus non omittentes, hanc primam Philosophiæ partem suscipimus pertractandam.

30. Cum igitur Logica sit ars quædam hominis directiva in veri inquisitione, perspicuaque explicatione, Logici fermè omnes tot in partes facultatem istam dispescunt, quot potest modis humana mens operari. Humana autem mens, aut simpliciter percipit, aut judicat, aut ratiocinatur, aut methodum investigat, & invenit, qua veritates facillimè detegantur. Ergo & Logica primum simplicem rerum perceptionem expendit, regulasque tradit, quibus mens in percipiendo dirigatur. Differit deinde de judicio, ut qui persæpe in eodem formando errores occurunt diligenter vitentur. Ratiocinationis postea naturam, principia, legesque complectitur. Ac tandem in regulis tradendis, quibus & veritati inveniendæ homo studeat, & adiventam doceat, & cum aliis disputando conferat, tota versatur. Et nos igitur in hac faculta-

te

te tradenda agemus, 1. de simplici perceptione; 2. de judicio; 3. de ratiocinatione, sive mentali discursu; 4. tandem de methodo. Sit itaque.

CAPUT I.

De rerum perceptionibus, seu de ideis

31. IDea, inquit Cl. Heinnecius, *est objecti alicujus genuina imago, quam mens immediate contemplatur, vel est quælibet de quavis re cogitatio: quin tamen de re ipsa*, subdit P. Fort. a Brix. *quidquam a nobis affirmetur, vel negetur*.

32. Cavendum tamen summa diligentia est, ne ideam istam cum imagine corporea, quæ in cerebro depingitur, confundamus; illa enim *imaginatio*, *species impressa* dici solet; hanc vero *intellectionem*, *simplicem rei notionem*, *speciem expressam*, atque *ideam* appellamus cum Scholasticis omnibus, & Recentioribus non paucis.

33. Ut ea, quæ de ideis sunt a Logicis tradita, clara ponantur in luce, ac a tyronibus facillime intelligantur, diversa, ut ita dicam, ex facie ideas nostras lubet contemplari, scilicet 1. respectu habito ad mentem eas producentem: 2. relate ad propriam originem: 3. considerata ipsarum natura, & constitutione: 4. tandem prout ad objecta referuntur. Sequentes articuli rem omnem explanabunt.

ARTICULUS I.

De ideis in ipsa mente consideratis.

34. DUm objectorum imagines sibi mens humana cudit, eas vel claras, vel obscuras, vel confusas, vel distinctas sibimetipsi comparat. Hinc ergo multiplex nascitur idearum partitio.

35. *Idea clara* illa est, qua rem ita percipimus, ut quoties occurrat, distinguere ab aliis ipsam possimus facillime. Si vero res secus se habeat, *idea obscura* erit.

Ita

Ita lunam unusquisque etiam ex plebe ab aliis corporibns cœlestibus distinguit, non ita jovem, venerem, mercurium &c. Idea ergo lunæ clara erit, jovis, veneris &c. obscura.

36. Claræ ideæ tunc censentur etiam *distinctæ*, cum ita objectum referunt, ut non solum facillime secerni ab aliis possit; verum etiam præsto sint nobis notæ., & indicia, ob quæ ipsum a ceteris secernamus. Confusæ vero tunc habentur, si res iterum occurrentes distinguere quidem, at indicia, vel notas, quibus eas distinguimus, afferre, & enumerare non possumus. Quia ex. gr. non solum ignem a ceteris corporibus secerno, verumetiam rationes calleo, ob quas eum distinguo, scilicet calorem, vim urendi, calcinandi &c. idea ignis clara erit, & distincta. Colorem album a nigro facillime distinguo, at ob quam rationem, nescio; ergo idea coloris albi clara quidem erit, sed confusa.

ARTICULUS II.

Quænam sint animadvertenda, ut claras, & distinctas ideas, quantum fieri potest, acquiramus.

37. A Claritate, & distinctione idearum nostrarum præcipue pendere scientiam nostram ii facile dabunt, qui considerant, nos ideo rationales dici, quia eorum, quæ proferimus, rationem reddere scimus, si ea valeat adinveniri. At rationes hujusmodi nonnisi in iis notis, indiciis, seu proprietatibus consistunt objecti, circa quod sermo noster versatur; qui ergo illius claram, distinctamque ideam sibi comparaverit, ei recta ratione uti facile licebit. In id ergo primum contendere quisque debet, qui veritatem adinvenire cupit, ut claras, & distinctas objectorum notiones adipiscatur. Ergo ob id sequentes regulas attente consideret, atque in succum convertat, & sanguinem.

RE-

REGULA I.

38. Unum dumtaxat objectum, non plura simul contemplari debemus; *in hoc enim*, inquiebat optime Cl. Chauvin in Lex. phil. verbo *perceptio, mens cum sensibus convenit, quod finita sit, & limitata*; quapropter cum pluribus intentus minor sit ad singula sensus, idem affirmandum est de mente.

REGULA II.

39. In rebus considerandis cavenda summo studio est præcipitatio mentis; neminem enim fugit, sæpe nobis videri aliquid detexisse in objecto: ac per consequens distinctam illius nobis comparasse ideam, licet illud non extet: & ideo objecti illius non solum confusam, verum & arbitrariam ideam formasse.

REGULA III.

40. Plurimum interest rem, quam contemplamur, cum aliis jam cognitis conferre, considerando attente quid illis omnibus commune sit, quidve singulis proprium; hoc enim modo clara, distinctaque nobis erit singulorum notio.

REGULA IV.

41. Tandem sicuti, si Quintiliano credimus lib. 11. Instit. Orat. c. 2. *qui recte diviserit numquam poterit in rerum ordine errare*, debet perceptiones nostras præcedere quædam rerum diversarum in certas classes distributio, ut confusione sublata clarius, & facilius res ipsæ percipiantur.

AR-

Articulus III.

De ideis relate ad propriam originem inspectis.

42. Ratione originis in tres classes distribuunt Logici ferme omnes ideas nostras, nimirum in adventitias, factitias, & innatas.

43. Ideæ illæ *adventitiæ* dicuntur, quas sensuum ope haurimus, quales sunt omnes rerum corporearum perceptiones, quas sensatione acquirimus.

44. *Factitiæ* vero, quas ex adventitiis mens ipsa efficit aut ideas illas componendo, vel easdem separando: scilicet vel ratiocinio, vel conjectura, vel proportione, aut similitudine, seu alio quocumque modo id fiat. Sic ex. gr. si ideam habens corporis humani, & equini, volucris, & piscis deridiculum illud & horrendum velim mihi corpus imaginari, quod vivis admodum coloribus in Arte poetica pingit Horatius dicens:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere plumas:
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne &c.

ideam factitiam sibi, componendo, comparabit. Siquis hominem vel sine capite, vel pigmeum, vel giganteum sibi imaginetur, factitias compinget ideas separando, comparando &c.

45. Idearum *innatarum* eodem nomine non omnes idem intelligunt; alii enim (& quidem plurimi) ideas innatas eas appellant notiones (si quæ sint), quas Deus menti statim ac creatur insculpsit.

46. Plotinus, Jamblicus, veteresque Platonici donant hoc nomine lumen quoddam interius, quod Deus mentibus humanis elargitur, in quo omnia intelligibilia conspiciantur.

47. Ideæ innatæ nihil aliud per Epicureos, & Stoicos erant nisi notiones illæ, quas ex sensibus haurimus, dum

dum adhuc mens nostra est velit tabula nuda sine ulla cognitione: aut notiones quædam, quas nullo labore, nulloque studio ex universi hujus contemplatione acquirimus.

48. A Cartesio autem eæ innatæ dicuntur, quæ neque a sensibus, neque a libertate nostra, sed ab ipsa mente necessitate propriæ naturæ quasi manant. (Ita semetipsum explicat in resp. ad art. 12. Program. Belgici.) Verum ideas hoc sensu acceptas melius naturales dixeris, quam innatas.

49. Alii tandem idearum innatarum nomen iis animi humani inclinationibus tribuunt, quibuscum nascimur: aut judiciis illis, quæ, intellectis ideis simplicibus, statim formamus. Verum isti ideæ vocabulo abutuntur. De re ista tamen fusius in Metaphysica.

ARTICULUS IV.

De erroribus, in quos persæpe labimur, dum recensitas ideas vel formamus, vel perpendimus: & de regulis, quibus vitentur.

50. CUm non satis constet, ideas innatas reipsa dari, saltem si per ideas innatas notiones intelligamus, quas Deus menti, dum creatur, infundit, de iis non disseremus: contemplabimur tantum adventitias, & factitias.

52. Ideas illas adventitias diximus (n. 43.) quas ope sensuum haurimus: sic dum corpus conspicimus, ejusque ideam mente efformamus, corporis idea adventitia dicitur. Sensus antem non possunt referre nisi res sensibiles, colorem videlicet, saporem, motum, odorem, duritiem &c. atque relationes, quas unumquodque sensibile cum alio necessario habet. Igitur

REGULA I.

52. DIligenter animadvertite, ne judicium efformetis, quod fines illius ideæ, cui innititur, prætergrediatur; ideæ autem factitiæ nonnisi existentiam, & quan-

quandoque rerum relationes possunt referre (n. 51.) ergo istis tantum ideis suffulti nonnisi de existentia, & de rerum relationibus (si tamen sensus has referant) judicate.

53. Ideæ omnes tunc veræ dicuntur, cum objectis, quæ referunt, sunt plene conformes. Ergo

Regula II.

54. Repetitis, accuratisque observationibus de veritate adventitiarum idearum certiores evadite.

55. Factitiæ ideæ, ut vidimus (n. 44.) nuncupantur illæ, quas mens aut dissociatione, aut unione &c. adventitiarum fingit. Compositiones autem istæ &c. arbitrariæ plerumque sunt; ergo persæpe possunt nulli existenti objecto correspondere. Sic ex idea montis, & auri valemus phantasma efformare, quod aureum referat montem, ut infra dicemus. Ergo

Regula III.

56. Ideas factitias diligenter ab adventitiis discernite: nec semper sui generis objecta factitiis ideis correspondere putate.

Articulus V.

De ideis respectu habito ad earum naturam, & constitutionem.

57. Natura, & constitutione idearum inspecta, aliæ sunt phantasticæ, aliæ intelligibiles, simplices aliæ, aliæ compositæ.

58. Duplici pacto idea aliqua dici potest *phantastica*, primo ut opponitur intelligibili: altero ut adversatur adventitiæ. Omnes ideæ rerum corporearum, aut eorum, quæ ad instar corporeorum percipiuntur, phantasticæ dici possunt; pendent enim ab imaginatione, seu phantasmate, quod in cerebro efformatur. Quæ etiam mere arbitrariæ sunt,

ſunt, quia nullum exiſtens objectum illis correſpondet: phantaſticæ a nonnullis appellantur, nos tamen *Chimericas* dicimus: at de iſtis infra.

59. Idea *intelligibilis* eſt notio rei incorporeæ, quam nec inſtar corporis percipimus. Sic ideæ unitatis, entis, bonitatis, cogitationis nuncupantur intelligibiles, quia ipſis efformandis nec ſenſus immediate inſerviunt, nec phantaſia.

69. *Simplex* illa appellatur idea, in qua ne mente quidem plures partes diſtinguere licet. Hæ autem aliquando adventitiæ ſunt, factitiæ perſæpe. Sic ideæ ſoni, ſaporis, voluptatis, doloris, odoris, aliarumque rerum corporearum ſimplices ſunt, & adventitiæ: ſimplices, quia in plures diſtinctas notiones reſolvi nequeunt: adventitiæ vero, quia per ſenſus acquiruntur. (n. 43.) Quando autem Deum ex. gr. concipimus, & in illo unitatem, bonitatem, ſapientiam, juſtitiam &c. obſervamus, idea bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, unitatis &c. factitia erit, & ſimplex.

51. *Compoſitam* ideam illam nuncupamus, in qua plures ideas ſimplices, & ſeorſim intelligibiles diſtinguimus. Sic idea corporis compoſita eſt; in illo enim colorem, duritiem, pluralitatem partium, extenſionem, figuram mente concipimus. Idea etiam compoſita adventitia eſſe poteſt, & factitia.

62. Cum ergo in ideis ſimplicibus nihil mente dividere poſſimus, ſequitur, ideas iſtas claras quidem eſſe poſſe (n. 35.) non tamen diſtinctas (n. 36.) conſequenter non eſſe definiendas, alias obſcurarentur.

63. Ut autem ideæ compoſitæ claræ ſint, & diſtinctæ, requiritur, quod ſingulæ ſimplices, ex quibus illæ componuntur, diligenti ſubjiciantur examini quoadusque ideas claras reddamus; tunc enim diſtinctæ erunt ideæ compoſitæ.

Articulus VI.

De ideis ad objecta relatis.

65. Quot enumerari possunt objecta, tot etiam distingui valent ideæ eadem referentia. Si ergo prout ad objecta referuntur ideæ nostræ considerentur, aliæ sunt singulares, aliæ particulares, aliæ universales: nonnullæ abstractæ, quædam concretæ: reales aliquæ, plures non reales: partim absolutæ, partim relativæ: nonnullæ positivæ, quædam negativæ: omnes tandem vel adæquatæ, vel inadæquatæ.

65. Ideæ *singulares* illæ censentur, quæ objectum referunt in individuo: sic idea Petri est singularis, quia ideâ illâ solum Petri individuum intelligo.

66. Si ideæ rem menti objiciant, quæ aliquod commune cum quibusdam, non tamen omnibus habet, *particulares* appellantur: sic Regem dico: idea Regis erit particularis, quia hominem refert Regiam dignitatem quibusdam hominibus communem habentem, non tamen omnibus.

67. Si tandem aliquod ideæ nostræ referant objectum, in quo multa vel ejusdem, vel diversæ naturæ conveniunt, *universales* appellantur. Sic idea animalis, quia hominibus æque ac belluis convenit, idea dicitur universalis.

67. Prius Alexandrum percipio, hæc idea est singularis: postea ejus Regiam dignitatem, efformavi ideam particularem: tandem illius humanitatem, en idea universalis.

69. In idea universali duo quammaccurate distinguenda esse monent Auctor *Artis cogitandi P. 1. c. 6. &* *P. Fort. a Brix. Log. Sect. 2. num. 4.* comprehensionem scilicet, & extensionem. Sub nomine comprehensionis veniunt ea omnia, quæ ita in idea sunt universali, ut nequeat unum tolli, quin tota universalitas ideæ destruatur. Per extensionem vero ea omnia occurrunt, quibus idea uni-

universalis convenit. Rem explicemus exemplo. Hominem in genere mihi imaginor; itaque ideam efformavi rationalitatis, & animalitatis, & Petri, Pauli, Francisci &c. ad comprehensionem ideæ rationalitas pertinet, & animalitas; non enim animalitas, aut rationalitas ab idea hominis auferri possunt, quin ipsa idea destruatur. At vero Petrus, Paulus, Franciscus ad extensionem ideæ illius attinent, quia, etiam remoto Paulo ex. gr. idea hominis intacta consistit. Quæ comprehensionem spectant ideæ, dicuntur ejusdem *attributa*: quæ extensionem respiciunt, *subjecta*, seu *inferiora* nuncupantur.

70. Quinque ex Porphirii mente a Scholasticis omnibus universales ideæ enumerantur, *Genus* scilicet, *Differentia*, *Species*, *Proprium*, & *Accidens*. *Prædicabilia* etiam vocari solent, quia modum exhibent, quo attributum quodcumque de re enunciari potest; omne enim, quod de alio dicitur, vel enunciatur ut *genus*, vel ut *differentia*, vel ut *species*, vel tamquam *proprietas*, vel ut *accidens*. Cum vocabula ista in omnibus ferme disciplinis usum obtinuerint, paucis necesse est ea explicemus.

71. *Notio universalis*, inquit Porphirius, *quæ de pluribus prædicatur specie differentibus*, *dicitur genus*. *Specie* autem *differre* ea dicuntur, quæ licet sub eodem genere contenta, habent tamen partem aliquam essentiæ, ob quam inter se differant. Sic, ad exemplum utriusque definitionis, animal est genus, quia æque hominibus ac belluis competit, licet specie differentibus; etsi enim belluæ, & homines sub ratione animalis contineantur, habent tamen partem aliquam essentiæ, scilicet rationalitatem isti, & irrationalitatem illæ, ob quam differant inter se.

72. Ea, quæ inter se ob naturam differunt, ac de quibus genus immediate enunciatur, *species* dicuntur. Sic homo, & brutum, de quibus prædicatur animalitas, & quæ inter se natura differunt, *species* appellantur. Quia tamen humanitas ex. gr. æque competit Francisco, Joanni &c. etiam species idea universalis dicitur, aptatur enim pluribus numero differentibus.

73. *Discriminari* autem *numero* illa dicuntur; quæ

speciei proxime subsunt, & inter se mutuo non differunt, nisi quia unum ambo simul sumpta non conficiunt: essentia autem in iis est prorsus eadem. Quæ ob numerum tantum inter se differunt, *individua* etiam *speciei* appellantur.

74. Notio illa universalis, quæ genus determinat in esse specifico, quæ primario ad essentiam rei pertinet, & per quam una res ab alia re distinguitur, *Differentia* appellatur. Sic rationalitas ex. gr. quæ animalitatem determinat ad esse hominis: quæ primo ad essentiam hominis ipsius attinet: & quæ id efficit, per quod homo ab animantibus reliquis secernitur, *differentia* dicitur.

65. Ea differentia, per quam genus a genere discernitur, dicitur *generica*: quæ speciem distinguit a specie, nominatur *specifica*: quæ individuum ab individuo secernit, *individualis*, aut *numerica* appellatur. Sic genus corporis distinguitur a spiritu per corporeitatem, & spiritualitatem, ergo spiritualitas, & corporeitas genericæ differentiæ dici possunt. Homo secernitur a brutis, nonne per rationalitatem? ergo rationalitas *differentia specifica* appellabitur. Tandem Petrus discriminatur a Paulo propter temperamentum, vel figuram, vel locum, vel tempus, vel stirpem, vel nomen, vel patriam: ergo forma, figura &c. appellari possunt *differentiæ individuales*.

76. *Proprium* duplex est, aliud *essentiale*, aliud *accidentale*. Proprium essentiale est illud, quod intelligitur manare ab ipsa essentia, non ita tamen, ut ad essentiam ipsam primario pertineat. Sic risibilitas, ut ajunt Scholæ, proprietas est hominis, quia, posita hominis essentia, statim in homine intelligitur risibilitas: ita tamen, ut essentiam non constituat, sed sit effectus ejusdem.

77. *Proprium accidentale* est illud, quod ita alicui speciei competit, ut 1. vel illi soli conveniat, at non toti, ut esse medicum, quod convenit soli speciei humanæ, sed non omnibus hominibus: 2. vel toti, at non soli, ut esse bipedem: 3. vel toti quidem, & soli speciei, sed non semper, ut canities in homine, quæ solis quidem, & omnibus convenit hominibus, sed non quavis ætate.

78. Quia

78. Quia omnes proprietates conveniunt pluribus, ideo notio ista universalis dicitur.

79. *Generica* etiam appellatur proprietas, quæ generi: *specifica*, quæ speciei aptatur.

80. Prædicatum illud, quod de aliquo enunciatur, ita tamen, ut ad essentiam, & proprietates minime pertineat, iisque salvis, vel inesse, vel abesse possit, *accidens* appellatur. Hujusmodi est albedo in Petro, nigredo in Paulo.

81. Ex consideratione idearum universalium recta devenimus ad definitionem ideæ abstractæ. *Idea abstracta* nihil est aliud, quam idea simplex ab iis separata, cum quibus erat conjuncta. Petrum percipio, idea Petri est composita, sive concreta. Vim deinde ratiocinandi in eodem perpendo, & ideam rationalitatis efformo: non amplius ideam Petri habebo, sed hominis in genere, ideam nempe, quæ abstrahit ab individuo Petri. Idea ista abstracta est respectu Petri, composita vero in se, quia idea hominis constat ex ideis simplicibus animalitatis, & rationalitatis. Si tandem secernam a rationalitate animalitatem, & istam solum considerem, habeo ideam animantis in genere, ideam videlicet abstrahentem ab hominis, & bruti ideis. Sic pariter: corpus contemplor, detego in ipso soliditatem, figuram, gravitatem, colorem &c. si omnia ista sejunctim a corpore perpendam, omnes istæ ideæ erunt abstractæ.

82. Quatuor autem modis abstractionem fieri posse, advertunt Logici ferme omnes, quando scilicet 1. partes alicujus subjecti veluti separatas consideramns, licet in subjecto sint conjunctæ. Corporis humani ideam habeo, si caput absque collo, humeris &c. si crura absque pedibus &c. perpendam, idea capitis, crurium &c. erunt abstractæ. 2. modo fit abstractio, cum accidentia, proprietates &c. quæ nullo pacto absque subjecto possunt extare, veluti ab ipso separatas consideramus. Sic accidit, dum albedo, extensio &c. absque corpore percipitur. 3. modo fit abstractio, cum in aliquo substantiæ accidente, modo &c. aliquam proprietatem perpendo velut ab aliis sejunctam. Hoc eveniret, si in motu directionem, ve-



velocitate non considerata, contemplarer. 4. tandem modo fit, cum plura a mente nostra inter se conferuntur individua, atque in omnibus illud tantum consideratur, quod est ipsis commune. Ex hac abstractione, ut vidimus (n. 81.) nascuntur ideæ universales.

83. Ideis illis, quibus archetypa, seu objecta correspondent, *reales* dicuntur: quibus vero nulla respondent, *Chimericæ* appellantur.

84. Si idearum archetypa extra mentem existant, tunc illis dicitur inesse *realitas existentiæ*: cujusmodi sunt omnes adventitiæ. His opponuntur *Chimericæ quoad existentiam*. Si vero objecta in ipsa sint mente, veluti cum aliquod ut possibile concipio, quod revera est tale, dicuntur *reales formales*, sive *reales possibilitatis*. His adversantur etiam *quoad possibilitatem Chimericæ*. Ideæ reales possibilitatis sibimet sunt objecta.

85. Si ideæ alicujus talis sit natura, ut ipsa percepta, altera etiam percipi debeat, tunc illa dicitur relationem ad istam habere, sive esse *relativa*. Sic quia non possum Patrem intelligere, quin Filium intelligam, idea Patris erit relativa. Ideæ vero absolutæ sunt illæ, quæ nullam ad alias habent relationem, ut idea hominis, corporis &c.

86. Quando ideæ referunt, quod res est, *positivæ*: quando vero, quod res non est, *negativæ* dicuntur. Exemplum priorum esset idea luminis, soni, doctrinæ &c. posteriorum vero idea tenebrarum, silentii, ignorantiæ &c.

87. Ultimo tandem si ideæ totum id referant, quod est in objecto, *adæquatæ* dicuntur: sin autem, *inadæquatæ* appellantur.

ARTICULUS VII.

De iis, quæ circa ideas istas observatione sunt digna.

88. ANtequam de ideis nostris judicium feramus, illud diligenter est animadvertendum, utrum illæ

læ ideæ arbitrariæ sint, seu chimericæ: an vero reales, & objectis suis correspondentes. Notum cuique est, quot falsas, & arbitrarias ideas ab infantia propter defectum accuratæ ratiocinationis hauriamus. Mulierculas inter pueriles annos transigimus, a quibus quot falsis ideis imbuamur, nemo non scit. Incerta adhuc fingimus pedum vestigia, cum Pædagogis, quibus si prima grammaticæ rudimenta demas, nihil prorsus superest, tradimur, atque ab his infinitis propemodum falsis ideis replemur. Si postea docti alicujus Præceptoris sub disciplina versemur, omnia ad ejus mentem percipimus: falsis autem ideis sapientes etiam laborare, quis ignoraverit? Longum esset omnes enumerare fontes harum chimericarum notionum. Ergo in id Philosophus nervos omnes intendat, ut, quantum fieri potest, ad examen ideas omnes revocet (iis exceptis, quas Deo aut per se, aut per alios loquente, acquisivimus) ut probe noscat, an reales sint, vel chimericæ. Abjicienda ergo sunt præjudicia quævis *auctoritatis*, *infantiæ*, *sapientiæ*, *honoris*, *dignitatis*, *æxistimationis*, *tituli*, *vitæ*, *generis*, *nationis*, *sententiæ*, *novitatis*, *antiquitatis* &c.

89. Pro certo habendum est, non res ab ideis, sed ideas a rebus pendere; diligenter igitur oservare debemus, utrum ideæ plane correspondeant objectis, antequam de objectis judicemus

90, Ideæ abstractæ nihil aliud sunt, quam compendium aliquod idearum singularium, quas singulas habere non possumus. Sic ex. gr. plures pyri plantas observo habentes inter se fere omnia communia in frondibus, floribus, cortice, fructibus, ideam pyri abstractam efformo, in eaque omnes contemplor cæterarum pyrorum proprietates (n. 81.) Cum igitur major semper sit rerum, quam idearum numerus, abstractionem necessariam esse nemo non videt. Præterquamquod omnia, quæ aspicimus, menteque contemplamur, aliquo pacto composita sunt: vidimus autem ad efformandas compositorum distinctas notiones opus esse, ut omnes ideæ simplices separatim considerentur (n. 63.) in hoc autem abstractio consistit (n. 82.)

ergo necessaria est quammaxime abstractio. At magis etiam necesse est, ut errores, in quos abstractione labimur, diligenter vitemus.

91. Et primo quidem ideas quasdam abstractas efformamus, quæ quid importent, nec ipsi scimus. *Scholarum Philosophi*, animadverit Vir. Cl. Genuen. in Log. l. 2. cap. 3. n. 7. *ad hæc confugia se adducebant, quum in difficillimis quæstionibus versarentur*. Hinc natæ tot distinctiones *nihili*, *ecceitatis*, *quidditatis*, *aliquitatis*, &c. Ne igitur ad jurgia potius alenda, quam ad veritatem assequendam abstractione utamur, clarissime, quantum fieri potest, notiones abstractæ definiantur.

92. Si primum modum abstrahendi demseris (n. 82.) clare videbis, in cæteris abstractionibus nulla archetypa ideis abstractis correspondere, sed ideas ipsas sibimetipsis esse objecta. Percipio hominem: compositum video ex animalitate, & rationalitate. Animalitatem intueor: numquid animalitas est objectum aliquod existens extra mentem? Non, ita sane, sed animalitas ista a mente percepta quanta quanta est, nihil est aliud, quam ipsa mentis idea; nullibi enim sola animalitas extra mentem existit. Cavendum igitur summopere est, ne a mundo ideali transitum faciamus ad realem, sive ne putemus, ideis abstractis aliquod correspondere objectum reale.

93. Vix dici potest, in quot errores scientiarum ferme omnium doctissimi etiam cultores ob defectum debitæ huic regulæ animadvertentiæ irrepserint. Undenam in scenam invecta fuit deridenda illa scholasticorum *materia prima*? ex ideis abstractis. Considerarunt, corpora omnia in ratione materiæ inter se convenire: discriminari tamen ob aliquod essentiale, quod *formam substantialem* appellarunt: quis error in hoc? nullus plane: at cum postea ex ideis hujusmodi abstractis transitum fecerint ad concretas, non solum putarunt, materiam istam revera in omnibus corporibus existere, verum etiam proprietates illi attribuerunt, & quasi animum: æxistimarunt denique, habere propriam absolutam existentiam, & miraculo Dei existere etiam sine ulla forma posse, cum interim non aliud

ma-

materia ista foret nisi simplex, puraque abstracta idea Peripateicarum mentium. Theologos etiam, Politicos, Œconomicos, Geometras, Ethicos in errorem istum prolapsos esse, advertit Abbas Gen. *Log. l* 2. *c.* 13. Denique., adderem ego, transitus iste ab ideali ad mundum realem phanatismo totam Litterariam Rempublicam replevit sæpe, & forsan nunc etiam replet.

94. Quod (n. 56.) considerandum monuimus, num scilicet ideæ nostræ adventitiæ sint, vel factitiæ, hoc ipsum diligenter perpendite, antequam de ideis realibus, tum quoad existentiam, cum quoad possibilitatem judicium ullum feratis, tales an sint, vel potius chimericæ, & arbitrariæ; persæpe enim aut tanquam existens, quod non existit, vel ut possibile illud habemus, quod est prorsus impossibile.

95. Diximus, nonnullas ideas esse absolutas, nonnullas relativas (n. 85.) at absolutæ illæ solum censeri debent, quæ substantivum aliquod referunt, ut idea saxi, ligni, Dei, hominis &c. ceterum reliquæ quæcunque ideæ pro relativis sunt habendæ, etiamsi primo intuitu non appareat relatio. Quod certe semper observare debet Philosophus ad *Logomachias* pene innumeras evitandas; fortis enim ex. gr. doctus, perspicax, eruditus, malus, bonus, dives, egenus, magnus, parvus, pulcher, deformis, dulcis, amarus &c. omnia dicuntur ex relatione ad loca, tempora, personas, mores, leges &c. Observatione ista si recte utamur, utilitatem pene immensam exinde hauriemus aut in disputationibus finiendis, aut in historicorum, cæterorumque auctorum libris manuversandis, nec non de iisdem in judicio ferendo. Lego ex. gr. fuisse aliquem doctum, & urbanum: nisi diligenter observem, qua floruerit ætate, quos inter, quibus instructus legibus, quammaxime hallucinabor; si enim inter barbaros vitam egerit priscis præsertim temporibus, cum Italis nunc comparatus, ignarus, & inurbanus censeretur certissime. Quæ copiæ Romuli tempore efficiebant Principem, nunc Equitem non ditarent. Sic de cæteris ratiocinando, perspecte videbitis, nos ne latum quidem unguem in

in scientiis addiscendis posse proficere, nisi Auctorum plures ideas relativas habeamus.

96. Tandem nullas ideas adæquatas habere; licet enim abstractæ simul, & chimericæ imagines filiæ, ut ita dicam, mentis nostræ haberi possint: cum tamen in iis compingendis adventitiarum auxilio semper utamur, cumque adventitias ideas nunquam adæquatas habeamus; eapropter ideæ hujusmodi solius supremi Numinis intima, & penitissima rerum omnium cognitione pollentis propriæ censendæ sunt.

97. Si ad traditas superiores regulas diligenter animum convertamus, non tam facile dum secundum ideas judicium ferimus, in eos labemur errores, qui frequentes occurrunt tum in familiaribus collocutionibus, cum etiam in disputationibus aut legendis, aut instituendis.

CAPUT II.

De idearum signis.

98. IN hominibus quibuscumque, & cujuscunque sint ætatis majorem esse viribus indigentiam, in confesso est apud omnes. Necesse igitur erat, ut qui brutorum in morem vitam degere non oportebat, a cæteris hominibus posset adjuvari: sed quomodo id obtinere unquam potuisset, nisi iis fuisset mediis instructus, quibus & indigentias proprias agnoscere, & aliis easdem communicare valuisset? Ergo propter utrumque ratione præditum Deus hominem formavit, & corpore, ut illa quid sibi foret necessarium cognosceret, & corpus ita moveret, ut ex iis motibus homines, quibus ostendebantur, in cognitionem idearum illius venirent. Motus autem isti sensibilia signa sunt appellati; signum enim sensibile illud est etiam per Aug. l. 2. de doct. Christiana c. 1. *quod præter speciem sui, quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire.*

99. Sed signorum hujusmodi duo sunt genera, alia

lia *naturalia*, alia *arbitraria* dicuntur. Naturalia certissima sunt animorum indicia, quales censentur interiectiones dolentis, vel gestientis, mutationes vultus, tremores artuum, aut exultationes; lingua enim ista non fallit. Sed signa hæc tanta non sunt, ut homini in societate viventi satis esse possint.

100. Necessaria igitur erant alia signa, quæ pro hominum posita arbitrio, ejus ideas, atque affectus exprimerent. Horum autem plures sunt species; nam quædam rebus constant: sic hædera ad fores appensa est signum arbitrarium vini vendibilis. Alia motu oculorum, capitis, pedum, manuum, digitorum fiunt. Cætera denique sonis articulatis, seu voce exprimuntur. *His omnibus præstamus vel maxime feris*, inquit Tullius lib. 1. de Oratore c. 8. *quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possimus*. Nulla autem tam copiosa sunt, atque facilia, quam voces in cultis præsertim idiomatis. De sermonis origine disputarunt jam olim acerrime Philosophi: quidquid tamen de ea sit, de qua ne divinari quidem quidquam possumus, certum id est, Logici maxime esse de vocabulorum natura, usu, fine, & interpretatione disserere, cum vocabula aliud non sint, nisi signa idearum nostrarum: & notiones nostræ adeo ab infantia cum vocabulis quasi conjunctæ, & colligatæ sint, ut sit difficillimum rerum scientiam habere sine scientia vocabulorum.

Articulus I.

De vocabulis.

101. Quidquid de ideis diximus, (n. 64.) id omne æquo jure potest de terminis, seu vocabulis affirmari; igitur alia sunt vocabula *concreta*, alia *abstracta*, alia *absoluta*, alia *respectiva* &c. quod intelligi debet relate ad ideas, quarum sunt signa; vocabula enim ex seipsis omnia sunt ejusdem naturæ, cum omnia voce efformentur.

102. Sunt

102. Sunt tamen plura, quæ mens distincte percipit, nec tamen distincte vocibus exprimit. Hinc terminus oritur *univocus*, *æquivocus*, *analogus*. Univocus est, qui pluribus tribuitur secundum eamdem significationem, ut *homo*, qui Petro, Paulo &c, aliisque hominibus aptatur: contra vero æquivocus est ille, qui pluribus secundum nomen quidem tribuitur, at non secundum eamdem significationem, ut vox canis, quæ animal domesticum, & marinum, & etiam sydus quoddam significat. Analogus postremo terminus ille vocatur, qui pluribus tribui solet, quatenus vel eamdem rem diverso modo significat (ur vox sanum, quæ dicitur de homine, medicina, & urina, sed diverso modo, quia de homine dicitur, quatenus est subjectum sanitatis: de medicina, quatenus est illius causa: de urina, quatenus est ejusdem signum:) & hæc *analogia* dicitur *attributionis*: vel eodem modo diversas res exprimit: sic nomen capitis, quod & supremæ convenit parti montis, & hominis, & *analogia* ista dicitur *proportionis*. *Univoce* tandem *prædicari* idem est, ac *prædicari essentialiter*, ut Petrus est homo. Unde aliquod potest univocum prædicatum esse, ut albedo respectu lactis, & nivis, licet univoce non prædicetur:

103. Præter recensitas observationes, quæ iu usu tantum vocabulorum, non vero idearum, locum habere possunt, nonnulla alia tradenda sunt scitu admodum necessaria, ut in scientia non philosophica tantum, sed & alia quacumque proficere aliquo pacto possimus.

104. Cum ergo vocabula nihil sint aliud (saltem in præsentiarum; de prima enim originaria lingua nec definimus quidquam, nec disputamus) quam voces hoc, vel illo modulatæ modo secundum unicum, purumque hominum arbitrium, evidenter constat, vocabula nonnisi ideas exprimere, aut ejus, qui loquitur, aut illius, cujus nomine loquitur. Satis igitur superque patet, plurimum illos hallucinari, qui in vocabulis interpretandis, non ea ad notiones loquentis, aut ejus, unde loquens accepit, Auctoris, Gentis, vel Sectæ sui temporis, sed

ad proprias referunt notiones. Hinc fit, ut qui librum legit, aut alterum alloquitur, omnia non ex illius, sed ex proprio penu depromat: causa certe non dubia, ob quam, aut Veterum mentem non assequimur, aut inter disputantes lites nunquam finiuntur. Scriptores Sacri, Spinozistæ etiam cum de Summo Numine loquuntur, perlegantur: ut illud exprimant, vocabulo *Deus* utrique utuntur. Si igitur quis inde vellet inferre, recte de Deo fuisse Spinozam opinatum, Scriptoresque Sacros cum eodem convenisse, proculdubio errabit quammaxime: Spinoza vocabulo illo nonnisi mundum: Scriptores Sacri nonnisi mundi Creatorem, a se, omnipotentem intellexerunt.

CANON I.

105. Vocabula igitur non ex propriis notionibus interpretator, sed ex ejus mente, qui illis utitur. Quæ de ideis relativis (n. 95.) diximus, perlegantur.

106. Consuetudine ipsa vitæ alter error circa vocabula firmatus est, ut nempe credamus, vocabulis non ideas, sed res ipsas exprimi, hinc si Scholasticum interroges Philosophum: quid sit Angelus? respondebit statim: Spiritus: quid homo? animal rationale: atque hisce vocabulis putabit forsan, se hominis, Angelique essentiam explicasse: quod quam falsum sit hoc canone evincitur.

CANON II.

107. Vocabula nonnisi ideas (n. 100. 105.): ideæ essentias non exprimunt. Ergo ne credito, vocabulis rerum essentias explicare.

108. Scriptorum veterum linguam, mentem, notionesque probe assequi semper magni, persæpe inutilis laboris est: semetipsum autem explicare, aut loquentem intelligere optime quis poterit, si vocabula, quibus ipse aut alloquens utitur, perspicue definiat. Operæ igitur pretium est, sermonem nunc instituere de definitione. Sit igitur,

Ar-

ARTICULUS II.

De vocabulorum definitione.

109. Quod hucusque egimus, explicando nempe, quid ex. gr. sit idea distincta, quid signum &c. id dicitur definire. Definitio itaque *est perspicua ejus explicatio, quod in re, vel in nomine est obscurum, & involutum. In re*, dicitur, *vel in nomine*; aliud est enim explicare, quid vocabulo aliquo intelligamus, aliud exponere, quid res sit.

110. Alia est igitur *Rei*, alia *Nominis definitio*. Definitio rei illa est, qua notiones exponimus, quas de re habemus. Quoniam vero res aut secundum essentiam, aut secundum attributa quædam ad essentiam non pertinentia possunt cognosci, ideo rei ipsius definitio alia essentialis est, alia accidentalis. Sic quia in hominis essentia nihil aliud nos deprehendimus, nisi animalitatem & rationalitatem, si quis quærenti, quid homo sit? Animal rationale: responderit, definitionem hominis essentialem dicetur adduxisse. Contra vero, si quis hominem affirmaverit: animal bipede, mortale &c. ejusdem accidentalem definitionem tantum adducet.

111. Nominis autem definitio tunc affertur, quando palam fit, quid ipso nomine intelligatur, ut cum dico: nomine Logicæ eam intelligo facultatem, quam nunc vobis trado. Ideo definitio ista nominis dicitur, quia notionem non explicat, quam de Logica habeo, sed determinat duntaxat significationem illam, quam huic vocabulo tribuo.

112. Definitio idcirco nominis differt ab etymologia ejusdem; hac enim aperitur nominis origo, ut cum dicitur: Logica a *Logos*.

113. Alia est etiam definitio, quam Wolfius appellat *geneticam*, eaque est, qua explicatur res per modum, quo fit, vel fieri potest: sic si dixerim: merum est succus ab uvis expressus, atque fæcis expurgatus, definitionem vini geneticam adduxero. Ra-

Regulae optimae definitionis.

114. Regula 1. Definitio sit clarior re definita, alias non exponeretur quod est obscurum. Idcirco in condendis definitionibus *opera danda est*, sicut inquiebat Tullius l. 4. de Finibus cap. 20. *ut verbis utamur quam usitatissimis, & quammaxime aptis*, ideft rem declarantibus.

115. Regula 2. Definitum definitionem non ingrediatur; tunc enim idem per idem exponeretur, sive ignotum per aeque ignotum. Et idcirco nullus in definitione adhibendus est terminus, ad cujus definitionem res ipsa definita pertineat. Sic perperam se gereret, qui horologium definiret per complexum rotarum invicem dentibus colligatarum &c. postea vero rotam ipsam horologii partem tantum diceret. Qui sic definiunt, circulum vitiosum in definiendo agere dicuntur; eo enim redeunt, unde digressi initio fuerant.

116. Regula 3. Definitio sit brevior, quo fieri potest. Loquimur hic de definitionibus, quae adduci solent in disputationibus ore, aut calamo instituendis: non vero de definitione oratoria, quae, ut monet Tullius *l. de Oratore cap.* 33. ornata esse debet.

117. Regula 4. Nec latior, nec angustior sit definito, & cum illo reciprocetur. Manca propterea esset definitio ista: homo est animal; non enim converti potest dicendo: animal est homo.

118. Regula 5. Debet definitio constare ex genere, & differentia; tunc enim ideam rei habemus distinctam, quando & aliquid aliis commune, & aliquid sibi duntaxat proprium in re elucet. (n. 36.)

119. Regula 6. Si res nonnisi per proprietates definiri possit, satis erit illarum unam in definitione afferre; tunc enim satis res ipsa per definitionem determinatur: sic optima est haec definitio hominis: homo est animal risibile.

120. Regula 7. Si vero sit aliquod definiendum per attributa aliis communia, tot enumerari debent, quot

simul

ſimul ſumpta rei definitæ duntaxat convenire poſſunt, & conveniunt reapſe; tunc enim definitio, ut fieri debet, cum re definita convertetur (n. 117.)

121. Octavam addunt alii, quod nempe definitio ſit poſitiva; tunc enim ex genere, & differentia conſtabit. Regula iſta ſervanda certe eſſet in definitionibus rei: at in definitionibus nominis nequit ſemper ſervari.

122. Definitio nominis, ut diximus (n. 111.) nihil eſt aliud niſi determinatio ejus, quod vocabulo allato intelligimus: vocabula autem ſunt ad placitum (n. 100.) ergo & definitio iſta erit prorſus arbitraria. Igitur

Canon I.

123. In diſputationibus definitiones nominis, dummodo claræ ſint, inſtar axiomatis accipito. Nec unquam de nomine litem moveto.

124. De rerum autem defintione loquendo, res contra ſe habet; cum enim rei definitio poſſit eſſe falſa (n. 110.) non licet ſtatim axiomatis loco eam aut recipere, aut proponere, ſed demoſtranda prius eſt. Igitur

Canon II.

z25. Caveto, ne nominis definitiones cum definitionibus rei confundas. Rei definitiones prius probato, dein principii loco aſſumito: ſi ſecus faxis, decipieris.

126. Non raro accidit, ut quod in vocabuli definitione fuit allatum, in re quoque extare credatur, quod plerumque falſum eſt. Sic nihil prohibet, quominus coloris nomine qualitatem intelligam abſolutam, fallar tamen, ſi in corporibus qualitates iſtas credam extare. Sit ergo

Canon III.

127. Ne putato, ea quæ nominis ingrediuntur definitionem, in re definita ſemper extare.

ARTI-

Articulus III.
Quid sit: & quomdo facienda divisio.

128. Claram, distinctamque rerum ideam acquirere nos nunquam posse, nisi res, quas contemplamur, in certas veluti classes distribuamus, jam diximus (n. 41.) operæ igitur pretium erit paucis nunc tradere, quid divisio sit, & quomodo peragenda.

129. *Divisio* nihil est aliud, quam totius in suas partes distributio. Quotuplex igitur erit totum, totuplex erit & divisio. Cum ergo *totum* aliud *potentiale* sit, aliud *essentiale*, *integrale* aliud, aliud *accidentale*, ipsa itidem divisio alia *potentialis* est, alia *essentialis*, alia *integralis*, alia *accidentalis*.

130. *Totum potentiale*, seu *logicum* est idea quæcumque universalis per differentias in plura divisa, ac ad illa determinata. Sic animal, quod per rationalitatem, & irrationalitatem divisum ad homines, belluasque determinatum concipitur, dicitur *totum potentiale*. Divisio ergo potentialis est distributio superioris in inferiora, nimirum generis in species, & speciei in individua.

131. *Totum essentiale* est id omne, cujus essentia ex pluribus constat. Sic homo dicitur totum essentiale, si spectetur quatenus ex anima rationali coalescit, & corpore. Hinc *divisio essentialis* est distributio rei in suas partes essentiales.

132. *Totum integrale* vocatur illud, quod ex pluribus constat extra se invicem positis, quorum unum in existendo non dependet ab altero: plura autem ista dicuntur *partes integrales*. *Divisio* ergo *integralis* est rei partitio in suas partes integrales.

133. *Totum* denique *accidentale* est id omne, quod ex subjecto, & accidente consurgit, ut album, quod ex corpore, & albedine coalescit. *Divisio* ergo *accidentalis* fit, cum vel subjectum per accidentia dividitur: sicuti dum in album, & nigrum corpus secernitur; vel cum accidentia per subjectum dividuntur: ut cum bonitas in bonitatem animi, & corporis dispescitur; vel tandem cum in

accidentalia totum accidentale dividitur: ut cum distribuitur album in amarum, & dulce,

REGULÆ OPTIMÆ DIVISIONIS.

134. Regula 1. Divisio sit brevior, quo fieri potest; *dividi enim illam rem, non concidi utile est. Nam comprehendere quemadmodum maxima, ita & minima difficile est*, inquit Seneca *epist.* 90.

135. Regula 2. Divisio sit adæquata, talis nempe, ut membra divisionis simul sumpta neque totum divisum excedant, nec ab illo deficiant: *obtinendum*, inquit Quintil. l. 4. Inst. Orat. c. 5. *ne quid in ea desit, ne quid superfit*: sic superflua esset divisio animalis in rationale, irrationale, & equinum. Contra vero manca foret divisio viventis in hominem, & belluam, quia etiam plantæ vivunt.

136. Regula 3. Membra divisionis sese mutuo excludant, ita nempe, ut unum in altero non contineatur, ut monet Tull. *lib.* 2. *de Finibus c.* 9. Peccaret igitur divisio ex. gr. animalis in humanum, & sensitivum, cum omne humanum sit etiam sensitivum.

137. Regula 4. Divisio tandem fiat in membra proximiora, seu immediata. Non rite igitur animal divideretur in Franciscum, Dominicum, & Antonium, cum animali rationale, & irrationale subjiciantur immediate.

CAPUT III.

De judicio, & propositione.

138. NOn exigua veterum Logicarum pars in hoc tota erat, ut vias doceret atque modos, quibus judicia, propositionesque essent formanda: plurima non inutilia tantum erant, sed & ad praxim nunquam reducibilia. Nobis cum maxime cordi sit necessaria ob inutilia non omittere: nec præterea hominem formare, sed docere tantum velimus, ne erret in judicando, paucis contenti

ti erimus, illos duntaxat indigitantes scopulos, quibus nisi moneantur, queunt facillime homines illidere. Qui tamen plura de re ista cupit, adeat Scholasticos Tractatores, & inter recentes etiam P. Fort. a Brix. *Log. P. 2. sect. 3.* nec non Auctorem *Artis cogitandi part. 2.*

ARTICULUS I.

De propositionis natura, ejusque multiplici divisione.

139. DUM mens aliquid contemplatur, eique aliud convenire, vel non convenire affirmat, judicare dicitur; est igitur *Judicium* actus intellectus, quo unum de altero affirmatur, vel negatur. Evidens est ergo, in omni judicio binas saltem occurrere ideas vel componendas simul, vel ab invicem sejungendas: harum autem idearum una dicitur *subjectum*, altera *prædicatum*: verbum, quo simul uniuntur, vel quo separantur, dicitur *copula*. Idea illa, de qua affirmatur, vel negatur aliquid, est subjectum: id vero, quod de alio affirmatur, vel negatur, dicitur *prædicatum*. Sic in ista propositione: Deus est justus, Deus est *subjectum*: *copula* est: justus *prædicatum*.

140. Accidit plerumque, ut in propositione subjectum aliquando (ut: sum vivens) aliquando prædicatum (ut: Petrus currit) non raro utrumque reticeatur (ut: veni) subjectum tamen, & prædicatum semper subintelliguntur. Sic: sum vivens, in istam resolvitur: ego sum vivens. Petrus currit: eadem est, ac Petrus est currens: veni: non aliud importat, quam: ego fui veniens.

141. Propositio quælibet aut affirmans est, aut negans: sed animadvertendum diligenter est, propositionem negativam non esse, nisi negatio verbum, seu copulam afficiat immediate, non vero subjectum, & prædicatum. Sic negativa non esset ista, non homo est Angelus, in qua negatio subjectum duntaxat afficit: nec alia, in qua prædicatum solum negatione afficeretur, ut: Petrus est non albus: sed utraque diceretur *indefinita*, quia in prima su-

bjectum: in secunda prædicatum non determinatur.

142. Bifariam propositio dividitur, ratione materiæ, & ratione quantitatis. Ratione itaque materiæ, vel propositio est *necessaria*, vel *contingens*, vel *possibilis*, vel *impossibilis*. Necessaria est, cujus termini necessario conjunguntur, ut cum dico: triangulum est trilaterum. Contingens, cujus termini per accidens tantum junguntur, ut si dicerem: homo est doctus. Possibilis, cujus termini possunt simul uniri, ut cum dico: Vos eritis Philosophi. Impossibilis, cujus termini nequeunt conjungi, ut si dicam: Deus morietur.

143. Quando propositiones afferuntur, ut in allatis exemplis, tunc dicuntur *absolutæ*: quando vero modus ipse, quo prædicatum subjecto convenit, exprimitur, dicuntur *modales*, ut: possibile est, te esse logicum: necesse est, triangulum esse trilaterum. Ut propositiones modales affirmativæ sint, vel negativæ, affirmatio aut negatio non supra copulam, sed supra modum cadere oportet. Sic ista non est negativa: necesse est, Deum non esse impium: nec ista censetur affirmativa: non est necesse, hominem esse album.

144. Ratione pariter materiæ alia est propositio composita, alia simplex. *Simplex* dicitur, quæ uno duntaxat subjecto, unoqne prædicato coalescit, ut: Petrus quiescit. *Composita* vero, quæ vel pluribus subjectis, vel pluribus prædicatis, vel utrisque simul pluribus constat, ut propositiones istæ: Petrus, & Paulus fuerunt Apostoli: Joannes fuit Apostolus, & Evangelista: Andreas, & Mathæus fuerunt Apostoli, & Martyres.

145. Si compositio sit manifesta, propositio dicitur *composita explicite*: si vero sit abdita, & paulo obscurior, propositionem facit *compositam implicite*, seu *exponibilem*. Propositionum explicite compositarum sex species a Logicis enumerantur. Prima *copulativas* continet, eæque sunt, quarum partes per particulam *&*, vel *nec* in uno verbo conjunguntur. Ex. gr. Galenus fuit & medicus, & Princeps medicorum: Galenus nec medicus fuit, nec Princeps medicorum.

146. Ut

146. Ut copulativa sit vera, omnes ejus partes debent esse veræ: si una fuerit falsa, falsa itidem tota erit propositio. Sic ista est falsa ob defectum ultimæ partis: Sacerdos prudens, & pius, & sanctus, & dives esse debet.

147. Secunda continet *disjunctas*, quarum membra disjunguntur per particulam *vel*, *aut* &c. ex. gr. omne animal aut homo est, aut bellua.

148. Partes hujus propositionis ita debent esse comparatæ, ut sibi mutuo adversentur, nullumque medium admittant: sin autem, falsa erit tota propositio. Sic ista: homo aut doctus est, aut sanctus: falsa est; sanctitas enim, & doctrina non opponuntur.

149. Tertia *conditionales*, seu *hypotheticas*, quarum membra per particulam *si* copulantur. Ex. gr. salvabitur peccator, si pœnitentiam egerit. Pars illa, quæ regitur a particula, *si*, *antecedens*, altera *consequens* dicitur, quocumque loco ponatur.

150. Si propositionis istius ita conjunctæ sint partes, ut verum esse nequeat antecedens, nisi sit verum consequens, & propositio erit vera: aliter utcumque partes essent veræ, nisi una ab altera necessario penderet, falsa esset propositio: sic falsa est ista: si homo est doctus, est pulcher; nulla enim est connexio antecedens inter, & consequens.

151. Quarta *causales*, quæ duas habent partes, quarum una ponitur pro causa alterius. Ex. gr. quia Deus auxiliatur nobis, bene vivimus.

152. Nisi pars causali particula affecta sit vere causa, seu ratio, ob quam altera pars est vera, tota causalis est falsa; falsa igitur erit ista: quia homo vivit, ratiocinatur; vita enim non est causa ratiocinationis.

153. Quinta continet *discretas*, quæ duo complectuntur judicia de eodem subjecto, quorum unum affirmans est, alterum negans, ut hæc Horatii: *& mihi res, non me rebus submittere conor.*

154. Inepta erit propositio discreta, nisi partes illius aliquo pacto invicem opponantur. Ridicula igitur esset ista: Paulus annunciabat Evangelium creaturis, & tamen erat

ſanctus; ſanctitas enim, & evangelizatio mirifice potius conveniunt, quam ſibi mutuo adverſentur.

155. Sexta tandem continet *relativas*, ſeu *relatas* illæque ſunt, quarum una pars ad alteram refertur, & ab ea vim ſumit. Hujuſmodi eſt celebre illud Thaletis: *qualem gratiam parentibus tuis retuleris, talem a liberis tuis expecta*: & illud Juvenalis: *tanti es, quantum habes*.

156. Veritas harum propoſitionum ab accurata comparatione dependet.

157. Propoſitiones latentem compoſitionem habentes ad quinque claſſes ſolent vulgo referri: ſunt autem *excluſivæ*, *exceptivæ*, *comparativæ*, *inceptivæ*, & *deſitivæ*. Propoſitio *excluſiva* dicitur illa, cujus ſubjectum, vel prædicatum particula excluſiva *tantum*, *duntaxat* &c. affectum eſt. Si hujuſmodi particula prædicatum afficiat, ſignificat, nullum aliud prædicatum convenire ſubjecto, ut ſi dicerem: viſio Dei eſt ſola beatitudo noſtra: ſenſus propoſitionis eſſet iſte: viſio Dei eſt beatitudo noſtra: nihil aliud hominem beat. Si vero excluſiva particula ſubjectum afficiat, tunc alia quælibet intelliguntur excluſa a participatione prædicati. Exemplum eſſet: Deus tantum eſt æternus: quæ in has reſolvitur: Deus eſt æternus, & nullus alius eſt æternus.

158. Veritas propoſitionis excluſivæ poſtulat, ut ſingulæ illius exponentes ſint veræ (*Exponentes* vocantur propoſitiones illæ, in quas implicite compoſita reſolvitur) Summa autem cautela utendum eſt in propoſitionibus excluſivis aut recipiendis, aut emittendis; cum enim difficile admodum ſit determinare illud duntaxat, quod uni ſubjecto convenit, aut ſubjectum illud unicum, cui prædicatum aliquod aptari poteſt (ſic enim cognoſci deberent aut omnia ſubjecta exiſtentia, aut ſubjecti alicujus eſſentia) ſequitur, nos nonniſi caute recipere, & efformare debere propoſitiones aut de ſubjecto, aut de prædicato excluſo.

159. Propoſitiones *exceptivæ* eædem ferme ſunt, ac excluſivæ, cum hoc tantum diſcrimine, quod in excluſivis aut a ſubjecto cætera excluduntur præter prædicatum allatum, aut a participatione prædicati ſubjectum tantum adductum non removetur, cæteris excluſis: in excepti-

ceptivis vero unum, vel aliud tantum excluditur. Propositionis exceptivæ particulæ sunt *præter*, *excepto* &c. Talis est ista: omnes Apostoli salvi facti sunt præter Judam.

160. Resolvitur & ista in duas propositiones non secus ac exclusiva, ejusque veritas sicut illius exigit, ut singulæ exponentes sint veræ.

161. Propositio *comparativa* ea est, in qua prædicatum tribuitur subjecto secundum aliquem gradum per comparationem ad aliud, cui prædicatum illud simpliciter tribuitur. Hujusmodi est illa Thaletis: *omnium difficillimum est nosse seipsum*, quæ in has resolvitur: omnis rerum cognitio difficilis est, sed maxime difficile est nosse seipsum, quæ est altera.

162. Ut propositiones hujusmodi sint legitimæ, prædicatum debet utrique subjecto convenire, alias ridiculæ sunt: ut ista: Petrus fuit justior Juda proditore, quia in hoc nulla fuit justitia.

163. Propositiones *incæptivæ* eæ sunt, quæ initium rei alicujus indicant: ut ista: ab Adamo cæpit humana generatio: quæ in binas istas resolvitur, nempe: 1. ante Adamum nondum homines gignebantur: 2. primus autem eorumdem genitor fuit Adam. E contra vero illæ appellantur *desitivæ*, quæ rei alicujus finem designant. Hujusmodi foret ista: Constantini tempore Idololatria Romæ cecidit: quæ etiam istis æquivalet: usque ad Constantinum Roma Idololatra fuit: deinde vero non amplius.

164. Omnis incæptiva desitivam continet, & vicissim, sed utraque debet esse vera, ut tota propositio veritatem obtineat.

165. Dantur tandem propositiones *incidentes*, eæque sunt, quæ per pronomina *qui*, *quæ*, *quod* exprimuntur, alterique junguntur, quæ *principalis* dicitur, ut in hac apparet: Deus, qui eduxit Judæos ex Ægypto, est omnipotens.

166. Jam vero incidens propositio vel explicat subjectum propositionis principalis, ut cum dicitur: Alexander, qui vocatur magnus, fuit dux Exercituum: vel

determinat subjectum ipsum, ut si dicas: homines, qui ex Deo nati sunt, vocantur Filii Dei. Si igitur incidentes sint tantum explicativæ, in veritatem principalium non influunt, ac per consequens seu veræ, seu falsæ sint, nihil principalium interest, nec sunt nimium urgendæ. Maxime vero ad veritatem pertinent principalium, si determinativæ, seu restrictivæ sint, ut patet.

ARTICULUS II.

De reliquis enunciationum proprietatibus.

167. Breviter nunc considerandæ supersunt quatuor aliæ propositionum proprietates, *quantitas* scilicet, *oppositio*, *conversio*, *& æquipollentia*. Ratione quantitatis enunciatio quælibet aut *infinita* est, aut *universalis*, aut *particularis*, aut *singularis*. *Quantitas propositionis* est extensio, quam in propositione habet subjectum. Si igitur subjectum latissime pateat, sed nullo afficiatur signo universali, propositio erit indefinita, ut: *initium sapientiæ est timor Domini*: homines ratiocinantur &c. Hæ vero propositiones in materia necessaria universalibus (n. 67.) æquivalent: in materia vero contingenti æquivalent particularibus (n. 66.)

168. Si autem subjectum sit universale, ut: omnis homo est mortalis: nemo est sua sorte contentus: propositio est *universalis*. Si subjectum fuerit particulare, *particularis* erit quoque propositio, ut: aliquis homo est justus. Tandem tunc enunciatio *singularis* est, quando subjectum est singulare, sicut in ista: luna radios solares reflectit.

169. In propositionibus modalibus (n. 143.) quantitas attenditur a modis, unde *necesse est* valet *omnis*: *impossibile est* valet *nullus*: *possibile*, & *contingens* idem valent ac *quidam*.

170. Placuit Logicis omnes hujusmodi propositiones ad universales, & particulares reducere: quæ tamen cum possint esse vel affirmantes, vel negantes, satis constat

ſtat, omnes enunciationes ab ipſis conſiderari, vel ut univerſales affirmantes, vel negantes: vel ut particulares ajentes, vel negantes, quod brevitatis cauſa his quatuor ſymbolicis litteris voluerunt expreſſum, contentumque hoc dyſtico.

Aſſerit A. negat E: ſed univerſaliter ambo.
Aſſerit I. negat O: ſed particulariter ambo.

171. Utilitatem maximam in interpretandis aliorum ſcriptis percipiemus certiſſime, ſi ea, quæ circa quantitatem propoſitionum tradunt Auctor *Artis cogitandi*, & Cl. Genuenſis *Log. c.* 15. *n.* 4. *&* 5. memoriæ mandaverimus, hiſque uſi fuerimus in praxi. Univerſalitas propoſitionum, inquiunt ipſi, vel metaphyſica eſt, vel moralis: in propoſitiones univerſales metaphyſice nulla cadit exceptio, bene vero in univerſales moraliter: ex. gr. dum dicitur omnis homo eſſe animal, nullum profecto individuum a participatione animalis excluditur: ſi autem dicam: omnis homo eſt mendax: hæc propoſitio eſt moraliter tantum univerſalis; ſi enim metaphyſice univerſalis habeatur, falſa eſt; datur ſiquidem homo aliquis, qui mendax non eſt. Cum autem difficile admodum ſit primo intuitu cognoſcere, utrum Auctor propoſitionem emiſerit vel metaphyſice, vel moraliter univerſalem, id erit detegendum 1. ex mente Auctoris. 2. ex modo loquendi, 3. ex rerum, de quibus agitur, natura.

172. Quædam deinde ſunt propoſitiones (pergit Gen. laud.) univerſales, quæ de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum ſunt accipiendæ. Sic dum dicitur omne animal fuiſſe in arca Noe, ſenſus eſt, ex quocumque animalium genere aliquod individuum illic fuiſſe receptum. Hæc, ipſemet concludit, *diligenti indagine ſunt inveſtiganda, quo genuinus Auctorum ſenſus eruatur.*

173. Propoſitionum *oppoſitio* eſt duarum propoſitionum idem ſubjectum, idemque prædicatum habentium diſconvenientia vel penes formam tantum, quatenus una eſt affirmativa, altera negativa: vel penes quantitatem, quando ſcilicet una particularis eſt, altera univerſalis:

vel

vel penes utramque simul, quod evenit, dum una ex. gr. universalis est affirmativa, particularis alia, & negativa. Quatuor hinc emergunt oppositionum species; vel enim enunciationes pugnant quantitate solum, ut hæ: omnis homo est justus: aliquis homo est justus: & dicuntur *subalternæ*: vel pugnant forma duntaxat, sed ambæ universales sunt, sicut istæ: omnis homo est mendax: nullus homo est mendax: & appellantur *contrariæ*: alias si forma quidem opponantur, sed utraque particularis sit, ut in istis: aliquis homo currit: aliquis homo non currit, tunc *subcontrariæ* dicentur: vel tandem penes formam, & quantitatem opponuntur, sicut in istis apparet: omnis homo est animal: aliquis homo non est animal: & *contradictoriæ* nuncupantur. Ad contradictorias revocantur *singulares*, quarum una affirmans sit, altera negans, quia pugnant quantum pugnare possunt, ut hæ: Christus est mortuus: Christus non est mortuus.

* 174. Circa propositiones subalternas hæ leges sunt observandæ. 1. Si propositio universalis est vera, particularis quoque erit talis. 2. In materia contigenti potest esse falsa propositio universalis, & vera particularis. 3. In materia necessaria nequit esse vera, vel falsa propositio universalis, quin talis etiam sit particularis.

175. Leges contrariarum sunt istæ. 1. In nulla materia possunt esse ambæ veræ, sed si una est vera, altera sit falsa necesse est. 2. In materia contingenti possunt esse simul falsæ. 3. In materia necessaria si una est vera, altera est falsa, & vicissim.

176. Subcontrariæ his subjiciuntur legibus. 1. In nulla materia possunt esse simul falsæ. 2. In materia contingenti possunt esse simul veræ. 3. At in materia necessaria una semper vera, altera falsa esse debet.

177. Una duntaxat adest contradictoriarum lex, quod nempe in nulla materia nec necessaria, nec contingenti possint esse simul veræ, vel falsæ.

178. Hisce omnibus prudens, doctusque Præceptor sua poterit exempla adjungere, quæ facile menti obverIabuntur.

179. Observandum tamen est, ad veram oppositionem,

nem , quæcumque illa sit , duarum propositionibus non sufficere , ut istæ idem subjectum, idemque habeant prædicatum , sed debere quoque easdem omnes præferre relationes ; unde nullæ ex istis sunt oppositæ. Petrus studet , Paulus non studet . Paulus fuit Apostolus , Paulus non fuit Princeps Apostolorum . Petrus fuit Episcopus , Petrus non erit Episcopus . Paulus mortuus est Romæ , Paulus non est mortuus Chorinthi ; quia in prima non est idem subjectum, in secunda diversum est prædicatum, variat in tertia tempus , in quarta vero idem non adducitur locus , cum oppositio debeat esse de eodem secundum idem .

180. Quæres, cui bono sit usus oppositionis? Maximo proculdubio . Cognoscimus in primis per ipsam , quanta sit vis propositionis , & consequenter ex veris quænam sint falsæ; hinc si canones , leges , sancita Conciliorum , decreta Pontificum perlegamus , videbimus statim media oppositione ex jussis quænam fuerint vetita . Proscripta in Jansenio fuit hæc propositio : ***in statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistitur*** . Igitur ipsi opposita erit vera : contraria efformetur sic : ***in statu naturæ lapsæ interiori gratiæ semper resistitur*** . Cum propositiones istæ sint in materia contingenti , possunt esse simul falsæ (n. 175. leg. 2.) & revera sunt ; fiat ergo ei contradictoria hoc pacto : ***interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur*** : certo sciam , propositionem istam esse veram , quia contradictoriæ in nulla materia possunt esse ambæ falsæ (n. 177.) Inservit 2. oppositio adversariis revincendis contumacibus , dum propositiones negant certissimas; si enim negatæ propositionis oppositam feceris , & hanc quoque adversarius perneget , aut contradictionis redarguetur , aut veluti rationis incapax deleretur .

181. Propositionum *conversio* est mutatio subjecti in prædicatum , & prædicati in subjectum . Sed quoniam , mutato subjecto in prædicatum , & vicissim , non semper vera remanet propositio , sequentes regulæ sunt observandæ . 1. Propositio particularis affirmativa , & universalis negativa convertuntur simpliciter , prædicatum nempe fit su-

subjectum, & subjectum prædicatum. Si enim veræ sunt istæ: aliqua bruta cognitionem habent: & nullus homo est Angelus: veræ quoque erunt istæ: aliqua cognitionem habentia sunt bruta, & nullus Angelus est homo. 2. Universalis affirmativa convertitur tantum in particularem. Si enim vera est ista: omnis homo est risibilis: vera quoque erit alia: aliquod risibile est homo. Potest tamen etiam universalis affirmativa converti aliquando simpliciter, quando nempe est in materia necessaria, & attributum non patet latius subjecto. Sic in altero exemplo: omnis homo est risibilis, optime convertitur: omne risibile est homo. 4. Particularis negativa nullo modo convertitur.

182. Inservit etiam conversio ad detegendam propositionum veritatem, & adversarios revincendos. Sed æquipollentia quamnam attulerit unquam utilitatem, non video: breviter tamen, quid illa importet, explicemus.

183. Æquipollentia utimur, cum propositiones oppositas inter se conciliamus, & ad eamdem significationem reducimus per particulam *non*. Hæc particula igitur conciliat contradictorias, si alterius subjecto præponatur: conciliat contrarias, si postponatur: conciliat subalternas, si postponatur, & præponatur. Si quis inutiles has regulas scire cupiat fusissime expositas, adeat Scholasticos Logicos, qui molestis æque, ac frigidis carminibus regulas obscurissimas complectuntur. Nobis de hac re satis.

CAPUT IV.

De vero, & falso

184. EO tantum scientiam quamcumque tendere, ut veritatem a falsitate secernat, in confesso est apud omnes; si enim hoc valeat mens nostra præstare, jam & rectum de rebus ipsis judicium ferre, & præjudicatas opiniones devitare facillime poterit. Scopus ergo logicalium canonum præcipuus hic sit oportet, ut quæ ad veri, falsique cognitionem, atque accuratam unius ab altero distinctionem perducunt, in aperto constituant. Hoc igi-

igitur in capite breviter quidem, quantum fieri potest, at clare simul, & distincte nitemur errores illos adnotare. in quos, dum veritatem inquirunt, persæpe homines labuntur, & remedia illa præscribere, quibus lapsus facillime evitentur. Sit itaque

ARTICULUS I.

De propositionum censuris, quæ in usu sunt apud Philosophos.

185. Dupliciter potest veritas considerari, relate nempe ad mentem, & ad objecta. Prima dicitur *formalis*, *objectiva* altera nuncupatur. *Veritas formalis* est conformitas judiciorum nostrorum cum ideis: *veritas* vero *objectiva* est ipsa conformitas objecti cum judicio. Si corpus contempler, in eoque videam colorem album, & mente dixerim: corpus est album: utramque veritatem dicor assequutus: formalem quidem; judicium enim pendet ab ideis: objectivam vero, quia in hypothesi corpus illud tale est, quale a me deprehenditur. Facile erit hinc *falsitatem formalem*, & *objectivam* definire.

186. Patet ergo, quo pacto possit aliquis falsum affirmare, nec tamen mentiri; si enim judicium suis ideis conforme effecerit, veritatem erit assequutus: si autem judicium istud objectis non correspondeat, falsum pronunciabit.

187. Propositio quælibet aut *necessario vera* est, aut *contingenter* duntaxat. Illa censetur *necessario vera*, quæ ita talis est, ut aliter esse non possit. *Vera* autem *contingenter* est illa, quæ vera quidem est, at mutatis circumstantiis falsa esse posset.

188. Triplex est necessitas veritatis, *metaphysica* scilicet, *physica*, & *moralis*. Tunc propositio est *necessario vera metaphysice*, quando ita idea prædicati continetur in idea subjecti, ut ne Deus ipse eam possit connexionem solvere: tales sunt istæ: Deus est æternus: omne totum est majus sua parte &c. *Necessario vera physice* dicitur propositio,

ſitio, cujus falſitas licet *ab intrinſeco* non repugnet, ſpectatis tamen univerſis legibus, falſa eſſe nequit. Veritatem hujuſmodi hæ propoſitiones obtinent: omne grave tendit deorſum: corpus immerſum in ſpecifice gravius ſurſum tollitur. *Moraliter* tandem *neceſſario vera* eſt propoſitio, quæ plerumque eſt vera, quamvis oppoſitum neque ab intrinſeco repugnet, neque naturæ legibus adverſetur. Hæc propoſitio eſt neceſſario vera moraliter: diſcipulus diligens fit doctus.

189. Veritas adeſt etiam in objectis independenter a mente; propoſitio enim iſta: Deus eſt ens nullis circumſcriptum limitibus: vera eſſet, etiamſi nulla foret mens, quæ illam perciperet. Deveniamus modo ad ea, quæ mentem duntaxat reſpiciunt.

190. Dum mens binas comparat invicem ideas, eaſque aut ſimul conjungit, aut a ſe mutuo ſeparat, non eodem modo in quacumque comparatione ſe gerit; aut enim ſtatim veritatem (idem dic de falſitate) propoſitionis comprehendit: aut firmiter ipſi adhæret; aut anxie &c. Quapropter placuit Logicis varios diſtinguere cognitionum ſtatus, qui licet mentem duntaxat reſpiciant, tributi tamen ſunt propoſitionibus. Etſi vero cur id effecerint, plane neſciam, ne tamen definitiones communes perturbem, communem loquendi rationem & ego uſurpabo.

191. Igitur propoſitionem illam *evidenter veram* dicunt Logici, cujus convenientia prædicati cum ſubjecto vivide mentem percellit: hujuſmodi eſt iſta: Deus eſt ſanctus. Sed evidentia duplex eſt, *immediata* nimirum, & *mediata*: prima eſt propria primorum principiorum, altera convenit concluſionibus, quæ ex principiis inferuntur.

192. *Per ſe nota* ea propoſitio dicitur, cujus veritas ſola terminorum perceptione nobis innoteſcit: talis eſt iſta; omne totum eſt majus ſua parte.

193. Omnis propoſitio *per ſe nota* eſt etiam *evidens*: non viciſſim; plurimæ enim ſunt veritates, quæ ultra perceptionem terminorum accuratam meditationem exquirunt, ut earum percipiatur evidentia, ſicuti in demonſtrationibus geometricis accidit. 194.

194. Ea propositio appellatur *certa*, cui mens judicio suo inconcusse, firmiterque ita adhæret, ut nihil prorsus falsi putet illi subesse. Cum certitudo (*formalis*) propria sit mentis (n. 185.) patet, posse propositionem aliquam ita certam deprehendi, ut oppositum vel Deo ipsi, vel naturæ legibus, vel consueto eventuum ordini repugnet: & ideo propositio dicitur *certa metaphysice*, *physice*, *& moraliter*, sicuti dictum est de veritate. (n. 183.)

195. Maxime cavendum est, ne propositio certa confundatur cum evidenti; licet enim omnis propositio evidens sit certa, non tamen omnis propositio certa est evidens: sic articulos fidei certissimos habemus, licet evidentes non sint.

196. *Probabilis* dicitur propositio, quæ veritati quidem consentanea videtur, non ita tamen, ut de illius veritate ambigere minime possimus: unde S. Aug. *lib. 3. contra Cresconium cap.* 75. scribit. *Probabile quando dicitur, non consequenter est verum, cum ea dicantur probabilia, quæ fieri possunt, ac solent.* Sic probabilis est futura pluvia, quando cœlum nubibus tegitur. Sed notanda sunt ea verba Augustini, *quæ fieri possunt, ac solent*; ut enim aliquid sit probabile, non sufficit ejus possibilitas, sed requiritur etiam, ut videatur veritati consentaneum. Possibilitas igitur non est confundenda cum probabilitate, cum illa sit hujus primus duntaxat gradus.

197. Probabilitatis varii sunt gradus; probabilior enim est ea propositio, in qua plura deteguntur veritatis signa.

198. Cum autem probabilitas ad mentem propriè sit referenda (n. 190.) satis constat, propositionem eamdem uni interdum maxime esse propabilem, cum alterius judicio vix primum probabilitatis gradum attingat.

199. Probabilitas alia est *intrinseca*, alia *extrinseca* Prima desumitur a ratione, secunda ab auctoritate.

200. Prima igitur dignior est secunda, immo nulla hæc est, nisi adsit & illa. Quod diligenter est animadvertendum, dum de rebus agitur scientificis; non enim ulla ratione movere me poterunt omnes Philosophi, ut

ut credam, terram ex. gr. circa solem, & circa proprium axem rotari, nisi rationes attulerint, cur istud credant, consequenter nisi probabilitatem extrinsecam intrinsecæ conjungant; si enim rationes non afferant thesis, quam defendunt, si rationalis sim, putabo, non ab intellectu bene ratiocinante, sed a phantasia quaquaversus libere vagante propositionem illam esse desumptam.

201. Quæ hucusque diximus de propositione necessario, evidenter, certo, atque probabiliter vera, contraria ratione accommodanda sunt propositioni *necessario*, *evidenter*, *certo*; *probabiliter falsæ*.

202. *Dubia* vocatur propositio, quæ neque vera, neque falsa nobis apparet. Dupliciter autem dubia dici potest, *positive* scilicet, & *negative*. Propositio *positive dubia* est illa, pro qua, & contra quam stant argumenta æque valida, ut in bilance contingit, quæ utrinque æqualibus premitur momentis. *Dubia* vero *negative* ea est, pro qua, & contra quam nulla stat ratio.

203. Quamvis autem omnis propositio dubia sit non certa, non tamen omnis, quæ non est certa, dubia haberi debet; est enim propositio probabilis (n. 196.) quæ licet certa non sit, dubia tamen haberi nequit.

204. *Temeraria* censetur propositio, quæ sine gravi fundamento aliquid asserit, vel negat contra communem doctorum hominum sententiam, seu quæ nullo auctore, fide digno, nullaque probabili regitur ratione, & extra communem sensum vagatur.

205. Hæ sunt censuræ, seu notæ illæ, quas propositioni alicui inurimus, dum nostro subjicimus judicio. Omisimus illas, quæ Theologorum sunt propriæ, quia ad rem nostram non faciunt, nisi infiniti esse velimus.

Ar-

Articulus II.

Regulæ humanam mentem dirigentes in judicio ferendo de propositionibus in genere.

206. Regula 1. Antequam judicium de propositione qualibet feramus, probe sunt termini intelligendi, alias aut necessario errabimus, aut casu tantum recte judicabimus. Quapropter aut propositio a loquente auditur, & tunc terminorum obscuritate, vel ambiguitate tectorum expostulanda est definitio: aut in libro legitur, & regulæ servandæ sunt, quas tradeinus, ubi de arte agemus Hermeneutica.

207. Regula 2. Terminis probe intellectis, accurateque subjecto, & prædicato perpensis, eorum considerata quantitate, qualitate &c. si clare, distincteque quis intelligat, ideam prædicati contineri in idea subjecti, de veritate illius propositionis non ambigat.

208. Regula 3. Si autem connexio illa prædicati cum subjecto non statim appareat, utatur mediis illis, quæ dicuntur media sciendi (de quibus sermo erit in sequentibus) quibus si connexio illa apparebit, de propositione judicium instituat: aliter suspendat, donec nova accesserit cognitio.

209. Regula 4. Posito, quod medio aliquo adhibito, veritatem propositionis cognoscamus, antequam asseramus, propositionem illam esse certam, probabilem &c. attente animadvertamus oportet in primis, utrum medium sit certum (n. 194.) probabile (n. 196.) vel dubium (n. 202.) cum enim veritas propositionis per medium, in hypothesi, appareat, non poterit magis vera apparere propositio ipso eodem medio. Videamus 2. necesse est, quænam sit connexio propositionem inter, & medium illud; nam a duabus istis causis tota pendet certitudo, aut dubietas, aut probabilitas veritatis perpensæ propositionis.

210. Regula 5. Si igitur connexio medii, seu principii cum propositione sit necessaria, & medium sit cer-

to verum, certo quoque erit vera propositio, diceturque certo metaphysice, physice, vel moraliter vera (n. 188.) cujusmodi erit medium.

211. Quoniam autem diversi sunt probabilitatis gradus, regulæ aliquæ tradendæ sunt, ut rectum etiam, quoad fieri potest, de majori, aut minori propositionis alicujus probabilitate examen instituatur.

212. Regula 6. Quo plura sunt argumenta, quibus sententia *A* ex. gr. innititur, eo crescet ejus probabilitas, & decrescet probabilitas sententiæ *B* eidem oppositæ.

213. Regula 7. Quo graviora sunt argumenta, quibus conformitas propositionis cum veritate ostenditur, eo probabilior hæc evadet propositione *D* eidem opposita. Graviora autem tunc censentur argumenta, quando unum ex mediis intra certum casuum numerum rarius altero fallit intra eumdem numerum, aut quando connexio unius medii cum propositione magis ad necessitatem accedit, quam alterius connexio. Ad cognoscendam autem hanc connexionem perspicacia, & judicio utendum est; nullæ enim tradi possunt regulæ.

214. Regula 8. Si terminis perceptis, medio adhibito ad detegendam connexionem prædicati cum subjecto, aut argumenta æque valida pro utraque parte mens suppeditet, aut pro neutra parte ulla, assensus cohibendus est; tunc enim dubia est propositio. (n. 202.)

ARTICULUS III.

De usu rationis, sensuum, & auctoritatis, ubi de arte Critica.

215. Quæcumque cognoscimus, aut vi nostra, aut ex aliorum auctoritate cognoscimus. Quas nostris viribus cognitiones acquirimus, aut solo intellectu, aut sensibus simul, & intellectu adipiscimur. Tria igitur media ad veritatem comparandam sapientissimus Opifex nobis elargitus est, mentem scilicet, sensus, & auctoritatem.

His

His pro veritate quavis cognoscenda utimur: ab iisque haud decipi nos posse, dummodo eis recte utamur, pro certo supponimus in præsentiarum, demonstraturi idipsum deinde ubi de criteriis veritatis, quæ scholastica methodo, exercitationis gratia, statuemus, atque firmabimus Deo dante in Metaphysica. Nunc ea tantum trademus, quæ observanda necessario sunt, ne de tesseris veritatis fontes errorum efficiamus.

216. Cum ad mentem omnes cognitiones proprie pertineant, ipsa autem tamquam domina sensibus utatur, & auctoritate veluti mediis, & instrumentis in iis considerandis, quæ vel propter conditionem præsentem, vel propter eos, quibus in intelligendo coarctatur, fines, sola agnoscere non potest; ideo, quæ in superiori articulo tradidimus, quæque sumus in seqq. dicturi, ad mentem, seu rationem proprio jure pertinere mihi videntur, ita ut minus accurate peculiaris a Logicis quibusdam instituatur tractatus, quo mentem solam sumunt edocendam, atque dirigendam, ne in judicando a veritate aberret, erroresque simul, quo plures potest cognoscat, & evitet. Nos igitur de sensibus tantum, & auctoritate agemus; si enim & quomodo sensibus uti, & quid ab auctoritate sibi comparandum mens nostra sciverit, jam aut nullis, aut saltem paucis admodum erroribus erit obnoxia. Sit itaque

§. I.

De recto sensuum usu.

217. Pleraque hominum pars solis sensibus uti videtur in veritate conquirenda, imo sapientes ipsi viri ingenue fateri coguntur, se plura sensibus, quam meditatione addiscere, in rebus saltem philosophicis; cum enim Philosophiæ scopus non alius sit, quam naturæ investigatio, & natura nostra intellectui pervia ex sensibilibus coalescat magis, quam spiritualibus, inde fit, ut etiam isti cognitiones suas debeant ut plurimum sensi-

bus ipsis. Judicia autem sensuum nostrorum *ita clara, & certa sunt*, inquit Cicero lib. 4. QQ. Acad. c. 7. *ut si optio naturæ nostræ detur, aut ab eo Deus aliquis requirat, contentane sit suis integris sensibus, an postulet melius aliquid, non videam, quid quærat amplius*. Verum si hoc pacto nostri se sensus habent, quî ergo fit, ut tot irrepant errores in sensibilium cognitiones? Non alia procul dubio ratione hoc evenit, nisi quia sensibus tamquam judicibus, ratione autem tamquam pedissequa, & veluti actuaria, quæ quodcumque & qualitercumque dictant sensus exscribit, utimur. Operæ igitur pretium summum erit, rationem monere, & quibus sensibus, & quomodo, & quando uti debeat in hujus mundi contemplatione.

218. Primo igitur considerare quisque diligenter debet, an sensus proprii bene valentes sint, vel vitio aliquo laborent; ex infirmo enim, & ægro sensu nonnisi inanes quasdam veluti ægrotorum somniantium species possumus haurire: ac per consequens falsis tantum ideis imbuemur.

219. Falsas istas ideas ne vitabit quidem, qui sensuum vim probe, & diligenter non dimetietur. Organa nostra infinita certe non sunt: hinc fit, ut nonnisi in hac, vel illa distantia, hoc, & non minori impetu impressiones recte excipiant; consequens igitur est, quod unusquisque attente animadvertat, quænam requiratur distantia, ac quinam impetus, ut possint corpora a propriis sensibus sentiri. Sic quia ex. gr. corpuscula, quæ continuo a corporibus emanant, tam tenuia sunt, ut tantam lucem non reflectant, quanta est necessaria, ut oculus sensibiliter percellatur, ideo evaporatio illa videri non potest.

220. Jam diximus (n. 52.) diligenter esse animadvertendum, ne judicium efformetur, quod fines illius ideæ, cui innititur, prætergrediatur; cum igitur sensus nonnisi sensibilia referant, corporum scilicet existentiam, colorem, saporem, gravitatem &c. sensibus uti non debemus, nisi ad detegenda in corporibus hæc sensibilia, alias certe in errorem nos ducent.

221. Non

121. Non absimili ratione cum unusquisque sensus propriam habeat provinciam: oculus ex. gr. ad videndum, nares ad odorandum, totum corpus ad tactum, os ad gustum &c. sint destinati, nullus proprios debet limites excedere. Sic si quis oculis vellet distinguere saccharum ab alumine admodum contrito, facile deciperetur; cum enim in ambobus corporibus idem sit color, eadem sensibilis textura partium, alumen cum saccharo certissime confundet.

222. Cum autem corpus unumquodque omnes possit percellere sensus; nam omnibus qualitatibus generalibus nullum est, quod non sit præditum, non unus tantum, sed omnes sunt adhibendi sensus (unusquisque in suo genere) ut corporea, quæ saltem notissima non sunt, diligenter distinguantur, & eorum detegantur proprietates.

223. Plures sunt sensationes, in quibus sensus corpori sensibili non approximatur, sicuti in visione, auditu, & quandoque odoratu patet; cum igitur tunc vel lux a corporibus reflexa, vel aer a corpore sonoro ad motum concitatus, vel effluvia a subjecto odoro emissa, per medium aliquod debeant transire, ideo requiritur, ut medium istud corpus intercedens, & sensus, sit uniforme, alias non recte instituetur sensatio, ut proprio loco videbimus.

224. Quod hisce regulis diligenter servatis referunt sensus nostri, certissimum physice habendum est, ut in Metaphysica ostendemus.

225. Verum diligentia quævis, acre quodlibet judicium hisce in regulis servandis impendatur, id solum obtineri poterit, ne videlicet erremus in iis excipiendis, de iisque judicando, quæ a sensibus referuntur: at nullæ tradi possunt regulæ, nulli canones, ut sensus ad ea extendantur, quæ sentiri minime possunt, & tamen in corporibus adesse, vires ex. gr. corporum electricæ apertissime ostendunt. Igitur non debent falsa statim censeri, quæ sensibus minime apparent, nisi prius certo constiterit, vera ea esse non posse, nisi sensibus reluceant. His breviter circa sensus adnotatis, gradum modo faciamus ad Artem Criticam.

§. II.

DE ARTE CRITICA

Et primum de auctoritate humana.

226. CRitica est ars judicii ferendi de factis historiam constituentibus, de operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de sensu, stylo, & auctoribus*, inquit Vir doctissimus P. Honoratus a S. Maria *Tom. I. Animad. in regulas Critices. Dissert. I. Art. I. Venetiis* 1738. Tam autem necessariam artem istam ducimus, ut sine ipsa videamur nobis fere in omnibus cæcutire; cum enim inter ea, quæ menti nostræ comparamus, ea, quæ nostra sunt ratiocinatione parta, ad illa, quæ nobis alii tradunt, nec proportionem servent unius ad mille, & præterea quæcumque etiam perspicacissima ratio, nec Divina possit omnia pertingere, nec omnia etiam mundana præsentia, multo vero minus, quæ præterierunt, consequens est ut aliorum auctoritate uti debeamus. Verum nisi id summa arte, ac perspicaci effecerimus judicio, in iis nempe seligendis, & approbandis, quæ sola queunt ad veri cognitionem perducere, nil in auctoribus perlegendis continget facilius, quam vel omnia promiscue amplecti, vel ea saltem omnia, quæ sunt typis consignata. Hanc igitur artem in p æsentiarum tradituri, de auctoritate primum Divina, de humana postmodum foret nobis agendum: sed cum prima pertractatio & operosa nimis sit, & ad Logicam Philosophicam proprie non pertineat, sed potius ad Thelogicam, adeat, quem juvat, Theologos in prolegomenis ad Theologiam: sed presertim Cl. Melchiorem Canum nulli certe secundum, qui in suo opere *de locis Theologicis* hæc omnia accurate, breviter, eleganter exagitat. Nos aliqua tantum adnotabimus circa auctoritatem, quam homines faciunt.

227. Auctoritas duplex est; aut enim homines opinionem aliquam proponunt: aut ea, quæ evenerunt, histo-

ctoriam contexendo, referunt. Prima *juris* dicitur *auctoritas*, altera nuncupatur *facti*. At cum nulli debeamus hominum (in rebus ad Religionem nullimode pertinentibus) veluti sacramento esse rogati, aut superstitione constricti in rebus scientificis, licet unusquisque, præsertim si doctus fuerit, omni reverentia sit excipiendus: sed omnia, quæ quisque tradit, diligenti indagine, prudentique perspicacia sint examinanda, ut ea, quæ bona sunt, duntaxat probemus juxta illud Apostoli: *omnia probate, quod bonum est, tenete*; ideo de iis non pertractamus, quæ ad auctoritatem juris putant pertinere nonnulli, sed de auctoritate tantum facti sermonem instituimus.

228. Plura ab aliquo historico possunte narrari: hæc tamen omnia nos ad duas classes reducimus; aut enim facta tantum popularia sunt, aut connexionem aliquam cum scientiis habent. Item quod narrat historicus, aut ipse vidit, aut ex libris rescivit, aut oretenus ab aliis accepit; hisce enim duntaxat modis naturaliter possunt ea, qnæ evenerunt, resciri. His positis:

229. Requiritur 1. in historico quocumqu everacitas; cum enim tota fides innixa huic principio sit, eum nempe, cui credimus, minime nos velle fallere, nisi verax ille sit, corruat fides, aut erret certissime necesse est. Veracitas autem auctoris cognoscitur in primis ex morum probitate (sufficit tamen, ut auctor amore honestatis ducatur, quoad historiam pertinet, ut probus haberi possit. Hinc licet Julius Cæsar, Svetonius, Cornelius, Tacitus, Sallustius, Florus, multique alii Ethnici nec sancti essent, nec ad apicem naturæ suos mores componerent, veridici tamen jure merito habentur). Qui enim probus est, non mentitur. 2. Ex sinceritate, qua licet modeste, omnia tamen exscribit, quæ certe aut in patriæ laudem, aut in gloriam eorum, quibus deberet amore devinciri, non redundant. 3. Ex stylo, & plana oratione; licet enim laudanda in historico sit & elegantia, & eloquentia, tamen quæsitus scribendi modus, amplificationes quædam rethoricæ valde

suspectæ sunt, dubium nobis ingerunt, ne auctor phantasiam potius, quam memoriam excoluerit. Cognoscitur tandem ex eventuum connexione; si enim quæ in historico leguntur, aut disparata sunt, aut etiam invicem pugnantia, non levis probitatis ejus excitatur suspicio.

230. Siquæ historicus verax se vidisse narret, ea certissima habenda sunt, dummodo connexionem cum scientiis non habeant.

231. Si enim quæ narrantur ab historico, ad scientias aliquo pacto pertineant, nisi auctor præter morum probitatem, peritus ejus rei sit, quam enarrat, fidem indubiam non facit; valde enim probabile est, se non intellexisse, quæ audivit, aut vidit. Narret ex. gr. qui fores custodiebat templi, in quo Tridentinum celebrabatur Concilium, se audivisse hanc, vel illam quæstionem a Patribus agitatam, licet ille veracissimus esset, non tamen ei fidem præberem; cum enim in re Theologica dexteram a læva ne distinguere quidem possit, eorum, quæ disputabantur, facillime sensum non intellexit.

232. Si autem historicus & probus sit, & rei, quam enarrat, peritus, fidem certissimam nobis facit. Rem enim facillime propter scientiam, qua erat præditus, intellexit: nec aliter, quam evenit, propter veracitatem, exscripsit.

233. Non semper tamen accidit, ut historici res conscribant, quas ipsi audierunt, vel viderunt: sed ea quandoque referunt, quæ audierunt ab aliis, vel ex aliorum libris excerpserunt.

234. Igitur si auctor ea tradat, quæ vel ab aliis audivit, vel ex historiis rescivit, tota ejus probitas nihil præstat aliud, quam ut certi simus, alios ea posteris tradidisse, quæ exscribit ipse; cum enim is non aliunde ea potuerit rescire, sequitur, tantam ejus esse auctoritatem, si probus sit, quanta est illorum, ex quibus, quæ tradit, se novisse affirmat.

235. Verum si historicus acris non solum, sed etiam prudentis fuerit judicii, magnam facit fidem etiam dum ea refert, quæ vel a populo, vel a libris cognovit; tunc enim

enim fere certi sumus, ipsum non omnia promiscue approbasse, sed diligenti examine instituto, ea tantum exscripsisse, quæ secundum Criticæ regulas perpensa, certa ipsi videbantur. Hinc in dubium ea miracula verti non possunt, quæ contigisse tradit Augustinus tum *in lib. de Civit. Dei*, cum *in lib. Conf.* licet non omnia suis oculis perspexerit; fieri enim vix potuit, ut Augustinus in rebus istis deciperetur, vera a confictis non discernendo.

236. Tandem ut historico his etiam dotibus prædito fidem præbeamus, ea, quæ tradit, diligenter sunt considerandæ, utrum videlicet verisimilia sint, & utrum sint, necne, contraria rationi; si enim sic res enarrata se habeat, nemini credendnm est. Verum caute admodum hac regula est utendum; facile est enim, ut inverisimile, vel contrarium rationi illud putemus, quod & vero, & rationi optime quadrat: nec ex nostris duntaxat ideis est ratiocinandum: nec universa rationis provincia ad nostrum solummodo acumen est coarctanda.

237. De his tamen hactenus; satis enim tyrones admonitos puto, ne in iis vel recipiendis, vel abdicandis errent, quæ aut unus historicus, aut omnes unanimiter tradunt. Major est diligentia adhibenda, quando plures historici eumdem referentes eventum non simul conveniunt. Quapropter

238. Si plures historici idem referentes invicem non consentiant, videndum utrum ex iis aliqui sint coævi, aliqui vero non; tunc enim, cæteris paribus, coævis, non posteris est fides præbenda.

239. Si vero fuerint omnes coævi, oculato, vel aurito (dummodo adsit) credendum potius, quam cuicumque alio.

240. Quod si nullus ex coævis oculatus, vel auritus testis fuerit, tunc examinandæ duntaxat historicorum sunt dotes, & secundum examen illud postea dijudicandum.

241. Facti alicujus veritas non ex eo deneganda est, quod licet ex coævis aliqui id referant, alii tamen idipsum

ipsum tacent; silentium enim non idem est, ac negatio. *At*, inquiunt, *historiæ leges exigebant, ut non taceret. Quid ergo?* (optime Genuensis) *adversus has peccavit historicus; at ea negasse quæ tacet, dici nequit: quod si non negavit, perstat historicorum ajentium fides.*

242. Si vero historici nec coævi, nec oculati aliquod referant factum, quod a nullo refertur, cujus ætate dicitur contigisse, vertenda in dubium tunc certe est fides; unde enim recentes isti illud hauserunt? Profecto nonnisi ex populari rumore, qui quam promptulus ad mentiendum sit, nemo non scit.

243. Verum ut regula ista suum obtineat robur, consideranda tria sunt: 1. si coævo copia illud sciendi fuerit: 2. si temporis circumstantiæ illud referri sinebant. Sic tempore Neronis ob ipsius metum crudelitatis aut nulli fuerunt historici, aut certe mendaces, ut notat Tacitus *initio Annalium*: 3. si scopus auctoris illud scribendum exegerit; *plura enim sunt, quæ hodie etiam contingunt, nec tamen Scriptores referunt, quia vel negocia, vel status, vel scopus eorum non permittunt, ut de quavis re memorabili Commentarium scribant*, inquit P. Amort *P. 2. Art. Crit. §. 4.*

244. Quod si nulli extent auctores coævi, tunc nec rejicienda, nec pro certa historia illa habenda est. Sed hæc sint satis, licet adeo stultus non sim, ut existimem in hisce formulis omnia examinandæ historiæ præcepta conclusa, & comprehensa quodammodo esse; tamen siquæ fuerunt præscribendæ regulæ, hæ visæ sunt potissimum veritati consentaneæ.

§. III.

§. III.

Regulæ pro dignoscendis genuinis, & integris veterum Scriptorum libris, iisque a spuriis, & interpolatis discernendis.

245. Regulas hucusque tradidimus, quarum ope intellectus humanus non tam facile errabit in judicio ferendo de rebus facti, sive in recipiendis, vel rejiciendis historiis: bene habet. At si historicorum libri vel genuini, vel integri non sint, seu, quod idem est, si opus aliquod illi tribuatur auctori, a quo non est confectum: vel in opus, quod fœtus illius auctoris certe est, quis violentas manus intulerit, eidem addendo, vel ab eodem demendo, vel sententias ex proprio pœnu commutando, inutiles tunc erunt allatæ superiores regulæ, nisi prius certo sciamus, librum illum manuversandum & genuinum esse, & non interpolatum. Facinus autem istud perpetratum non raro fuisse, vel a librariorum avaritia, vel a superbia scriptorum vel a malignitate æmulorum, non est cur probemus: certum est quam quod maxime (legatur, si placuerit, Clericus *in Art. Crit. tom.3. part.3. lect. 2. c.1. S. Hjer. Ep. 28.ad Lucin. & Mabillon. de studiis Monasticis part. 2. c. 13.*) Non abs re igitur erit, imo valde necessarium, ea nunc tradere, quæ Critici exposuerunt, ne in re tanti momenti in errorem præcipites labamur.

246. Regula 1. Si antiqua MSS. existimatione digna, eaque in primis, quæ magis auctori coæva videntur, in fronte, vel etiam in calce operis nomen ejusdem gerant, opus illud est genuinum, nisi aliæ adsint dubitandi causæ (ita *Mabillonius ibidem.*)

247. Regula 2. Igitur si in vetustis codicibus opus, quod sub nomine ex. gr. Petri modo circumfertur, Paulo tribuitur, & nulla adsit ratio, cur Paulo non adjudicetur, opus illud est suppositium. Horum canonum hæc est ratio. Elucubrationes veterum magis veteribus, quam re-

cen-

centioribus fuerunt notæ: igitur ab ipsis, non ab istis de illarum genuinitate est recipiendum testimonium.

248. Regula 3. Si opus aliquod nec in vetustis ullis codicibus fide dignis reperiatur, nec auctor ullus vel coævus, vel proxime coævus de eo, cum debuerit, mentionem fecit, probabiliter est suppofititium. Unde enim recentes receperunt? Dixi probabiliter; quanta enim fides sit præbenda argumento negativo, jam diximus (n. 241. 242.)

249. Regula 4. At si veteres aut coævi, aut proxime coævi suppofititium librum aliquem dijudicaverint, suppofititius est certo habendus, nisi graves, imo gravissimæ causæ aliud evincant (ob n. 247.)

250. Regula 5. Si in vetustis codicibus aliquid adsit, quod desideratur in novis, mutilus est liber: vel si quidpiam in illis non reperiatur, quod habetur in istis, interpolatus est ob allatam superius rationem (n. 247.)

251. Regula 6. Si quæ igitur a veteribus ex libro aliquo olim prolata sunt, nunc in illo non perlegantur, aut alius est ille, aut mutilus: si vero aliter in illo reperiantur, suspectus est: si omnia inveniantur eadem, genuinus est liber, nisi aliæ supersint dubitandi rationes. Inter cætera, quibus genuinitas librorum novi Testamenti evincitur, hoc non infimum habet locum, quod ea, quæ a primis Patribus Ecclesiæ ex illis proferuntur, nunc eadem prorsus iisdem reperiantur.

252. Regula 7. Si stylus, quo scriptum perlegimus librum aliquem, sit plane diversus ab eo, qui alio in opere ejudem auctoris certe genuino conspicitur, probabiliter liber est spurius; unusquisque enim, ut Tullius *lib. 3. de Orat. c. 7.* & Quintilianus *lib. 2. Orat. Instit c. 8.* observat, unusquisque auctor proprium habet sibi peculiarem stylum, sicuti etiam quælibet ætas propriam loquendi rationem, ut dignoscere possimus ab ungue leonem. Verum argumentum istud nonnisi probabiliter, licet non parum, concludit; etenim, ut optime advertit Cl. Mabillonius ibidem, unius etiam, & ejusdem auctoris stylus multifarius quandoque dignoscitur, quod se præstasse fatetur

etiam

etiam S. Gregorius *lib.* 11. *Moral. c.* 1. Unus insuper alterum non raro in scribendo imitatur, quod accidit præsertim in discipulis erga præceptores, ita ut nonnisi probabiliter liceat hoc argumento concludere.

253. Regula 8. At si stylus sit plane idem, probabiliter liber est genuinus. *Probabiliter* dixi, quia sicuti multiplici stylo potest idem auctor uti, ita etiam potest unus alterius scribendi modum imitari, ut diximus (n. 252.)

254. Regula 9. At suppositititium censendum opus illud est certissime (nisi auctor Scepticus fuerit) quod in re magni momenti sententias continet iis plane contrarias, quas suppositus idem auctor diserte tuetur in alio opere certe genuino, nisi auctor ipse lectorem de hac sententiarum discrepantia aliquo in loco monuerit; fieri enim non posse mihi videtur, ut idem auctor in re non levis momenti tantam admiserit opinandi contrarietatem, quin lectorem aliquantisper saltem monuerit; memoriæ enim vitium in rebus magnis certe nequit admitti.

255. Regula 10. Suppositititium pariter, vel saltem interpolatum opus illud est habendum, quod refert controversias, citat auctores, iis utitur vocabulis, quæ nonnisi post tempora scriptoris, cui tribuitur, exorta sunt; nisi enim Propheta fuerit auctor ille, certe ventura scire non potuit. At non semper spurii operis signum certum est hoc; fieri enim potuit, ut in MSS. codicibus aliquæ fuerint inscriptæ adnotationes ab alio lectore, quæ postmodum librariorum incuria, & imperitia fuerint in textum translatæ. Et ideo, ut dixi, aut suppositititium, aut interpolatum certe est opus illud.

256. Regula 11. Tandem si constans, perpetuaque faverit traditio alicujus operis genuinitati, illius esse auctoris, cui tribuitur, certum est quam quod maxime. Qua enim ratione dignoscuntur opera Ciceronis, Platonis, Aristotelis &c. nisi hac? Si quis perneget hanc regulam, cum Cl. Huetio est interrogandus, quonam probet argumento, *proavita bona hæreditario jure ad se pertinere*; illis enim favent instrumenta, tabulæque publicæ: at ope-

operibus iſtis univerſus orbis ; conſequenter firmior eſt horum , quam illarum ſtabilitas .

§. VI.

De Arte Hermeneutica .

257. EX hucuſque dictis non deſunt certe vobis regulæ, ſeu canones , quibus & libros iis tribuatis auctoribus , a quibus fuerunt exarati , & de eorum ſententiis judicium non dubium feratis; finis idcirco huic arti eſſet ponendus , ſi auctores omnes clare , perſpicue , apertiſſime fuiſſent loquuti , vel ſi idem tempus, eædem ſectæ , vocabula ipſiſſima ſemper regnarent . At cum non raro obſcure ſcripſerint auctores , & perſæpe ob mutationes , quæ accidunt in Republica Litteraria, quod antea evidens erat , nunc denſiſſimis tenebris ſit obvolutum , ideo comparata eſt ars Hermeneutica , ſeu ars interpretandi , (*hermeneo* enim græce idem eſt , ac latine *interpretor* .) Finis igitur interpretationis alius non eſt , niſi auctoris eum aſſequi ſenſum , qui in verbis obſcuris , æquivocis , ſuperfluis , & obſoletis , in propoſitionibus implexis , & ſententiis contradictoriis latet . Breviſſime igitur artem hanc his canonibus exponamus , complectamurque .

258. Non ob id duntaxat opus aliquod obſcurum cenſendum eſt , quod a nobis non intelligatur; hoc enim etiam ab animi noſtri conſtitutione poteſt oriri . Tunc igitur liber , aut aliquis libri locus obſcurus habendus eſt , 1. cum viri doctiores , artiſque periti obſcurum illum eſſe fatentur , ſi non ore , ſaltem opere , in diverſas ſcilicet abeuntes interpretationes . 2. Cum vocabula ſunt nimis generica , confuſa , & ambigua . 3. Cum nulla eſt eorum concatenatio , vel ſaltem admodum ænigmatica . 4. Cum frequentes in ipſo ſunt tropi , atque duriores .

259. Si igitur conſtet de obſcuritate libri , curandum eſt , quantum fieri poteſt , ut codices habeamus emen-

mendatissimos; persæpe enim evenit, ut auctor clarissime scripserit, & tamen post aliquod tempus non amplius intelligatur ob librariorum, & typographorum negligentiam, vel aliam etiam ob causam; infinitæ enim sunt, quæ auctorum opera sæpissime corrumpunt.

260. Optimis comparatis codicibus, antequam perlegantur, necessario videndum est, quanam vixerit auctor ætate, ubi natus, educatus, edoctusque fuerit, ut deinde sciamus, quinam ritus, qui mores in illius gente regnaverint; cum enim vocabula sint eadem aliquando apud diversas nationes, vel apud easdem diversis temporibus, licet nec semper, nec apud omnes idem importent, sequitur, ut persæpe vocabulum plane idem rebus tribuatur maxime oppositis, vel saltem diversis. Vox ex. gr. *Conceptionis* in veteribus Patribus non aliud innuit, nisi actum illum, quo proles gignitur: nunc vero non item, significat scilicet momentum, quo a Deo in corpore creatur anima. Deinde cum unusquisque ex propriis ideis ratiocinetur: ideæ autem ut plurimum a nutricibus, a præceptoribus in nos veluti transmittantur: sequitur, ut cognita patria, secta, magistris &c. auctoris, non angustus pateat aditus ad illius sensus rimandos (videantur, quæ diximus de ideis relativis n. 95.

261. Verum his etiam omnibus diligenter perpensis, difficile admodum erit librum aliquem (sed valde obscurum) interpretari, nisi quis linguam, in qua ab auctore conscriptus est, saltem aliquantisper calleat; versiones enim nec sunt, nec esse possunt numeris omnibus absolutæ.

262. Siquis vocabulorum vim non ignoret, eadem facile in naturali sensu accipiet, nisi rationes validissimæ ad alium sensum recipiendum urgeant. Naturalis ille censetur verborum sensus, qui verbis iisdem tribuitur a vulgo, apud quem est jus, & norma loquendi. At si momenta gravissima velint, a naturali sensu esse recedendum, tunc sensus ille sumi debet, qui magis consentaneus videtur auctori interpretando. Momenta autem potissima habentur, cum vel scriptor litteraliter interpretatus nullum refert sensum: vel illum tantummodo, qui insititu-

stituto suo, vel rationi evidenti contrarium deprehenditur. Ridiculus certe esset, qui Horatium sic *Ode* 1. ajentem. *Manet sub Jove frigido venator* ad litteram, ut ajunt, vellet explicare; Jupiter enim nec frigidus, nec calidus est, utpote Deus, per Ethnicos: bene vero frigidus est aer nocturnus, de quo loquitur Poeta.

263. Si vocabula fuerint obscura, omnes eorumdem notiones considerare debet interpres, & illam deinde auctori tribuere, quam probabiliter auctor idem tribuisset, si vocabuli obscuritatem perspexisset.

264. Vocabulis rite intellectis, considerare interpres debet propositiones, quæ ex vocabulis veluti conflantur. Verum ut ex illis auctoris mentem assequatur, perpendat diligenter 1. quinam fuerit ipsius finis, & scopus in opere illo elucubrando; etenim statim ac ipsum detexerimus, sciemus profecto, quæ ei consona, quæ contraria esse possint: quæ proinde ab ipso intenta, quæ vero evitata. Quod utrum necessarium sit, necne, ii norunt, qui arte hermeneutica utuntur: vos cognoscetis, si attente hæc, quæ trademus, meditabimini.

265. (2) Non tota interpretationis vis in uno verbo, in vocula una est constituenda; optime enim ad rem nostram, licet de Scriptura loquens, Hjeron. ait: *non in verbis Scripturarum est Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in foliis, sed in radice rationis*. Itaque distinguenda diligentissime sunt, quæ incidenter tantummodo petractat Auctor ab iis, de quibus ex professo, ut inquiunt, edisserit.

266. (3) Pervideat deinde interpres, utrum auctor disputet in opere, vel in illo operis loco, aut doceat; in disputatione enim plura sumuntur ex adversariorum sententia ad ipsos revincendos, licet ea minime probentur: in docendo autem aperta frons est, & ut ita dicam, ingenuitas necessaria est, ut inquit S. Hjeron. Quapropter subdit ipse, *aliud est gymnastice loqui, aliud dogmatice* (epist. 48. ad Pamach.) Quod diligenter est observandum in omnibus, sed præsertim in veteribus; hi enim diligentes admodum non fuerunt, in ostendendo,

dendo, quando ex aliena, quando ex propria loquerentur sententia.

267. His omnibus serio, longoque examine subjectis, si theses, vel propositiones adhuc obscuritate lateant, sequentes regulæ videntur observandæ.

268. Regula 1. Videndæ, & considerandæ sunt rationes, quæ demonstrationem ab auctore allatam constituunt: cognito quid ipsæ evincant, id tribuendum est thesi; nemo enim (nisi ineptus plane fuerit) plus, minusve probare vult, quam thesis expostulet.

269. 2. Propositionum subjecta, & prædicata accurate perpendantur; sæpe enim fit, ut ex subjecto cognoscatur prædicati extensio: sæpe etiam ex prædicatis subjecta apparent, quæ vel tecta prorsus erant, vel non satis expressa. Dicit ex. gr. Apostolus: *Christum pro nobis factum esse peccatum*: ex notione subjecti, scilicet Christi cognoscimus, quonam sensu, quanta extensione gaudeat prædicatum; cum enim Christus ab eodem Apostolo *innocens*, *sanctus*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus* dicatur, patet, nomine peccati loco superiori non intellexisse Apostolum, nisi satisfactionem peccati. Sic etiam pluries in libro Jobi nominantur *Behemot*, & *Leviathan*: quid sibi importent nomina ista nesciremus, nisi ex prædicatis, quæ illis tribuuntur, cognovissent *Bochartus*, & *Lodulphus*, ibi sermonem fieri de *Ippopotamo*, & *Cocodrillo* bestiis Ægyptiis.

270. 3. Ad obscuriores locutiones illustrandas *ex manifestioribus sumantur exempla*, *&* *quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant*, inquit Augustinus *lib. 2. de doct. Christiana. c. 9.* Non raro enim fit, ut quod auctor obscure antea expressit, postea dilucidius explicet. Utile erit igitur quammaxime *loca*, ut vocant, *parallela* simul conferre, ut auctoris mens detegatur.

271. 4. Juvat præterea alios adire (dummodo materiæ, de qua agitur, sint periti) qui auctorem sunt interpretati, præcipue vero discipulos, amicos, vel saltem coævos, dummodo non constet, voluisse istos aucto-

ri imponere, ut de Aristotele erga Platonem præceptorem suum putant eruditi: vel discipulos a præceptorum sententia discessisse, ut certum est de Cassiano certe semipelagiano, licet discipulo S. Joannis Chrisostomi, qui ab hac erroris nota communi calculo purgatur: vel tandem dummodo verba ipsa interpretationi illorum manifeste non adversentur.

172. 5. Si manifeste constet, auctorem suam mutasse sententiam, posteriori, non primæ est adhærendum. Si vero ex negligentia in contradictionem inciderit, illud pro auctoris mente probabiliter est usurpandum, quod veritati tum absolutæ, cum hypotheticæ (seu auctoris systemati magis congruenti) visum fuerit convenire.

273. 6. Si propositio universaliter, & absolute prolata sit falsa, dummodo auctoris mens hoc patiatur, est restringenda. Sic dum dicitur: *omnis caro corruperat viam suam: omnis homo mendax &c.* veluti universaliter prolata non sunt effata hujusmodi accipienda, cum ex Scriptura ipsa constet, Noe, filiosque ejus placuisse Deo, & Christum hominem fuisse, nec tamen mendacem (n. 26).)

274. 7. Tandem si propositionem obscuram pluribus modis interpretari posse cognoverimus, illi adhærendum putamus qui probabilius systemati auctoris consonat. At interpretatio probabilis tantum erit. Quod si plures sensus, quibus potest auctor esse locutus, omnes æque non discrepent ab auctoris systemate, tunc derelinquendus est liber, vel libri locus utpote minime intelligibilis. Hæc tradi possunt pro auctorum interpretatione: reliqua intellectu, judicioque suppleantur. Faciles tamen ne sitis in auctoribus accusandis erroris: mementote illius Joannis Duns Scoti *in* 1. *dist.* 8. *q.* 7. *nolo*, inquit, *eis* (hoc est Aristoteli, & Avicennæ) *imponere absurdiora, quam ipsi dicant, vel quam ex dictis eorum necessario consequantur, & ex dictis eorum volo rationabiliorem intellectum accipere, quam pessimum.*

§. V.

§. V.

Canones pro ferendo probabili judicio de futuris contingentibus.

275. DIcite, *quæ ventura sunt in vobis, & dicemus: Dii estis vos*, inquit Scriptura: absolute igitur prævidere futura non possumus: multa tamen conjecturis, & ratiocinio, si non certo, probabiliter saltem, prævidere non raro valemus. Quam utiles igitur illæ esse possint regulæ, quas pro judiciis de futuro ferendis trademus, nemo est, qui ignoret. Si vita nostra spectetur, ex præterito, & futuro tantum quodammodo coalescit; præsens enim dum consideratur, fugit; nisi ergo quis ex iis, quæ evenerunt, futura conjectando, quomodo potest, prævideat, nunquam prudentia regetur, quæ ad bene vivendum utilis maximopere est, imo & necessaria. Sit igitur.

276. Can. 1. Antequam de futuritione eventus tu feras judicium, circumstantias omnes, in quibus ponenda est causa, considera; ab iis enim naturales omnino, liberæ vero causæ admodum dependent.

277. Can. 2. Quod in quibusdam circumstantiis observaveris accidisse, moraliter certo esse etiam tunc eventurum, pronunciato. Quod nunquam, moraliter impossibile habeto.

278. Verum ego existimo, communi calculo canonem hunc comprobatum veritatem certissime tunc solum obtinere, cum agitur de causis naturalibus, non vero cum sermo de causis liberis instituitur; cum enim futuritio eventus in istis tota, vel magna saltem ex parte, a libertate pendeat, quæ in operando nullis adigitur legibus, ex eo quod, iisdem positis circumstantiis, semper idem effectus sit sequutus, non video, qui fieri possit, ut concludamus, certe etiam in casu nostro esse eventurum. Potuit ex. gr. quis millies intra totidem vices, quibus Bibliothecam ingressus est, librum aliquem ape-

 ri-

rire, in ingressu vero uno supra millesimum valet idipsum non præstare.

279. Can. 3. Quando in quibusdam circumstantiis animadvertisti, non semper eumdem secutum esse effectum, ne putaveris, hunc, & non alium certo esse futurum: sed illum, qui iisdem, ut dixi, positis circumstantiis, ut plurimum accidit, dicito, probabiliter etiam tunc futurum.

280. Cum igitur probabilitas suos habeat gradus (n. 197.) possumus probabilitatem futuritionis ita dimetiri. Determinetur quoties effectus *A* intra certum casuum numerum acciderit: ejus probabilitas erit ad futuritionem, sicuti numerus casuum, in quibus contigit, ad numerum eorum, in quibus eædem positæ sunt circumstantiæ, & effectus non est secutus.

281. Can. 4. Si causam æque dispositam perspexeris ad plures effectus producendos, præsumptionem pro uno certo, & determinato effectu futuro habeto, ut est unitas ad numerum omnium effectuum, ad quos producendos disposita æque est causa. Si vero causam magis ad unum, quam ad alium effectum videris dispositam, erit probabilitas illius, ad quem magis inclinatur causa, ad probabilitatem alterius, sicuti sunt inter se numeri vicium. quibus in iisdem circumstantiis effectus ambo sunt sequuti. Ex canone isto dimetiantur probabilitatem lucri, qui aleis, aliisque id genus ludis incumbunt.

282. Can. 5. Improbabilem censeto futuritionem eventus contingentis in iis circumstantiis, quibus positis, nonnisi rarissime contigit. Temere igitur quis præsumit semet in æternum salvum facere, licet improbe vivat, quia aliqui ex iis, qui licet toto vitæ florentis cursu impii fuerint, in extremo tamen mortis agone, Divina favente gratia, in æterna tabernacula sunt recepti; posita enim hac circumstantia morum fere usque in finem pessimorum, scimus ex Chrisostomo, numerum e manu Diaboli ereptorum nullam, aut quasi nullam proportionem cum iis servare, qui rudentibus inferni, æternisque cruciatibus sunt miserrime traditi. Caput igitur quartum hoc

hoc modo absolutum sit, certe tremendo iis, qui Logica non ad vana tantummodo addiscenda utuntur, verum etiam ad perpendenda utilissima. Longam plus fortasse nimio artem hanc tradidimus: *verum*, dicam cum Melchiore Cano *lib. 6. de loc. Theol. in fine, longa non sunt, quibus nihil est, quod demere possis.*

CAPUT V.

De ratiocinatione, seu mentali discursu.

283. **R***Atiocinatio*, seu *discursus* est illa mentis operatio, qua ideæ binæ comparantur cum tertia, ut observetur, num inter se conveniant, nec ne. Non clare video ex. gr. an idea spiritualitatis conveniat cum anima mea: assumo quod est perspectum, nimirum, solum spiritum cogitare. Cum cogitatione itaque animam, & spiritum confero, dicendo: *solus spiritus cogitat: anima mea cogitat; ergo*, concludo, *anima mea est spiritus.*

284. Tres igitur ideæ, tresque propositiones in quacumque ratiocinatione occurrunt, secus vitiosa est argumentatio. Tria autem hæc judicia *termini argumentationis* appellantur, quorum primus *Majoris*, secundus *Minoris*, tertius *consequentis* nomine donatur: *Illatio* vero, seu *Anima*, ut inquiunt, *argumentationis*, *consequentia* dicitur. Quapropter ista aut bona est, aut mala, prout nempe recte, vel male a præmissis deducitur: falsa autem, vel vera dici non potest. In allata igitur argumentatione prima propositio: *solus spiritus &c.* est *major*: secunda, nempe *anima mea &c* est *minor*: tertia, scilicet *anima mea cogitat*, est *consequens*: tò *ergo* est *consequentia*, seu *illatio*.

285. Verum ut recte instituatur istiusmodi comparatio, & inde binarum idearum inter se conformitas, vel disconvenientia deducatur, axiomata sequentia sunt probe perpendenda. 1. *Quæ conveniunt uni tertio, ea conveniunt inter se.* 2. *Quorum unum convenit cum tertio, cum quo alterum non convenit, non conveniunt inter se.*

3. *Quæ affirmantur, vel negantur de subjecto universaliter, ea affirmantur, vel negantur de singulis sub illo contentis*. Sic ob primum axioma recte ratiocinor, dicendo.

A est = *B*.
C. est = *B*.
ergo *A*. est = *C*.

Ob secundum recte concludam, *B* non esse = *C*, si sic ratiocinatus fuero.

C est = *D*.
B. non est = *D*.
ergo *C*. non est = *B*.

Tandem ob tertium recte inferam, Petrum esse rationalem, ita argumentando: *homo est rationalis: Petrus est homo; ergo Petrus est rationalis*.

286. Animadvertite, posse duo discrepare cum tertio, quin inter se discrepent. Sic palmum, & palmum cum tertia parte palmi non conveniunt, & tamen inter se conveniunt; aliud est igitur axioma secundum nobis probatum (n. 285.) quod non animadvertit Heinnecius *Log. pag.* 180. *Axio.* 2.

287. Septem a Logicis communiter enumerantur argumentationis species, *Syllogismus* nimirum, *Enthimema*, *Epichirema*, *Dilemma*, *Sorites*, *Inductio*, & *Exemplum*. Breviter igitur unamquamque percurramus.

ARTICULUS I.

De Syllogismo.

288. QUæcumque nostra ratiocinatio *syllogismus* est, unde Græcis *syllogizandi* idem est, ac ratiocinari: verum quia non in omni ratiocinatione clare syllogismus elucet, ideo de hoc speciatim loquamur.

Syl-

Syllogismus itaque est oratio constans tribus propositionibus ea lege inter se dispositis, atque connexis, ut ultima a prioribus, veluti effectus a causa sequatur. Exempla superius (n. 283.) adducta syllogismo perfecte accommodantur. Quare tota vis syllogismi allatis eodem numero axiomatis innititur.

289. Propositiones in syllogismo, ex quibus alia infertur, dicuntur *præmissæ*: quæ vero deducitur, *conclusio*, seu *consequens* vocatur. *Major* dicitur prima, secunda *minor*. Prædicatum majoris dicitur *majus extremum*. Minoris subjectum *minus extremum* appellatur. Alter terminus syllogismi *medius terminus* nuncupatur, quia medium est comparationis. Ex. gr. in hoc syllogismo: *homo est capax beatitudinis: Petrus est homo; ergo Petrus est capax beatitudinis*. *Capax beatitudinis* est majus extremum: *Petrus* est minus: *homo* est medius terminus.

290. Ut bene syllogismi conficiantur, sequentes regulæ accurate servandæ sunt. 1. In syllogismo non adsint nisi tres termini, alias nulla est comparatio. 2. Ex puris particularibus nihil sequitur necessario, licet aliquando ob materiam propositionis necessariam possit sequi: non sequitur necessario, quia ut pluries adsunt in syllogismo quatuor termini. Sic si dixero: quædam figura est quadrilatera: quoddam triangulum est figura; ergo quoddam quadrilaterum est triangulum: licet præmissæ sint veræ, tamen consequens est falsum: consequentia non bona; figura enim in majori sumitur determinate pro illa, quæ constat quatuor lateribus: in minori vero determinate pro ea, quæ ex tribus tantum lateribus consurgit; ergo sunt quatuor termini. 3. Ex puris negativis nihil sequitur: scilicet non potest sequi conclusio affirmativa; etenim identitas extremorum nonnisi ex identitate utriusque cum tertio colligitur (n. 285. Axio. 1.) Neque inferri potest negativa; non enim licet colligere pugnam illarum idearum inter se, quia utraque pugnat cum tertia (n. 286.) ex. gr. *Nullus canis loquitur: nullus homo est canis; ergo nullus homo loquitur*. 4. Conclusio se-

ſequatur debiliorem partem, ſive, quod idem eſt, ſi una præmiſſarum negativa, aut particularis fuerit, talis quoque ſit concluſio. Ratio horum ſumitur ex comparatione ipſa idearum cum tertia, & ex regula ſequenti. 5. Latius eſſe nequit conſequens ipſis præmiſſis; conſequens enim eſt effectus præmiſſarum: quinam autem effectus latior ſua cauſa? Tandem 6. medius terminus nunquam concluſionem ingrediatur; cujus ratio ex ipſo ſyllogiſmi fine manifeſte elucet.

291. Multa *de figuris, modis, reductioneque* ſyllogiſmorum tradiderunt Logici: *ea abſurda non ſunt*, ut inquit Heinnecius; *verum ſi quæ hactenus diximus, recte intellexeritis, non ſunt admodum neceſſaria*. Quocumque enim modo fiant ſyllogiſmi, hoc ſufficit, quod nempe quidquid in comparatione binarum idearum cum tertia, ſeu extremorum cum medio termino viſum fuerit inferri, id inferatur.

292. Non raro accidit, quod major propoſitio in ſyllogiſmo ſit compoſita, ita ut una deinde ejus pars ſumatur in minori, altera vero in concluſione, ut: *ſi mundus providentia regitur, datur Deus; ſed mundus providentia regitur; ergo datur Deus*. Quot igitur enumerantur propoſitiones explicite compoſitæ, tot ſyllogiſmi hujuſmodi recenſentur. Alius eſt igitur *conditionalis*, alius *copulativus*, *disjunctivus* alter, alter *cauſalis* (n. 149. 146. 145. 150.) ſicuti diximus de propoſitionibus explicite compoſitis.

293. Tunc recte concluditur ſyllogiſmo *conditionali*, 1. quando conſequens majoris profluit tamquam a cauſa ab antecedenti ejuſdem: 2. quando a poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis: 3. vel a remotione conſequentis ad remotionem antecedentis concluditur. Niſi iſtæ ſerventur regulæ, nullam vim habet ſyllogiſmus conditionalis. Hinc inepti eſſent iſti. *Si Alexander VI. fuiſſet Pontifex, fuiſſet ſanctus; atqui non fuit ſanctus; ergo nec Pontifex. Si Petrus eſſet ſanctus, amaret parentes; atqui amat parentes; ergo eſt ſanctus. Si Petrus eſſet ſanctus, amaret parentes; atqui non eſt ſanctus;*

ctus ; ergo non amat parentes. Inepti, inquam, sunt isti ; primus enim contra primam, secundus contra secundam, tertius tandem contra tertiam regulam aperte peccant.

294. *Copulativus* vim habet, 1. si major sit negativa : 2. si una majoris parte negata in minori, affirmetur altera in conclusione, vel e contra, si una majoris pars in minori affirmetur, altera in conclusione negetur. Recte proinde concludit Christus, dum ait : *nemo potest Deo servire, & mammonæ ; at avari serviunt mammonæ ; ergo non possunt servire Deo*. Verum utramque infringeret regulam, qui sic argumentaretur. *Potest homo doctus esse, & pius ; sed Petrus est doctus ; ergo etiam pius*.

295. Ut syllogismus *disjunctivus* recte concludat, requiritur 1. quod membra majoris sint vere disjuncta, & sibi mutuo opposita : 2. ut a remotione reliquorum procedatur ad positionem unius : vel contra, a positione unius cætera excludantur. Optime igitur concludit iste : *aut mens est corporea, aut spiritualis : atqui non est corporea ; ergo spiritualis* : vel ; *atqui est spiritualis ; non ergo est corporea*. Male autem sequentes concludunt. *Discipulus aut studet, aut dormit ; non dormit ; ergo studet*. 2. *Aut terra movetur, aut quiescit ; at non movetur ; ergo non quiescit* ; primus enim contra primam, alter vero contra secundam peccant.

296. Tandem recte se habet syllogismus *causalis*, quando 1. antecedens est reipsa causa consequentis præcisa, atque unica : 2. si a remotione antecedentis remotio consequentis, vel a positione antecedentis positio consequentis inferatur. Bene proinde concludit iste. *Quia Petrus honestam egit vitam, salvus factus est ; sed Titius impius semper fuit ; ergo salvus non est factus*. At pessimus foret iste. *Ideo luna movetur, quia est corpus ; sed sol est corpus ; ergo movetur*. Tales etiam hi forent. *Quia Deus auxiliatur nobis, bene vivimus ; sed Petrus male vivit ; Deus igitur illi non auxiliatur*. Sic etiam : *quia Petrus Christum prædicavit, fuit in crucem actus ; sed malus latro fuit in crucem actus ; ergo Chri-*

stum

ſtum prædicavit. Primus enim contra primam, ſecundus contra ſecundam, tertius tandem contra tertiam regulam manifeſte concludunt. Atque hactenus de ſyllogiſmis.

297. Quia tamen accidit aliquando, quod in diſputationibus illatio optime deducta pernegetur, præmiſſis jam conceſſis, ad revincendos adverſarios una, vel altera ex hiſce duabus regulis utimini. 1. Syllogiſmus ſit iſte ex. gr. *Quidquid ſpirituale eſt, eſt etiam immortale; anima rationalis ſpiritualis eſt; ergo eſt immortalis*. Præmiſſis conceſſis, negatam ſupponamus conſequentiam, utere eo principio: *quæ ſunt eadem unì tertio, ſunt eadem inter ſe*, dic deinde: *ex conceſſis anima rationalis, & immortalitas eædem ſunt cum ſpiritualitate; ergo eædem ſunt inter ſe*. Si vero conſequens fuerit negativum, utere alio principio, *quorum unum* &c. (n. 285.)

298. Regula 2. At jucundior eſt iſta; adigitur enim adverſarius apertiſſime vel ad concedenda, vel ad neganda ſimul duo contradictoria, vel ad ſibimet contradicendum. Propoſitio contradictoria concluſionis negatæ ſumatur, fiatque major, vel minor: una ex propoſitionibus conceſſis præmiſſa remaneat: altera vero fiat conſequens; ut igitur perſtemus in allato exemplo. *Quidquid ſpirituale eſt, eſt etiam immortale; anima rationalis eſt ſpiritualis; eſt ergo etiam immortalis*. Præmiſſis conceſſis, negata fuit concluſio; *ergo anima rationalis eſt immortalis*; ſumatur igitur huic contradictoria, dicendo: *anima rationalis non eſt immortalis*, deinde quæcumque ex conceſſis fiat minor, dicendo: *atqui ex conceſſis anima rationalis eſt ſpiritualis; ergo quoddam ſpirituale non eſt immortale*. Primam propoſitionem pernegare non poteſt adverſarius, alias duo contradictoria ſimul inficiaretur: ſecundam conceſſit; ergo tenetur concedere & tertiam:, quæ tamen eſt contradictoria majoris in altero ſyllogiſmo conceſſæ. Siquis recte argumentatus fuerit, facile refractarium regulis iſtis adiget ad concedendam, aut ſaltem agnoſcendam illationis vim.

AR-

ARTICULUS II.

De reliquis argumentationum speciebus.

299. SI una ex præmissis utpote satis obvia reticeatur, *Enthimema* conficitur, veluti cum ita quis ratiocinatur: *quidquid cogitat est spiritus*; *ergo mens est spiritus*: in qua argumentatione manifeste apparet, illam propositionem omitti, quia satis evidens est, nempe: *atqui mens cogitat*. Enthimema igitur in disputationibus compendii gratia usitatissimum duas habet propositiones, quarum prima *antecedens*, secunda *consequens* appellatur. Verum nisi propositio omissa certa, evidensque sit, nullam vim habet enthimema.

300. *Epichirema* est syllogismus, vel enthimema, cujus alterutri, aut utrique præmissarum sua probatio adjungitur, ut si dicas. *Dei promissiones neminem fallunt*; *Deus enim veritas est*; *sed perseverantibus promisit ipse vitam æternam*; *ait enim*: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*; *ergo perseverantes vita æterna non possunt privari*.

301. *Dilemma*, quod plerique *argumentum cornutum* vocant, est argumentatio, in qua semper pro antecedenti sumitur propositio disjunctiva, atque ex singulis ejus partibus consectaria eliciuntur, quorum quodcumque ab adversario recipiatur, contra ipsum concludit. Ex. gr. *Vel Petrus studuit, vel non studuit? Si studuit, hebes est, quia nihil profecit*: *si non studuit*, *ignavus est*, *quia studio incumbere debuit*. Sed facile tam elegans argumentatio degenerabit in sophysma 1. si membra non sint opposita: 2. si aliqua sint omissa: 3. si consectaria ex membris necessario non fluant. Hisce ergo vitiis istud laborat. *Petrus aut manducat, aut ambulat. Si manducat parasitus est. Si ambulat*; *otio igitur indulget*. Etenim peccat contra primam regulam, quia membra non sunt opposita: contra secundam, quia plura sunt omissa; potest enim studere, orare &c. peccat contra tertiam, quia

ex quo aliquis manducat, vel ambulat, non sequltur, intemperanter his esse deditum.

302. *Sorites* est argumentatio plus, quam duabus præmissis constans ea ratione inter se dispositis, ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ, prædicatum secundæ subjectum evadat tertiæ, & sic deinceps, donec subjectum primæ connectatur cum prædicato ultimæ in conclusione. *Gradatio* quoque argumentatio ista dici solet. Pulcherrimum hujus gradationis exemplum nobis exhibet Seneca, dum ait epist. 86. *Qui prudens est, & temperatus est: qui temperatus est, & constans est: qui constans est, & imperturbatus est: qui imperturbatus est, sine tristitia est: qui sine tristitia est, beatus est; ergo qui prudens est, beatus est*. Sorites non est nisi coacervatio plurium syllogismorum, & in illos facile potest resolvi. Verum facillime in sophysma gradatio degenerabit, si una ei immisceatur propositio, quæ non sit necessario vera, aut si præmissæ fuerint mere negativæ.

303. *Inductio* est argumentatio, qua ex particularibus recte enumeratis universalis propositio infertur, ut si dicam: *Paulus sentit, Petrus sentit, Franciscus sentit &c. ergo omnes homines sentiunt*. Verum hoc argumento, salva illationis bonitate, uti non possumus, nisi in rebus geometricis, & theorematibus metaphysicis: in reliquis assertionibus plerumque falsum, sæpe probabile, nunquam est certum. In illis ideæ sunt sibimetipsis objecta. nec falsæ esse possunt objective; ergo cum ideæ illæ sint quodammodo a mente creatæ, eidem tota illarum essentia est perspectissima: ac per consequens, quod de una ex illis affirmamus, necessario convenire debet cuilibet ejusdem speciei. Dico ex. gr. *Triangulum isosceles A habere angulos ad basim invicem æquales*: idipsum de reliquis isoscelibus triangulis absque ulla erroris suspicione affirmare possum; certo enim scio, eamdem omnium esse essentiam. At quis de entibus realibus a mente non confictis valet idipsum affirmare? Quis canis, hominis, corvi &c. naturam rimatus est? Quis essentiam alicujus entis cognovit? At ipsa ignota,

qui

qui fieri potest, ut certo, absque errore affirmemus, vim aliquam in uno, aut pluribus detectam individuis, omnibus ejusdem speciei æque convenire, nisi enumeremus, & perscrutemur omnia? Ubi autem ars brevis, vita longa reperiatur, nondum scio; non igitur argumento illo tutò uti possumus in iis, quæ abstracta prorsus non sunt.

CAPUT VI.

De methodo.

304. IIS comparatis, quæ ad bene judicandum, recteque ratiocinandum necessaria duximus, tradendum nunc est, qua ratione uti iis debeamus in veritate vel invenienda, vel explicanda; nisi enim recta methodo in scientiis excolendis utamur, licet & rectum feramus judicium, & accurate ratiocinemur, in illis tamen ne latum quidem unguem proficiemus. Agemus propterea in hoc capite primum de methodo studendi: tum de methodo veritatem inveniendi: postea de methodo illam jam inventam aliis communicandi: ac tandem de methodo disputandi.

ARTICULUS I.

De methodo studendi.

305. CAusæ omnes, ob quas aut parum studio incumbimus, aut nullam ferme utilitatem ex eo derivamus, ad quatuor classes possunt commode referri: hæ autem sunt. 1. Inordinatio affectuum: 2. aversatio a labore: 3. mala electio studiorum: 4. per varia distractio. Breviter singulas percurramus.

306. Vix dici potest, quantum inordinati affectus nos a sapientiæ amore avertant, aut saltem quantum judicia nostra corrumpant. Voluptas quæque corporea sic animum a studiis arcet, acumen retundit, pigritiem, iner-

tiam-

tiamque in homines inducit, ut voluptatibus corporeis, irretiti, nonnisi voluptatis objecto, *tamquam ostraca scopulis*, ut inquit Plato, *videantur affixi*. Lætitia quoque nimis gestiens, amor, odium, superbia, spes immodica, temporalium, ira, atque aviditas auri, licet aliquantisper permittant, ut ii studiis incumbant, qui furiis hisce agitantur, tamen ita rationem antevertunt, ut præjudiciis obsita duntaxat ad veritatem investigandam accedat: quænam autem inde hauriantur ideæ, quænam judicia, jam vidimus. Igitur.

..... Animum rege, qui nisi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis:
Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Ita Horatius: quid Catholicus? Moderatio affectuum (dicam breviter, quod longam expostularet orationem) est veluti primus gradus, quem proferre debent, qui in studio scientiæ currere exoptant: *initium* autem *sapientiæ timor est Domini*.

307. Ex inordinatis affectibus provenit, ut jam diximus, despectus, ut ita loquar, scientiarum. At si bene res ipsa perpendatur, facile patebit, id oriri præcipue ex eo, quod laborem exhorreamus; nemo enim est, qui scientiam non amet: at pauci sunt, qui matrem ejus, laborem nempe sereno oculo intueantur. Ab effervescentia plerumque cæterorum affectuum prigrities ista nascitur: non raro tamen a timore amittendæ valetudinis oritur. Ut noxius iste timor expellatur, pro certo habeto, infirmitates, immaturamque mortem ab intemperantia potius, quam a meditatione, & lectione persæpe provenire. Centenarius Democritus, Plato octogenarius, nonagenarius S.Hjeronymus, & Newtonus, ut cæteros præteream, 85. annos natus, meditantes, legentesque mortui sunt. Itaque illius Horatiani memento.

Qui

Qui cupit optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,
Abstinuit Venere, & vino ....

Quod tamen ita memoriæ præsens volo, ut aliud ejusdem minime negligatur, nempe.

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

308. Qui tranquillo, pacatoque animo litterarios exercet labores, animadvertat diligenter oportet, non omnibus omnia dari, nec scientiam quamlibet sciri ab unoquoque posse; igitur ea eligat duntaxat studia, in primis quæ viribus, quæ statui proprio sunt accommodata, & ad quæ proclivem magis se sentit; hoc enim pacto fiet, ut inutilia utilibus non anteferat: 2. ut materiam sumat, quam & valent, & non recusant ferre humeri, utpote propriis viribus æquam; sicque fiet, ut nihil invita dicens, faciensve Minerva, sine improbo labore scientiam illam assequatur.

309. Ad bonam quoque studiorum electionem pertinet, ut primum iis incumbamus assidua lectione, ac meditatione, quæ scientiæ illi, quam metam laborum nostrorum præfiximus, facem possunt præbere, a facilioribus ad difficilia sempre gradum facientes: alias aut nulla, aut mutila saltem erit scientia, quam didicisse præsumimus. Nisi quis ex. gr. arithmeticæ, & algebræ operam impendat, qui fieri potest, ut geometriam intelligat? Theologus ne erit ille, qui historiam ecclesiasticam, ac chronologiam ne a limine quidem salutavit?

310. In scientiis profectus totus a lectione pendet, ut diximus, & meditatione: verum pluribus incumbendum non est; rerum enim copia mens opprimitur, & ideo ne plures simul perlegas libros, sed eumdem plu- ries; *lectio enim certa prodest, vana delectat*, inquit Seneca *epist.* 45. Lectionem pariter diversa pertractantium ne alternaveris, nisi forte cum fuerit mens defatigata, eos libros manuversare velis, qui ad cultiorem stylum, amænamque eruditionem plurimum conducunt. Nisi sic se gesserit

ſerit lector, fiet certiſſime; ut perſæpe iis accidit, quos ego ſcientiarum lexicon appellarem, ut vel in ſcribendo, vel in diſputando, vel doctos homines alloquendo,

Delphinum ſylvis appingunt, fluctibus aprum.

311. Memoriam labilem eſſe, nec quod recens acceperit, diu conſervare, quem latet? At neminem etiam fugit, tantum nos ſcire, quantum illa retinemus; ut igitur illi præbeas auxilium, ſtylo utere: quæ legiſti, notatuque digna noviſti, vel meditatione acquiſiviſti, in adverſaria referto, loca auctorum breviter indicando, ut cum opportunum fuerit, poſſis ea iterum meditari. Succedat ſcripturæ cum viris doctis converſatio; erudita enim allocutione adjuvatur memoria, mentiſque acies mirum in modum augetur. Tandem illius Pithagoræ memento.

Nec feſſa in dulcem declines lumina ſomnum,
Quin ter cuncta prius repetiveris acta diei.

Articulus II.

De methodo Analytica, ſeu veritatem inveniendi.

312. Analyſis idem eſt, ac reſolutio. Cum igitur quæ conſideranda nobis occurrunt, ſingularia ſemper ſint, adeoque compoſita, methodo utimur analytica, ſeu reſolutionis, ut commode, probeque, quod in compoſitis latet, perſcrutemur. Hac ergo methodo omne totum dividi in ſuas partes debet, omne compoſitum in ſua principia eſt reſolvendum, omnis denique effectus ad ſuam cauſam revocandus eſt. En itaque regulæ, quibus in veri inveſtigatione, quod ingenio non poſſumus, nobis diligentia comparabit.

313. Regula 1. Clare, evidenterque determinandum nobis eſt, quid ſit, quod quæritur, ne in incerto vagemur.

314. Regula 2. Quæ ad rem non faciunt, removenda omnia ſunt: alias nihil attente perſpiciemus.

315. Re-

315. Regula 3. Videndum, utrum simplex sit, vel composita quæstio, quam sumimus exagitandam; si enim una non esset, omnes ejus partes forent speclatim examinandæ.

316. Regula 4. In subsidium ea omnia vocare debemus, quæ lumen valent afferre rebus obscuris (n. 309.)

317. Regula 5. Aliquod deinde ad rem faciens nobis notum principium, & exploratum sumendum est; *mens quippe nostra ignotis in tantum capiendis par est, in quantum diversimode illa participant de eorum natura, quæ nobis prius nota erant*: inquit Auctor *Artis cogit. P.* 4. *c.* 2.

318. Regula 6. Quæ sunt cognita, attentissime comparanda, atque ad incognita sunt referenda, a particularibus ad universalia paulatim progrediendo.

319. Regula 7. Tunc duntaxat sistendum, atque investigationi finis est imponendus, cum ad principium ventum fuerit, de cujus veritate ne dubitare quidem valemus.

320. Regula 8. Tandem veritate inventa, diligentissime omnes ratiocinationes nostræ, quibus in ejus inquisitione usi sumus, considerandæ sunt, atque omnes possibiles, quantum fieri potest, observandæ sunt difficultates, cavillationes, objectiones, quas subtilis, obstinatus, curiosus, invidus, præjudicatus, vel parum sagax adversarius contra nos congereret.

321. Rem totam illustremus exemplo. Quæratur, an anima hominis sit spiritualis? Determino in primis, quid *animæ humanæ*, quid *spiritualis* nomine intelligatur. *Animam* dico *humanam*: *ens aliquod regendo corpori ordinatum*, *quod omnes perceptiones*, *judicia*, *&* *syllogizationes*, *quorum conscii sumus*, *producit*: *spiritualis* vero nomine: *ens intelligo*, *quod & sensibilibus*, *&* *insensibilibus quoque careat partibus corporeis*. In allatis definitionibus quædam observo, quæ ad rem minime faciunt: quædam, quæ in dubium vocari possunt. In animæ definitione sumpsi, quod sit *ens regendo corpori ordinatum*. Prima hæc pars nullimode quæstioni propositæ solvendæ in-

inservit: removeatur ergo, simpliciorque evadat quæstio, dicendo: *utrum ens illud, quod perceptiones nostras producit, constet necne partibus corporeis?* Adhuc quid aliud observo in ejusdem animæ definitione, quod possit in dubium vocari, quod tamen ad rem præsentem non attinet. Negant Cartesiani, quod anima hominis, quæ videntur ejus operationes producat; defendunt enim eas a Deo immediate ipsi communicari, ita ut sit anima principium quoddam mere passivum. Solvi igitur hæc quæstio prius deberet: sed quoniam valet optime demonstrari, spirituale esse debere, vel quod producit, vel in quo perceptiones producuntur, ideo anima sic definiatur. *Est ens, quod producit, vel in quo producuntur ideæ, judicia &c.* Contemplemur modo definitionem spiritus. *Spiritum* illud ens appellavimus, *quod caret partibus quibuscumque corporeis*. Hæc definitio supponit, nullum esse medium corpus inter, & spiritum, quod cum a pluribus denegetur, est prius demonstranda, scilicet, *nullam esse substantiam corpus inter, & spiritum mediam*: quo demonstrato, progredi deinde valemus ad quæsiti solutionem. Si possim demonstrare, cum idea corporis evidenter pugnare ideam cogitationis sive productæ, sive receptæ, jam, ut modo dicam, erit demonstratum, animam hominis esse spiritualem: ut vero illud demonstrem, attente perpendere prius debeo, quid conveniat, quid repugnet perceptioni: considerandum deinde mihi est, an ea, quæ perceptioni conveniunt, corpori repugnent: quæ adversantur perceptioni, sint a corpore inseparabilia. Et intima igitur conscientia, & physica sunt in subsidium vocandæ. Video ex. gr. perceptionem esse semper indivisibilem, nunquam vero extensum: e contra autem, esse corporea quælibet divisibilia, omnia pariter extensa. Concludo igitur, corpori repugnare cogitationem. Sic ergo meas ratiocinationes dispono. 1. *Quidquid est, aut spiritus, aut corpus est*. 2. *Anima humana cogitat*. 3. *Corpus nequit cogitare*; *ergo*, concludo, *anima nequit esse corpus*; *est igitur spiritus*.

ARTICULUS III.

De methodo Synthetica, seu veritatem exponendi.

322. S*ynthesis* græce idem eſt, ac latine *compoſitio*: ideo igitur methodus illa, quæ de tradenda veritate agit, *ſynthetica* eſt appellata, quia in iis tradendis, quæ nobis explorata ſunt, compoſitione utimur, ab univerſalibus ad particularia, a facilioribus ad minus facilia, a ſimplicibus denique ad compoſita gradum facientes. Verum quoniam methodus illa quamaccurate, obſervata conſpicitur apud Geometras, & Mathematicos, aliqua de methodo *Mathematica* ſunt breviter tradenda.

323. Propoſitio quælibet proprio nomine a Mathematicis, ac etiam a Philoſophis, qui eos imitantur, donatur; non abs re igitur erit ſingula explanare.

324. Quod ex definitione immediate profluit, atque parum etiam attendenti animo profluere apparet, *Axioma* vocatur: quod ſi de re practica agatur, *Poſtulatum* ſolet appellari. Definito ex. gr. circulo *per lineam, quam radius idem circa idem punctum actus deſcribit*, ſi inde inferas; *ergo omnes radii circuli æquales ſunt*, axioma habebis: ſi vero concludas, poſſe circulum deſcribi, ſi linea circa punctum immobile moveatur, habes poſtulatum. Inde patet, axioma non indigere probatione; vera enim axiomata propoſitiones ſunt identicæ.

325. Propoſitio, quæ utpote non evidens probatione indiget, ſi ſpeculativa ſit, *Theorema*: ſi vero practica, *Problema* vocatur.

326. Siquid novi ex *axiomate*, *theoremate*, vel *problemate* infero, illud *Corollarium* appellatur: quod ſi evidenter ex altero deducatur, probatione non indiget; eſt enim corollarium ſimplex propoſitionis, ex qua deducitur, alicui applicatio: ſi vero evidens ejus deductio non ſit, probandum eſt, ipſum ex ea propoſitione optime deduci.

327. Quoties propositio aliqua aut clarius declaratur: aut dubiis, quæ ex ea possunt oriri, respondetur: vel doctrinæ illius usus describitur, vel tandem aliqua scitu nec injucunda, nec inutilia ad eam vel illustrandam, vel magis etiam firmandam inseruntur, toties, quod illud perficit, *Scholion* vocatur.

328. Philosophi autem dum methodo ista res philosophicas præsertim pertractant, cum non possint semper principia evidentia, certa, & inconcussa statuere, *hypothesi* utuntur. Est autem *hypothesis* propositio, quam ideo pro vera assumimus, quia exinde effectus, phænomena, observationes possunt omnes commode explicari. Verum cum hypothesis fundamentum sit probabilitas, ex ea nonnisi probabilia possunt inferri.

329. Geometræ itaque dum veritatem aliquam exponunt, hac methodo utuntur. 1. Omnes terminos definiunt, qui ingredi quæstionem debent, quique aut non satis noti, aut aliquo pacto æquivoci videntur. Siquæ ex allatis definitionibus possunt axiomata educi, quæ utilia ipsis appareant thesi demonstrandæ, ea eliciunt: theorema deinde, vel problema exponunt. Si problema fuerit, ipsum solvunt, cujus solutio theorema evadit: nectunt deinde theorematis demonstrationem, at ita claram, ita arctam, ut nihil illi inferatur, quod vel ex definitionibus, vel ex axiomate, vel ex aliis jam demonstratis evidenter non descendat. Corollaria postmodum, siquæ occurrunt, eliciunt, atque demonstrationi, si opus fuerit, scholia subnectunt. Philosophi autem, cæterique, qui Geometras imitantur, eamdem terunt viam, cum hoc tantum discrimine, quod illi loco axiomatum persæpe experimenta, observationes, hypotheses ponant: isti autem illud tamquam axioma firmant, quod in disciplina, de qua agunt, certum habetur, & indubium. Et hæc est methodus illa tam jucunda, tam accurata, tam certa, quæ obvia est in omnium Geometrarum operibus.

330. Tandem breviter triplex demonstrationis genus, in scholis frequentissimum est explicandum. Quædam *a priori*, quædam *a posteriori*, quædam tandem *apogogica* de-

demonstrari dicuntur. Tunc aliquid *demonstratur a priori*, quando effectus per causam, seu quod est posterius, per id, quod censetur prius, ostenditur. Tunc vero aliqua *demonstrari* dicuntur *a posteriori*, quando causa ex effectu, sive ex eo, quod est posterius, illud colligitur, quod existimatur prius. Qui animæ humanæ cogitandi vim ab ejusdem inferret spirituali natura, primo uteretur demonstrandi genere. Qui autem naturam animæ spiritualem ex facultate desumit cogitandi, dicitur istud demonstrare a posteriori; natura enim spiritualis est causa cogitationis. Tandem *demonstratio apogogica*, quæ dicitur etiam *deducens ad impossibile*, illa appellatur, qua, facta hypothesi, illud non esse verum, quod verum habemus, ostendit, sequi statim aliquod absurdum. Si ex. gr. ut ostendam animam meam esse spiritualem, sic argumenter. Dato, quod anima hominis spiritualis non sit; igitur cogitatio, quæ ab anima producitur, erit modificatio materiæ. Sed cogitatio est indivisibilis; igitur modificatio materiæ erit indivisibilis. Sed materia ex sua natura divisibilis est. Erit ergo divisibilis simul, & indivisibilis: quod contradictionem involvit. Vere igitur anima hominis nequit esse materialis. Hoc demonstrationis genere utuntur frequentissime Geometræ: sed illud est, quod nonnisi raro foret adhibendum; ex eo enim, quod una ex propositionibus invicem oppositis ostendatur contradictionem involvens, non statim percipitur, cur altera sit vera: quod semper, ubi obtineri potest, est a Philosopho inquirendum.

Articulus IV.

De argumentatione sophystica, seu fallaci.

331. Methodo cuique opponitur, & est omni inordinata argumentatione deterior, *argumentatio sophystica*, seu *fallax*; tota enim cura artis hujus in eo est posita, ut falsum sub specie veri incautis propinet, quod quam iniquum, impiumque sit, nemo non videt: &

ideo a veritatis amatore tamquam pestis fugienda est: Quia tamen præstare quidem possumus, ne in vitium dedecorum nimis Philosopho labamur: efficere tamen nequimus, ne cadant alii: operæ pretium erit vias ejus exponere, ac latibula detegere, ut torvo, non blandienti vultu nobis leæna appareat, incautosve decipiat; *remedia enim melius adhibebit, cui nota, quæ nocent fuerint*, ut Quintilianus ait *lib. 12. Instit. c. 1.*

332. *Fallacia* quæcumque aut in voce latitat, aut in re. In voce, seu dictione latitat fallacia, dum vel vox est ambigua per se, ut si dixerim: *Qui habet caput, habet sensus: montes habent caput; ergo montes habent sensus*: (2) vel est ambigua ex accentu: hoc vitio peccaret qui sic argumentaretur: *populus ex terra crescit; multitudo hominum est populus; ergo multitudo hominum ex terra crescit*. Prima enim syllaba correpta, multitudinem hominum populus significat: producta vero arborem tali nomine donatam designat. Sed gerræ sunt istæ, nec ullum, nisi stultissimum decipiunt.

333. Binæ iterum dantur fallaciæ ex vocibus ortæ, quæ aliquam expostulant, ut detegantur, attentionem: eæ autem *sensus compositi* dicuntur, & *sensus divisi*. Prima est illa, qua separantur ea, quæ vera non sunt, nisi sint unita: 2. ea est, qua illa invicem uniuntur, quæ nisi divisa sint, falsa prorsus sunt. Siquis ita argumentaretur: *quod est in quiete, non potest moveri; tu quiescis; ergo non potes moveri*: fallacia compositionis uteretur; major enim est vera in sensu composito tantum; non enim potest corpus idem moveri simul, & stare: at falsa est in sensu diviso, potest scilicet quod prius quiescebat, motu deinde cieri. Ex adverso peccaret in sensu diviso, qui diceret: *quod quietem obtinet, potest moveri; atqui quies, & motus sunt contradictoria; ergo potest subjectum idem contradictoriis prædicatis affici*; vera enim non est prima præmissa, nisi in sensu diviso. Argumentationes hujusmodi peccant omnes vitio quatuor terminorum, & ideo nihil concludunt (n. 290. Reg. 1.)

334. *Ex rebus* tunc oriuntur *fallaciæ*, (1) cum plures

res simul aut disparatæ, aut oppositæ de eodem subjecto interrogationes congeruntur: ut si Judex reum interrogaret dicendo: *solusne hominem illum expoliasti*? Si enim negative reus responderit, fatetur criminis socios: si vero affirmative, se criminosum non denegat.

335. (2) Cum id probatur, aut negatur, quod non est in quæstione, aut quod adversarius fatetur pariter, vel negat: quod sophysmatum genus *ignoratio* dicitur *elenchi*.

336. (3) Quando controversam propositionem probamus per id, quod sub judice adhuc pendet, quia est illud idem, quod controvertitur, licet diversis terminis sit expressum: ut si probarem, ideas omnes nobis a Deo immediate communicari hac ratione, quia videlicet mens nostra iners est, non idearum effectrix. Et hoc dicitur *petitio principii*. Simil limum est huic, quod *probatio* dicitur *ignoti per æque ignotum*: ut si quis ostenderet, lunam atmosphæram habere, quia incolis undique refertur.

337. (4) Dum binæ assumuntur propositiones controversæ, atque ex una altera, & vicissim probatur: quod præstaret, qui animal rationale probaret esse hominem, ex eo nempe, quod homo est animal rationale. Sophysma istud *circulus vitiosus* appellatur. Hoc tamen non laboraret, qui sic argumentaretur ex propositione ab adversario admissa; tunc enim *ad hominem argumentari* diceretur. Quare hæreticorum calumniis impetitur Ecclesia Catholica dum ajunt, ejus Doctores in circulo isto versari, quia ipsius infallibilitatem probant ex Scripturis; ex ejus vero infallibilitate Divinitatem evincunt Scripturarum; ex Scripturis enim Ecclesiæ infallibilitatem contra eos ostendunt, qui illas a Deo dictatas agnoscunt: sed adversus illos, qui hoc secundum inficiantur, probant prius ex miraculis, prophetiis, cæterisque, quæ dicuntur *credibilitatis, motivis*, Ecclesiæ infallibilitatem: deinde ex ejus definitionibus Divinitatem eruunt sacrorum Librorum.

338. (5) Cum procedit consequentia ab eo, quod est verum *secundum quid* (ut ajunt scholæ, seu secundum aliquam partem tantum) ad illud, quod verum

vult ostendi *simpliciter*, & *absolute* (hoc est omni ex parte). Sophysmate isto utebantur Ariani, dum *Verbum* creatum incautis suadere ex eo tentabant, quod Evangelium dicat: *Verbum caro factum est*; hoc enim ex parte quidem verum est: non autem omnimode.

339. (6) Quando illud rei *absolute* tribuitur, quod illi *per accidens* tantum competit. Dicitur autem argumentatio ista *fallacia accidentis*. In hoc sophysma hodierni impingunt hæretici, dum Sanctorum cultum ex eo reprobant, quod ex eo superstitiones enascantur quamplurimæ; hoc enim contingenter, non necessario cum *Dulia* connectitur.

340, (7) Tandem ex rebus fallacia oritur, dum effectus alicujus id tamquam causa adducitur, quod tale revera non est. Peccant hoc vitio quicumque in naturæ effectibus explicandis ad *antipathiam*, *sympathiam*, *ad planetarum adspectus*, ad portentosas, nescio quas, causas confugiunt; quod enim afferunt, nec ipsi agnoscunt: imo verborum illorum nec ullam habent notionem: quod vitium cum ex superbia nascatur, summa cautela vitandum est, fatendaque nostra ignorantia, ubi cognitiones deficiunt.

Articulus Ultimus.

De methodo disputandi.

341. PAucis vos in hoc articulo expediam; quæ enim ad disputationem necessaria erunt, usu magis, exercitationeque, Deo favente, addiscetis, quam præceptis conscriptis comparare vobis unquam possitis. Unus, solus (repetamque) unicus disputationis finis hic esse debet, veritatem scilicet invenire: præter istum inutilis, imo noxia evadit quælibet concertatio. Ea igitur sunt in omni disputatione fugienda, quæ vel ad inquisitionem veritatis minime ducunt, vel ab ipsa fortassis animum avertunt.

342. Ergo in primis nunquam ea in disputationem

ver-

vertenda, quæ vel certiſſima ſunt, vel captum ſuperant humanum, aut ſaltem noſtrum.

343. Nec cum illis diſceptandum, quibus nihil firmum, nihil eſt ratum; ignotum enim nonniſi ex noto poteſt deduci. (n. 317.)

344. Nunquam de nomine diſceptandum, cum de re conſtat; non enim in nominibus veritas eſt poſita, ſed in ideis per vocabula expreſſis.

345. Tandem nec captioſis, nec inofficioſis, nec contumelioſis utendum eſt verbis, nec ulla alia re, quæ lædere adverſarium poſſit; hæc enim omnia non ad veritatem inquirendam, ſed ad jurgia nos provocant, & ad nauſeam diſputationis. Quod igitur in familiaribus collocutionibus non tranſgrediendum urbanitas præcipit, id in diſputationibus eſt diligentiſſime ſervandum. Sitis igitur in colloquio mites, in audiendo quieti, in docendo officioſi, in reſpondendo blandi. Mementote, quod contradicentem docere oportet, non contradicendo compeſcere; *nam neque inſano, ſi viciſſim inſaniat, aliquis medebitur:* quod caveri *a modeſtis, ac mitibus & poſſe, & ſolere*, obſervat Auguſtinus l. 4. *cont. Creſcon.* c. 3.

Regulae pro Opponente, et Defendente

346. Opponens ſemper id probet, quod a defendente pernegatur, ſyllogiſmis, vel enthimematis utendo, quæ breviſſima, & nitidiſſima, quantum fieri poteſt, ſint.

347. Ea excipiat defendens ad litteram, ſi valet, vel ſaltem eodem fideliter ſenſu retento: ſingulas deinde iterum rimatus aſſumat propoſitiones: falſas neget, diſtinguat dubias, veras concedat, eas omittat ſive falſas, ſive veras, ſive dubias, quæ contra theſim minime faciunt: conſequentiam nunquam diſtinguat, ſed conſequens; hoc enim ſolum verum eſt, vel falſum, vel dubium: illa autem aut bene, aut male tantum deducta (n. 284.) Sed nec conſequens diſtinguatur unquam, niſi aliqua fuerit prius ex præmiſſis diſtincta; dum enim conſequentia

est bene illata, ficuti falfum nequit effe confequens, fi veræ fint premiffæ: ita nec ipfum dubium effe poterit, fi illæ fuerint certæ.

348. Opponens eam impetat propofitionem, quam in ultima refponfione defendens tradidit, eodemque, quod antea medium adhibuit, utatur, femper efficiens, ut illud fit confequens, quod ab adverfario eft pernegatum. Diftinctas propofitiones eo fenfu probet, quo fuerunt a defendente pernegatæ, vel faltem oftendat, etiam in eo fenfu, quo ipfe eas conceffit, thefi propugnatæ obeffe.

349. Siquæ verba aut ambigua occurrant, aut quæ viderit aliquis ex difputante, ab altero in alienum fenfum detorqueri, eorum aut afferat, aut petat definitionem, ne in incerto perpetuo vagentur. Nec ullus ei fubirafci debet, qui comiter explicationem vocabuli flagitat.

350. Tandem hac via eoufque progrediendum viciffim eft, quoufque nec ullam opponens afferat difficultatem, nec quæ funt allatæ, fint amplius enodandæ.

Finis Logicæ.

PHI-

PHILOSOPHIÆ

PARS ALTERA, SEU METAPHYSICA

PRŒLUDIUM

351. *Musa mihi causas memora, quo Numine læso*
...... tot volvere casus
Insignem pietate Virum, tot adire labores
Impulerit .....



IC post argumentum sui operis Æneadicam historiam aggressus est Virgilius: sic possem & ego, mutatis tantum nominibus, manus huic scientiæ admovere; tot enim ea vicissitudines perpessa est, tot laudibus modo ad cœlum evecta, modo autem tot maledictis ad inferos detrusa, ut nulla fuerit forsan ab hominibus exculta disciplina, quæ innumeris ut ista sit metamorphosibus exagitata. Summo, & improbo quasi labore, diligentia, & studio illam excoluerunt Eleatenses, Pythagorici, cæterique omnes ante Aristotelem Philosophi. Aristoteles autem adeo sublimem, adeo rerum omnium laudandarum habuit dignissimam, ut 13. qui *Metaphysicorum* dicuntur, libris, eam universam voluerit complecti: & quidem tanto orbis ferme universi plausu fuit opus istud exceptum, ut Arabes omnes, eorumque discipuli Scholastici, ne latum quidem unguem ab eo discedendum duxerint, sed plura sæcula in ejus interpretatione, maximo ingenii acumine, & incomparabili diligentia consumpserint. Sed excusso denique Scholarum jugo (n. 21.) parum abfuit, quin ab hac scientia non minus homines abhorruerint, quam a celebri illo Jano crudeli infantium devoratore, adeo quemque tæduit obscuritatis, subtilitatum, nugarumque in Scholasticorum operibus frequentissimarum. Diu tamen despectus iste non perduravit; videntes enim Cartesius, Verulamius, Morus, Clarkius, Leybnitius, Wolfius,

ſius, innumerique alii, Metaphyſicam inter, & cæteras quaſque ſcientias vinculum adeſſe indiſſolubile, quo niſi, veluti cognatione quadam, mutuo jungantur, labantur iſtæ, atque corruant penitus neceſſe ſit: exſtirpando quidem abuſui, at ſimul reſtituendo hujus diſciplinæ uſui toti ſtuduerunt, & omni conatu inſudarunt. Sic autem ex voto res ceſſit, atque ad eam dignitatem fuit illa evecta, ut ſi optio ei detur, contentane ſit conditione ſua, an aliquid aliud exoptet, nil melius deſiderare poſſe mihi videatur. Quod ſiquis a me exquirat, cur diverſas præ reliquis ſcientia hujuſmodi ſit perpeſſa fortunas, fidenter admodum reſpondere non detrectabo: quod cum de rebus abſtractis, atque commune ingeniorum acumen longe ſuperantibus perpetuam ſuam inſtituat pertractationem, niſi tenebræ quæque ab ea diſpellantur, exulet æquivocatio, de medio ambages tollantur, non poteſt niſi plumbeum non faſtidire: at vero qua, & obſcuritate, & confuſione in abſtractorum definitionibus Scholæ laboraverint, jam animadvertimus (n. 91.); hinc igitur deſpectus ille natus eſt, & quaſi nauſea ſcientiæ hujus eximiæ. At cum viderint deinde perſpicaciſſimi recenſiti viri, nos ne minimum quidem poſſe in ſcientiis proficere, niſi rebus metaphyſicis ſedulam prius navemus operam, ideo, ut priſtino reſtituerent honori diſciplinam hujuſmodi vere divinam, in id nervos omnes intenderunt. Sed hoc noſtro præſertim ævo vix facile dictu eſt, quo, non dicam ejus amor, ſed quaſi phanatiſmus pervenere. Sæculum iſtud, *ſæculum Philoſophicum*, quaſi antonomaſtice, vocitatur, ſicuti fuſe oſtendit Cl. Antoninus Valſecchi in ſuo recenti opere, cui tit. *Religio victrix*: *diſſertat. de Spiritu Philoſophico*. Sed ſi penitius res inſpiciatur, *ſæculum Metaphyſicum* dici jure poſſe mihi videtur; ſi enim hoc Philoſophicum in quaſdam veluti provincias regnum dividatur, ſatis patebit, maximam ejus partem a Metaphyſicis occupari: opera, quæ perpetuo eduntur & citra, & ultra montes, metaphyſicam aut olent, aut ſaltem olere cupiunt. Quæ ſcientia prius cancellis quaſi quibuſdam occludebatur:

quæ

quæ gravibus tantum referrabatur superciliis; nunc præsto omnibus est, omnium teritur manibus, quinimo nec delicatulas ipsas fugit mulierculas. Quæ theoremata subtiliora præcedentibus sæculis in ore tabidorum, squallidorumque resonabant Sapientum, hac nostra ætate eburneo molliuntur gutture, & rubicundis labellis: servi, domini, viri, mulieres, nobiles, plebei, docti denique, & ignari metaphysici haberi cupiunt. Sed, heu miseram nimis nostrorum temporum conditionem! *sæculum* istud *metapysicum*, *sæculum* dici potest *irreligiosum*. Quæ præcepta occulebat antea impia Incredulitas corruptis in pectoribus, modo palam profert, modo iisdem utramque paginam implet. *Pyrrhonismus*, *Epicureismus*, *Atheismus* non defenduntur modo, sed & qui eos non amplectitur, *fatuus*, *cæcus*, *phanaticus ab illuminatis* nostri ævi uno ore traducitur. Scilicet scopus epidemicæ hujus metaphysicæ non alius est, quam Numen quodlibet de medio tollere: hominem jumentis comparare insipientibus, illisque similem efficere: cujus appetitus, pravique etiam affectus leges sint, & norma agendi: cui nihil post hanc vitam miseriæ, vel felicitatis sit reservatum: qui dum ventri satisfecerit, & veneri, jam sua Numina coluit, jam proprio functus est munere. Huc scilicet collimant omnia nostrorum pseudo-metaphysicorum opera: huc eorum opus, huc omnis eorum tendit labor.

352. Metaphysicas ergo hasce meas Institutiones traditurus, sic eas confeci, aut conficere saltem concupivi, ut non ea tantum, quæ hucusque in metaphysicorum adinveniuntur operibus, traderem, sed longius etiam progrederer: quousque nempe mihi foret demonstratum, Religionem nostram Christianam eam esse, quæ sola Deo sit digna, quæ Deum, ut jactat, revera habeat auctorem, quæ tandem hominem ad suum, quem naturali ratione cognoscit, finem possit sola perducere. Hinc ergo, ne obscuritas suboriatur, & confusio, universam ipsam materiam in plura veluti capita dividemus.

353. *Metaphysica* igitur non aliud nobis significat, quam facultatem, quæ de entibus sensui non subjectis per-

pertractat. *Ens* vero, ut infra dicetur, est id omne, quod vel est possibile, vel existit: vel per se, aut per aliud existit: vel tandem in se, aut in alio subsistit. Quoniam ergo entia vel tamquam indeterminata possunt considerari, vel prout sunt determinata, ideo statim duplex occurrit metaphysicæ partitio, in *Ontologiam* scilicet, & *Pneumatologiam*. Prima agit de ente sumpto in abstracto, ejusque diversa genera, proprietates, & naturam perpendit. Agit secunda de spiritibus, sive iis determinatis entibus, quæ corporea qualibet sunt concretione destituta. In hac autem classe triplex occurrit spirituum numerus: 1. nempe *Spiritus Divinus*: 2. *Angelicus*: 3. *Humanus*. Triplex ergo oritur statim Pneumatologiæ divisio, 1. in *Theologiam naturalem*, quæ lumine tantum rationis, quadam veluti præeunte face, de Deo, Ejusque tractat attributis: 2. in *Anghelologiam*, quæ de Angelis disserit, tum bonis, cum malis: 3. in *Psychelogiam*, quæ animam contemplatur humanam. Sed quoniam nobis persuasimus, atque sentimus, *brutorum* animas spirituales esse, ideo quæstionem aliam instituemus *de anima belluarum*. Hisce omnibus pertractatis, sectio altera occurret de *Jure naturali*, in qua principia *Ethicæ* statuemus. Gradum deinde faciemus ad *Religionis*, quæ *naturalis* dicitur, existentiam, & proprietates considerandas. Agemus tandem de *Religione divinitus revelata*, ejus nempe necessitatem, existentiam, & characteres investigabimus: demonstraturi postmodum, *Christianorum Religionem* eam esse, quam Deus humano generi revelavit: ac præter ipsam aliam quamlibet a veritate longissime aberrare.

Sectio prima.

De primis Ontologiæ principiis.

354. Prima voco *Ontologica* principia, quæ bases sunt, & fundamenta quarumcumque naturalium cognitionum. Cum metaphysica cæteris præbeat lumen disci-

sciplinis, cum quibus omnibus est indissolubili nexu conjuncta (*n.* 351.), ab ipsa necesse est mutuetur scientia quælibet fontes, ut ita dicam, a quibus omnia sua fundamentalia principia profluant. Ipso ergo in limine metaphysico de principiis hujusmodi disserendum esse ducimus, ne incerta semper fingamus pedum vestigia. Verum nisi demonstratum prius fuerit, esse hominem indubiæ cognitionis capacem, & veritatem, licet in puteum quasi demersam Democriti, reperiri tamen a mortalibus posse, & sæpe sæpius esse repertam, jam, ut lector parum etiam attentus perspiciet, frustra in inquirendo versaremur, quænam sint cognitionum nostrarum principia. Nos ergo in hac sectione prius contra *Pyrrhonicos* ostendemus, hominem ita esse comparatum, ut plura possit sine ulla erroris formidine certissime cognoscere. Inquiremus secundo in ea media, quibus tuto uti possimus in veritatis inquisitione. Hisce tandem adinventis statim utemur, indagando, quænam prima sint nostrarum quarumcumque cognitionum principia. Sit itaque

ARTICULUS I.

Insania convellitur Pyrrhonicorum, Scepticorumque

355. Ridebit profecto, & quidem merito, quicumque animadvertet, nos in præsentiarum inquirere, utrum ulla vera, ac certa insit nobis de re aliqua cognitio: rem tamen interim contra eos agere, qui totis viribus propugnant, nihil certum, exploratumque esse nobis posse; si enim hoc tuentur, jam aliquod sciunt, non omnia ipsos latent, in summa rerum omnium ignoratione non versantur. Argumentum istud, fateor, tanti ponderis a me fuit semper habitum, ut nunquam in animum inducere potuerim, tales deridiculos homines reipsa dari: sed siqui extiterunt, qui portenta illa defenderint, puto, eos *Sophystarum* more, ad acuendum ingenium potius, quam ad suam opinionem defendendam talia propugnasse. Quidquid vero de hoc sit, illud certum est,

Gorgiam Leontinum Empedoclis discipulum, qui anno ante Christum 427. florebat, librum conscripsisse: *De eo, quod non est*, in quo sibi tria demonstranda suscepit, 1. *quod nihil sit*: 2. *quod siquid existeret, comprehendi tamen a nobis non posset*: 3. *quod siquid existeret, atque a nobis comprehendi posset, minime tamen posset explicari*. Universalem hanc rerum omnium dubitationem invexit in scholas deinde *Pyrrho Eleus* Aristoteli synchronus, & Anaxarchi discipulus, qui nedum nihil nos scire, sed ne de hoc quidem, quod nihil sciamus, certos esse posse propugnavit. Hujus sectatores variis nominibus fuerunt appellati, *Epectici* nimirum a *consiste do*, quia judicium semper suspendebant: *Zetetici* a quærendo veritatem assidue: *Aporetici*, & *Sceptici* a dubitando de omnibus omnino rebus: *Acataleptici*, quod nihil comprehendi posse docerent: ac etiam *Accademici*, eo quod in Accademiam Scepticismum transtulerit Arcesilaus: licet hoc certum Accademicis esset, se videlicet nihil scire, ut testatur Gellius l. 2. *Noct. Attic.* c. 5.

356. Veteribus accensentur a plerisque recentes quidam, inter quos Daniel Huetius ob librum editum *De imbecillitate mentis humanæ*: necnon Hjeronymus Hirnaim ob conscriptum opus, *de typho generis humani, sive scientiarum humanarum inani, ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, jactantia, præsumptione, incommodis* &c. quo Philosophiam universam a fundamentis evertit.

357. In Veteres arma tulerunt præter *Dogmaticos* (iisdem ex diametro oppositos, qui videlicet nihil se nescire putabant) Cicero duobus primum libris, qui *Catulus*, & *Lucullus* inscribuntur: deinde quatuor aliis, quos ad Varronem misit: & S. Augustinus quatuor hac de re editis opusculis. Recentioribus autem sese opposuerunt Muratorius lib. *de vi mentis humanæ* contra Huetium conscripto: Franciscus Sanchez in opere *de multum nobili, & antiqua scientia quod nihil scitur*, quod contra Hieronymum Hirnaim protulit: ac tandem Petrus Baylius in multis sui *Dictionarii* locis, & nominatim in

art.

art. *Pyrrho* , *&* *Hjeron. Hirnaim* . Et nos igitur contra recentes , vetereſque illos Pſeudo-Philoſophos dicimus .

358 PROPOSITIO.

Aliqua homini viatori ita certa sunt, ita explorata, ut de iis nonniſi fatuus poſſit addubitare.

359. Animadvertite , propoſitionem iſtam non eſſe a nobis contra veros Scepticos ſtatutam ; licet enim auctores omnes , quos perlegere potui , contra omnes rem agant , attamen niſi mea valde me fallat opinio , puto nullos rem acu tetigiſſe , quia tangi minime poteſt. Peto enim ab illis : quomodo poſſunt refractarii veritatis impeti ? Ratiocinatione profecto : at quid ratiocinatio importat ? Nonne ut ex noto deducatur ignotum ? Ita ſane (n. 283.) Si igitur Scepticis nihil eſt notum , nihil certum , nihil cognitum , quomodo poſſunt ignota deduci ? Niſi igitur vehementer fallar , exiſtimo , aut cum eis veluti inſanis non eſſe diſputationem inſtituendam , aut ſi inſtituatur , argumento illo tritiſſimo Ariſtotelis utendum eſſe , baculo ſcilicet , quoaduſque ſaltem veritatem iſtam fateantur , idem certe non eſſe vapulare , & non vapulare .

360. Prob. igitur propoſitio contra *Accademicos* . Hoc ſciunt Accademici , ſe videlicet nihil ſcire ; ergo aliqua cognitio ipſis ineſt ; atqui ſi aliquid ipſi ſciunt, fateantur neceſſe eſt , ſe plura ſcire ; ergo aliqua homini &c. Prob. min. Qui aliquid ſcit , exiſtit ; atqui Accademici aliquod ſciunt ; ergo &c. (En igitur altera veritas , en ſcilicet eorum nota exiſtentia) ; atqui , ſubſumo , ſi ſciant ſe exiſtere , debent etiam ſcire , hoc repugnare , quod ſimul non exiſtant ; ergo ſciunt Accademici , non poſſe idem ſimul eſſe , & non eſſe . Minor eſt propoſitio identica (loquimur autem de *repugnantia hypothetica* , non *abſoluta*) . Atqui ſi ſciunt , non poſſe idem &c. ſciunt etiam , omne totum eſſe majus ſua parte ; ergo plura &c. Prob. min. ſubſ. Si totum non eſſet

majus sua parte, idem simul esset, & non esset; atqui ipsi sciunt &c. ergo &c. Prob. maj. Esset totum majus sua parte, quia contineret plures partes; ergo si uni foret æquale, altera remaneret &c. non esset majus sua parte, ut adversarii tuentur; ergo idem simul esset &c.

361. En igitur plura, quæ necessario nota debent esse etiam ipsis Accademicis. Plura ex hucusque illatis possent inferri: at hæc sufficiunt, ut falsitatis, & mendacii revincantur: reliqua in toto hoc opere patebunt luculentissime. Nunc adversarios ipsos, & Scepticos etiam audiamus; licet enim non sit contra istos disserendum, nullum tamen ab ipsis afferri potest argumentum, quod aliquo pacto eorum causæ patrocinetur.

362. Objiciunt itaque 1. Non possumus aliquod certum habere, nisi nobis aliquod infallibile *veritatis criterium* natura suppeditet; atqui quæ afferuntur a Philosophis criteria veritatis, fallacia prorsus sunt; ergo &c. Prob. min. Quæcumque adducitur veritatis regula aut a sensibus pendet, aut a mente, aut ab auctoritate humana, & Divina; atqui hæc omnia fallacia sunt; ergo &c.

363. Prob. min. quoad 1. part. Quis, inquiunt, nescit, plerumque sensus res aliter referre, ac reipsa sunt? Nonne experientia compertum est, turrim quadratam, si a longe spectetur, rotundam apparere? Collum columbæ solis radiis expositum varios referre colores? Quæ reipsa dulcia sunt, nonnullis amara videri: quæ frigida, calida sentiri? Corpus motum, e longinquo spectatum immobile conspicitur.

Fiet item celeres, cum per vada salsa phaseli
Decurrunt, nautis remo impellentibus undas.
Subter aquis tonsæ ut frangantur, namque videntur
Subter aquis frangi: pariter quoque cætera fient,
Veri prima fides inerit si sensibus ulla,
Quæ fieri sensus demonstrant.........

ut inquit Benedictus Stay *lib.* 1. *Phil.* v. 201. ergo sensus sunt omnino fallaces.

364. Resp.

364. Resp. distin. min. quoad 1. part. *sensus sunt fallaces aliquando*, transeat: *semper*, nego antecedens, & in sensu datæ distinctionis nego consequentiam. *Non hoc loco expectandum est*, inquiebat optime Tullius in Accad. QQ. *ut de remo inflexo, aut de collo columbæ respondeamus; non enim ii sumus, qui quidquid videtur, tale dicamus esse, quale videtur. Epicurus hoc dixerit, & multa alia. Meo autem judicio ita est maxima in sensibus veritas, si & sani sint, & valentes, & omnia removeantur, quæ obstant, & impediunt.* Concedimus itaque, nos aliquando sensus in errorem adducere: concedimus, aliquando res quales sunt non repræsentare (cum quibus tamen fallaciis quomodo possint pro criteriis veritatis haberi, dicemus infra) at hoc etiam concesso, quid inde? Semper igitur nos sensus fallunt? Si hoc probaretur a Scepticis, victas libenter daremus manus: licet ne hoc quidem robur aliquod posset Scepticismo afferre. Dato enim, quod sensus perpetuo etiam nos fallerent, semper tamen certum esset, sensus reperiri: semper etiam certi essemus, motionem aliquam in sensibus fieri, dum ipsi nobis aliquod repræsentant: quocirca possent quidem sensus mentem nostram decipere circa magnitudines, colores, distantias objectorum &c. attamen hoc semper esset intellectui exploratum, existere scilicet illud, quod a sensibus sibi refertur.

365. Præterea non ita mens a sensibus dependet in judicio ferendo, ut ipsi causa debeant haberi judiciorum ipsorum; sensus enim sunt tantum occasiones eorumdem, quia videlicet phantasmata, seu imaginationes in cerebro pingunt objecta referentes, ad quorum instar mens sibi ideas efformat, ut n. 32. docuimus: at in judicio, seu in compositione idearum non pendet intellectus ab ipsis sensibus ita, ut debeat errorem illorum necessario sequi; potest enim ille ex sensuum erroribus veritates deducere. Fingamus, sensus hominis alicujus ita esse fallaces, ita pravam eorum esse structuram, ut nigrum, quod oculis exhibetur conspiciendum, album appareat, album vero nigrum: corpus fluidum, quod tactui subjicitur,

citur, durum sentiri &c. licet mens a sensibus deciperetur, si quod nigrum, fluidumque est, album crederet, & durum, semper tamen hoc illi esset exploratum, album videlicet non esse nigrum, fluidum non esse durum &c. ergo ex fallacia etiam perpetua sensuum non solidatur, evertitur potius Scepticismus.

Quæ possent contra primam responsionem afferri, afferentur, ac solventur ubi de sensibus agemus.

Probatio pariter minoris qnoad 1. & 2. partem enucleabitur in sequentibus, ubi *de operationibus mentis, & de auctoritate humana, & Divina* sermonem instituemus.

366. Ob. 2. Aliquando nos decipimur; ergo nihil obstat, quominus semper decipiamur.

367. Resp. con. ant. & nego conseq. Aliqua deceptio comitatur quodammodo ipsam hominis naturam; non enim homo in præsenti statu est infallibilis: at continua, & nunquam alternata deceptio hominis destrueret naturam, imo ipsam Divinam læderet essentiam, quod facili negocio, levique ostenditur labore; si enim homo semper deciperetur, nunquam veritatem assequeretur, non amplius esset animal ratione præditum, sed brutum, imo brutis ipsis deterior; dum enim ista cibo ex. gr. utuntur, ut famem comprimant, non decipiuntur, ut experientia ipsa compertum est: at homo in judiciis universis, in actionibus quibuslibet falleretur, quod, ut ajebam, & ipsi rationem adimeret, & Dei læderet naturam; ablato enim uno duntaxat Dei attributo, non amplius Deus existit: ita attributa Dei ejusdem Essentiæ, ut ajunt scholæ, identificantur: at quomodo salva, tutaque Dei bonitas posset consistere, si Deus ipse ideo condidisset creaturas, ut perpetuo deciperentur, ut veritatem semper inquirerent, nunquam assequerentur? Ergo etiamsi aliquando decipiatur homo, non inde tamen potest concludi, eum posse semper falli; decipitur enim interdum, quia obscuras persæpe ideas præcipitanter componit: non potest vero semper decipi, quia ipso lumine rationis, & intimo conscientiæ testimonio dirigitur non raro.

368. Inst.

368. Inst. 1. Atqui perpetua deceptio neque hominis, neque Dei destruit naturam; ergo &c. prob. min. quoad 1. part. Quando homo aliquando decipitur, nullimode ejus læditur natura; ergo si homo perpetuo deciperetur, ejus natura non destrueretur. Prob. conseq. Ponamus ex. gr. millia fore judicia Petri: Petri natura non destruitur si una, si duabus, si tribus vicibus, si tandem nongentis nonaginta novem vicibus in judicando aberret: atqui per unum falsum judicium natura Petri ex concessis non læditur; ergo nec millia omnino falsa judicia illam destruerent.

369. Resp. neg. min. subs. ad cujus prob. dicimus: transeat ant. & neg. conseq. ad hujus prob. dist. maj. *Uno duntaxat posito errore, hominis natura non destruitur, in sensu, ut ajunt, composito*, nego: *in sensu diviso*, concedo. Quid sensu composito, quid sensu veniat diviso jam vidistis n. 333. Argumentum istud esset simile huic: vnus vini cyathus hominem non inebriat; ergo nec duo: atqui unus non inebriat; ergo nec tres: & sic prosequendo posset inferri, nec centum vini pocula hominem posse inebriare. Diximus: *transeat antecedens*; falsum est enim, hominis naturam aliquo pacto non lædi, dum hic in judicando errat; cum enim ratio hominis sit ordinata ad verum detegendum, quando decipitur, contra suum finem operatur, quod certe lædit aliquantisper agentis naturam.

370. Inst. 2. atqui continua hominis deceptio non destruit &c. ergo &c. prob. min. sub. amentes semper decipiuntur, & tamen homines sunt; ergo &c.

371. Resp. neg. min. subs. ad ejus prob. neg. ant. Prima enim principia saltem physica, & metaphysica ipsis etiam amentibus perspecta sunt; omnes enim sciunt, totum esse sua parte majus, non posse idem simul esse & non esse &c.

372. Prob. min. 1. primæ inst. quoad 2. part. Continua hominis deceptio potest salva consistere dummodo ea hominibus media sint tributa, quibus possint errores vitari; atqui media ista Deus hominibus tribuit; ergo &c.

373. Resp. dist. maj. *& hoc posito, est possibilis continua deceptio*, nego: *secus*, concedo. Tunc solum præstari posset, quod homines non interdum, sed semper deciperentur, si videlicet ideo Deus homines condidisset, ut semper fallerentur, aut ejus creavisset naturæ, quæ erroris tantum, non veritatis esset capax: at si concedatur, contulisse Deum ea media hominibus, quibus vitare errores possint, statim intelligitur homo incapax prorsus perennis deceptionis; adsunt enim aliquæ veritates ita perspicuæ, ita evidentes, ut eas ille solum percipere non possit, qui est rationis lumine destitutus, ut ex n. 360. liquet.

374. Inst. 2. atqui possibilis est continua deceptio, etiam hoc posito, quod Deus contulerit &c. ergo &c. prob. subs. Etiamsi Deus homini contulerit &c. tamen homo aliquando decipitur; ergo potest semper decipi, etiam posito &c.

375. Resp. neg. subs. ad prob. conc. ant. & neg. conseq. Ideo aliquando homo decipitur, etiamsi iis sit mediis instructus, quibus posset semper veritatem assequi, quia mediis illis non recte utitur: non potest tamen semper decipi, quia aliquæ adsunt veritates, quas ut intellectus percipiat, nulla necessaria sunt media; ita enim mentis oculos vivide ex semetipsis percellunt, ut solo rationis lumine egeant, ut videantur.

376. Inst. 3. atqui etiamsi adsint hujusmodi veritates &c. tamen potest homo illis non assentiri; ergo &c. probatur subsumptum. Ideo homo aliquando decipitur, quia inconsulto agit; atqui potest semper inconsulto agere; ergo &c.

377. Resp. neg. subs. ad prob. conc. maj. & neg. min. quia, ut diximus, prima veritatis principia non egent ratiocinio, non egent inductione, non consultatione, hoc duntaxat, ut intelligantur, exquirunt, quod nempe mens definitionem terminorum percipiat.

378. Ob. 3. Nullum est medium, quo somnum a vigilia distinguere possimus: atqui in somniis perpetuo fallimur; ergo suspicari saltem possumus, quod perpetuo fallamur.

379. Resp.

379. Resp. neg. maj. In primis enim ideæ somniantium tam inconstantes, tam languidæ, tam obscuræ sunt, ut toto cælo ab iis differant, quibus vigilantes afficimur. Deinde ipsa intima conscientia certiores nos reddit, nos evigilavisse, e lecto prodiisse, multaque alia peregisse, quæ nobis somniantibus non fiunt: & licet nonnulli reperiantur, ut Muratorius testatur in libro cui tit. *Forze della Fantasia*, qui dormientes talia peragunt, tamen illimet perspecte sciunt, dum evigilaverint a somno, se non amplius somniare. Deinde nego minorem; somniantes enim certo sciunt, totum esse sua parte majus &c.

380. Obj. ult. Scepticismus Religioni favet, ac faciliorem pandit viam ad suscipienda Fidei divinæ dogmata; ergo est amplectendus; prob. ant. Si statuatur, adeo brevem esse humanam rationem, ut ex se nihil certo perspicere possit, tunc homo propriam cæcitatem, atque inscitiam agnoscens ad Deum necessario animum debet convertere, & ab eo duntaxat, qui omnia novit, veritatis lumen expectare; atqui hoc Religioni favet &c. ergo &c. Ita argumentantur Vajerius in opere gallico idiomate conscripto *De la vertù des Payens*, ac Baylius in suo *Diction. Art. Pyrrho*. Ita quoque argumentatur Huetius *l.* 1. *c.* 14. qui etiam subdit, eos citius amplexatos fuisse Christi Evangelium, dum prædicaretur, qui de omnibus dubitandum esse censebant.

381. Resp. neg. maj. ad ejus prob. neg. maj. min. & conseq. Miramur sane, perditos homines se religiosos ideo simulare, ut Religioni facilius fucum faciant: relinquant nos, quæsumus, in methodo fallaci, quam hactenus sumus sequuti, ut Religionem inveniremus; quo enim pacto possit Religio Scepticismo foveri, non videmus; nemo enim, ut optime ratiocinatur Antoninus Valsecchi in egregio opere, quod incripsit: *De fundamentis religionis, & de fontibus impietatis: lib.* 3. *par.* 2. *cap.* 8. veram Religionem amplexari potest, nisi Religionem veram a falsa discernere valeat. At quomodo discernet scepticus, si nullum est apud ipsum veri, fal-

sique criterium? Quomodo eorum, quæ credere oportet est nobis a Deo expectanda notitia, si de ipsa Dei dubitemus existentia? O præclarum mehercule Pyrrhonicum Religionis, Divinæque Fidei præsidium! O hallucinatum, obcæcatumque Augustinum, qui ut Religionem firmaret, Religionis patronos evertit!

382. Illi autem, Patribus testantibus ab Huetio relatis, citius Religionem sunt amplexati, qui Dogmaticorum in morem non putabant, se omnia scire, non credebant, ea solum amplectenda esse, quæ rationis lumini patent, quod contrarium est omnino Religioni, quod ipsam funditus evertit: at aliqua se certo scire credebant, sensibus fidebant, auditum non repudiabant, ex quo gignitur Fides, ut Paulus testatur.

383. Inst. Atqui Scepticismus consonus est Religioni; ergo &c. prob. subs. *Ecclesiastis c. 8. v. 17.* legitur: *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet: etiamsi dixerit Sapiens, se nosse, non poterit reperire.* Sap. c. 9. v. 15. legitur: *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* Ac tandem Eccl. c. 3. v. 10. *Mundum tradidit Deus disputationi, eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque in finem.* Atqui hæc omnia tradunt sceptici; ergo &c. Ita Huetius.

384 Resp. neg. subs. ad prob. admitto auctoritates in sensu explicando, & neg. min. Discordia maxima, quæ inter scepticorum, & Divinorum librorum dogmata habetur, ex eo patet, primo quod admittant Auctores sacri ipsam Dei existentiam: *intellexi, quod omnium operum Dei* &c. Aliqua concedant fieri sub sole: mundum existentem fateantur: mentem, ejusque operationes non inficientur: quæ omnia pernegantur a scepticis. Deinde si sceptici Religionem admittant, etiam ipsi scepticismo valedicant est necesse; cum enim *fides sit ex auditu*, ut ait Apostolus, proculdubio laberetur fides, si sensus in omnibus fallaces dicerentur, ut supra

(n.

(n. 381.) innuimus. Accedit, Fidei certitudinem esse ab infallibilitate Dei revelantis, adeoque supponere Dei existentiam ex rebus hunc mundum aspectabilem c mponentibus a nobis acquisitam, unde ait idem Apostolus: *invisibilia enim ipsius* (Dei) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. At quomodo innotesceret nobis Dei existentia, si sensus, ratio, ac intima conscientia nos perpetuo deciperent? Ineptissime ergo pro scepticis ex divinis litteris testimonia congeruntur.

385. Allata autem sacræ Scripturæ testimonia hominum perstringunt vanitatem, atque arrogantiam, qua & omnes rerum causas se scire præsumunt, & occulta consilia Dei, & universi operis rationem se penetrare confidunt. Itaque nequit humana mens perspicuam, & accuratam operum Dei habere notitiam, nisi Divina luce illustretur: incerti ipsi sunt rerum eventus, incerta consilia: obscurissimæ etiam sunt adæquatæ rerum causæ: ac, ut cum Grotio loquar, *non novit homo a capite ad calcem operationem Dei: multa videt, quæ nescit, quo proposito, aut fine a Deo facta sint*.

385. *Coroll.* Ex hucusque dictis non solum scepticismus evertitur, sed ludrica etiam dogmaticorum insania; si enim sensus aliquando nos fallunt, si aliquando mens errat, si interdum decipimur, jam non omnia sunt nobis luculentissime perspecta. Quare optime potest cum Lactantio *l. 3. de falsa sapientia cap. 6.* concludi. *Alii putant, sciri omnia posse: hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil, ne hi quidem sapientes fuerunt: illi quia plus homini dederunt: hi quia minus: utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque omnia scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod est pecudis; est enim aliquod medium, quod sit hominis: scilicet scientia cum ignoratione conjuncta, & temperata*.

387. *Schol.* 1. Ex omnibus argumentis usque modo relatis liquido patet, quam pueriliter ineptiant sceptici, & sibimetipsis adversentur perpetuo; ex omnibus enim eorum assertis concludi contra ipsos potest, aliquid sciri

ali-

aliquid esse illis perspectum, non omnia esse occulta, & caligine persusa.

388. *Schol.* 2. Siquid posset veros scepticos revincere, hæc foret interrogatio. Dum ipsi asserunt, nos nihil scire, vel de hac propositione certi sunt, vel incerti, vel eam reputant omnino falsam? Si certi sint; ergo datur aliquid certi. Si dubii sunt: eccur tam confidenter pronunciant, nos nihil scire? Si enim judicium in reliquis suspendunt, eccur tam cito in re dubia decisivum omnino ferunt? Si tandem falsam eam habent, habemus quod volumus; si enim falsum est, nos nihil scire; ergo verum erit, nos aliquod scire.

ARTICULUS II.

Universalis Cartesianorum dubitatio improbatur.

389. Cartesius, qui Benedicto Stay testante Phil. lib. 1. v. 93. *Naturæ cæcam patefecit callidus artem*. Nimirum, ut verbis utamur P. Cevæ dissert. 3. n. 3.

.... Hic ille igenii dein vertice supra
Mortales reliquos: Naturæ hic ille repertor:
Ille a secretis, obscura unde abdita nocte
Nostro instaurari meruit sapientia sæclo

Hic, inquam, ut fundamenta jaceret totius contemplativæ suæ Philosophiæ (sequitur cit. Stay *lib.* 1. *v.* 107.)

Principio edixit: naturæ in templa serena
Si juvat admitti, atque illa gaudere reperta;
Omnibus esse tibi dubitandum in limine primo
De rebus, quas nosse prius utcumque putabas,
Scias ....

Putavit ergo Cartesius, omnia esse falsa, se non oculos; non manus, non caput &c. habere, non Deum potentem, bonum &c. existere, sed omnia pernegavit, *non id pro-*

pte-

pterea, quia rebus nullæ vel extent vera, ea vel possint ulla ratione patere: omnia pro falsis sed habendum, purius inde eductum ut verum omne nitescat, certaque constent principia in rebus, totamque gerat ratio rem. (Stay *lib. eodem v.* 111. & Cartesius *Medit.* 1.)

390. Quod igitur nunc quæritur est, utrum hæc generalis de rebus omnibus dubitatio necessaria, utilis, vel saltem possibilis sit ei, qui veritatem inquirit, ut assequatur.

PROPOSITIO.

Universalis dubitatio nec necessaria, nec utilis, imo impossibilis est habenda in veritatis inquisitione.

391. PRob. 1. Veritas inveniri potest absque hac generali dubitatione; ergo hæc non est necessaria. Prob. ant. Quamplurimæ sectæ, quæ hanc universalem dubitationem ne somniarunt quidem, veritates quamplures detexere tum de propositionibus ex primis principiis immediate deductis, tum de supremo Numine, tum etiam de rebus mathematicis; ergo &c.

392. Prob. 2. verum nec utilis est ea dubitatio; quæ enim utilitas reperiri unquam potest in evertendis rebus certissimis, & naturali lumine patentibus, ac proinde nullo labore, nullaque industria omnibus obviis? Quænam utilitas in dubitando de propria, in ambigendo de supremi Numinis existentia? De ejus Bonitate, Sapientia, Justitia &c. quæ rudes etiam, atque agrestes ita callent, ut non magis calleat aprugnum callum?

393. Prob. 3. At nec inutilis modo, sed etiam impossibilis ea est, dummodo in hunc finem ipsa utamur, ut veritatem assequamur. Ideo enim a Cartesianis utilis, & necessaria hæc coacta adstruitur dubitatio, quia illa duntaxat potest animus præjudiciis exui, falsa abjicere, dubia librare. Tunc igitur solum ad veritatis inquisitionem poterimus animum convertere, cum certi erimus, nos de omnibus prorsus dubitasse, & omnia animi præ-

ju-

judicia deposuisse. At dicant, amabo, Cartesiani, cognitio ista certa ne est, vel incerta? Si certa; ergo certitudinem aliquam sine dubitatione nobis comparavimus. Si incerta; ergo nunquam poterimus ad veritatis inquisitionem progredi; ergo Cartesiana ista dubitatio &c.

394. *Schol.* Siquis Cartesianorum thesim probe, accurateque perspexerit, clare intelliget, illos ab Accademicis ne latum quidem unguem differre: immo cum illis hoc solum esset certum, se videlicet nihil scire, reliqua vero, nec tanquam falsa rejicerent, nec tanquam vera amplecterentur: isti e contra cum omnia fastidiant, omnia inficientur, pejores ipsis Accademicis fiunt.

395. Ob. 1. pro Cartesio, ejusque sectatoribus. Ut veritas certo inveniatur, abjicienda sunt quævis animi præjudicia; atqui ad hoc necessaria est universalis dubitatio; ergo universalis dubitatio &c. prob. min. Ut mens præjudiciis exuatur, assensum cohibere debet cuicumque judicio; sed assensum omnibus cohibere idem est, ac dubitare universaliter; ergo &c.

396. Resp. conc. maj., & neg. min. ad hujus prob. dist. *Ut mens &c. cohibere debet assensum cuicumque judicio certo, & evidenti*, nego: *incerto, & inevidenti*, concedo: & nego conseq. Quamplures sunt ideæ, quarum connexio, in qua judicium consistit, nec certa, nec evidens nobis apparet. In his igitur non modo utilis, verum & necessaria prorsus dubitatio deprehenditur; certo enim scimus, nos non omnia certo scire; si igitur de omnibus præcipitanter judicium feramus, in plures, & quammaximos proculdubio labemur errores. At quædam ita nobis explorata, ita evidentia sunt ex demonstratis n. 360. ut si vellemus, mentiri quidem, non tamen de iis dubitare possemus. Ad quid igitur prodesse nobis valet universalis hæc dubitatio, si confundat vera cum falsis, spoliet nos judicio, privet approbatione, omnibus orbet sensibus?

397. Inst. Atqui etiam de evidentibus dubitare nos opus est: ergo &c. prob. subs. Multi etiam in iis, quæ certissima videbantur, sunt decepti: ergo de omnibus etiam &c.

398. Resp.

398. Resp. dist. antec. : *Multi &c. in iis, quæ certissima videbantur alicui, & quorum evidentiæ non suffragabatur intimæ conscientiæ testimonium.*, concedo : *secus*, neg. antec. & neg. &c. Ut infra videbitis, evidentia est quidem certissimum veritatis signum : at cum persæpe tamquam evidentia ea percipiantur, quæ talia reipsa non sunt, ideo necessarius est judex aliquis, qui inter vere evidentia, & apparenter tantum evidentia discernat. Judex autem iste vel est universalis evidentia, vel intima suipsius conscientia. Sed ne dicenda nunc dicamus, attendite iis, quæ in sequentibus sumus dicturi.

399. Urgebis. Atqui prudenter dubitare possumus etiam de iis, quæ omnibus evidentia apparent; ergo &c. Prob. subs. Testis semel mendax in nulla assertione meretur fidem. Atqui evidentia aliquem decepit; ergo dubitare possumus, ne omnes quoque decipiat; consequenter &c. Hinc Ovidius ajebat *l. 2. de Ponto epist. 7.*

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.

400. Resp. neg. min. ad prob. neg. paritatem. Ideo enim testi semel etiam mendaci nulla debetur fides, quia adest semper prudens, ac sufficiens suspicio internæ malitiæ, quæ utrum insit, vel absit ab eo, qui semel testis habitus mentitus est, & iterum aliquid contestatur, scire certo non possumus. At nulla moralis malitia reperiri potest in rebus naturalibus, cujus generis est evidentia; igitur hoc solum est animadvertendum, utrum scilicet evidentia illa, de qua agitur, sit realis, an vero chimerica: in hoc error deprehensus aliquando est: at vera evidentia nunquam detecta fuit cum falsitate conjuncta. Quapropter sic retorqueri potest argumentum. Testi, qui nunquam mentitus est, fides est omnino præstanda; atqui evidentia vera, seu universalis, vel etiam particularis, cui intimæ conscientiæ testimonium suffragatur, nunquam nos decepit; ergo nonnisi fatue, & imprudenter de ea possumus dubitare.

401. Ob.

401. Ob. 2. Ad veritatem inveniendam sæpe ea falsa supponuntur, quæ verissima habentur: sæpe etiam pro veris ea adoptantur, quæ falsa ab omnibus dijudicantur; ergo ad veritatem inveniendam utilis est universalis dubitatio. Prob. antec. Astronomi ex. gr. Æquatorem, Zodiacum, Eclypticam, Polos, Coluros sibi in cœlo imaginantur pro exponendo astrorum motu; ergo &c.

402. Resp. neg. antec. ad prob. conc. antec. neg. conseq. & paritatem. Astronomi ut nobis ostendant, & exponant planetarum, astrorumque motus, imaginantur sibi veluti existentes in cælo circulos illos ideales, at simul concedunt, eos reapse non existere. At Cartesiani ut veritatem inquirant, omnia inficiantur, omnia falsa reputant. Deinde abstractiones istæ, ideæ istæ factitiæ nulli subjiciuntur errori, dummodo non putemus, aliquod existens objectum illis correspondere. Quot vero erroribus obnoxia sit, imo quomodo demonstretur impossibilis universalis ista dubitatio, jam diximus n. 393.

403. Ob. 3. Qui baculum curvum rectum stare velit campis, multum in contraria flectit, ut detorta ejus vi, in aliud latus inclinet; ergo a pari, qui mentem vult a falso avertere, debet in contrarium, seu in universalem dubitationem inclinare. 2. Via deveniendi ad medium est ad extrema declinare; ergo &c. 3. Vir prudens, qui in certa nummorum quantitate quosdam reperit deficientes, illos non recipit priusquam singula libret:

In nummis igitur si legem hanc exigis æquam,
Illis nonne tibi ratio quoque suadet eamdem
Æquior in rebus, quibus mens ditescere possit?
Ne fluctuet in tenebris ignara, & luce maligna.

Stay *lib.* 1. *v.* 140.

404. Resp. neg. antec. neg. conseq. & paritatem. Ideo enim qui baculum curvum vult rectum reddere, in adversam partem inflectit, quia nulla allia adest via, ut laudatum consequatur effectum: at ut præjudiciis exuamur, ita possumus nosmetipsos gerere, ut quæ obscura, quæ du-

dubia sunt, ad trutinam quidem revocemus, non autem evidentissima etiam præfracte negemus. Sed dicant, quæso, Cartesiani, si baculus in partem alteram deflexus non posset amplius ad rectitudinem transire, nonne abjicienda methodus illa esset? Ita sane. Atqui si ad universalem transeamus dubitationem, non amplius possumus veritatem ullam detegere, & invenire (n. 393.) ergo &c.

405. Ad 2. Adagium illud absonum prorsus, & ad rem minime pertinens reperitur; non enim nos dogmatici sumus, quibus omnia certissima videbantur: fatemur quædam obscura, non inficiamur quædam esse falsa, & ideo de aliquibus prudenter dubitamus: at quædam evidentissima esse contendimus, de quibus in dubitationem adduci nullo pacto possumus.

406. Ad 3. Cum primo intuitu verum nummorum pondus non appareat, ideo perquam prudenter se gerit, qui uno deficiente reperto, omnia perpendit, omnia librat; at veritatum quarumdam talis est evidentia, ut nonnisi lumine rationis, ut videantur, indigeant, & ideo non oportet, dubitando inquirere, utrum tales reipsa sint, quales nobis apparent.

Articulus III.

De signis veri, & falsi, seu de veritatis criteriis

407. Sicuti lydios lapides ad dignoscendum aurum a ceteris metallis utiles prorsus esse, nemo inficiatur, ita pro secernenda veritate a falsitate media quædam esse hominibus necessaria, ii solum possunt denegare, qui veritatem reperiri nunquam posse, mordicus contendunt, sicuti Accademicos, Scepticosque præstitisse animadvertimus. (n. 355.) At cum ex dictis (n. 360.) satis superque constet, ita veritatem nos posse, & reapse inquirere, ut etiam assequamur, ideo assignari etiam debent notæ aliquæ, signa, seu criteria, quibus veritatem a falsitate secernere tuto possimus.

408. Non una fuit Philosophorum circa rem istam sen-

sententia; alii enim quædam, alii vero alia contenderunt esse veritatis certissima indicia.

409. *Epicurus, ejusque Sectatores totam Dialecticam & contemnentes, & irridentes*, ut ait Tull. *lib.* 4. *Accad. quæst.* omne criterium veritatis in ipsis sensibus constituerunt, *adeout magnitudo solis*, ut Laertius ex Epicuri sententia scribit, *& reliquorum syderum, quod ad nos quidem attinet, tanta sit, quanta & apparet: quoad ipsam vero rem spectat, aut paulo major, aut tanta præcise, quanta videtur*. Igitur cum sensibus primas dederit Epicurus, hos pro illis canones exhibuit. 1. *Sensus nunquam fallitur, ac proinde omnis sensio, omnisque phantasiæ, seu apparentiæ perceptio vera est*. 2. *Opinio est consequens sensum, sensionique superadjecta, in quam veritas, vel falsitas cadit*. 3. *Opinio illa vera est, cui suffragatur, vel non refragatur sensus evidentia*. 4. *Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia*. Pro rebus intelligibilibus *Anticipationem* tamquam infallibile criterium veritatis constituit: at hanc etiam a sensibus pendere contendit; inquit enim: *omnis, quæ in mente est anticipatio, seu prænotio a sensibus dependet*. Anticipatio autem per Epicurum est ipsa rei ratio, seu definitio, sine qua quidquam dubitare, opinari, imo & nominare non licet, omniaque per anticipationem vult esse demonstranda. Igitur per Epicurum non solum sensus sunt infallibiles, verum etiam nihil a nobis velut certum est recipiendum, nisi sensibus pateat: cujus sententiæ hoc fuit corollarium, omnia nempe esse corporea, nihil incorporei in rerum universitate reperiri.

410. Cartesius postquam a sua universali dubitatione prodire aliquantulum incepit, cum cognovisset se existere, hoc fretus principio: *ego cogito, ergo sum*: criterium veritatis voluit infallibile hoc effatum: *quidquid elucet in idea clara, & distincta alicujus rei, illud verum est*; in idea enim clara, & distincta dubitationis ipse conspexit illud elucere: *ego dubito, ergo sum*. Verum principium illud non ita recens est, ut solum Cartesium habeat auctorem, sicut sibimetipsis Cartesiani gloriantur:

tur: Epicuro firmum, ratumque fuit, ut patet legenti definitionem, canonemque anticipationis a se excogitatæ (n. 409.) Scotus insuper *Quolib. quæst.* 7. affirmat, *cognitionem distinctissimam, seu conceptum evidentem alicujus objecti sufficere ad habendam scientiam de tali objecto*. Quibus nescio, an clarius aliquid desiderari possit pro adstruenda, tuendaque ideæ claræ, & distinctæ veritate.

411. Alii, inter quos præsertim Leybnitius, & Wolfius, regulas logicales universale, indubiumque existimant veritatis criterium.

412. Nobis autem plura distinguere præstat, ut ambiguitas quæcumque tollatur, auferatur obscuritas, quocumque lux afferatur. Aliæ igitur, ut diximus, sunt veritates mere *intelligibiles*, ex quibus aliquæ sunt *per se notæ*, aliquæ vero, quæ, ut ex notis educantur, ratiocinationem expostulant: aliæ sunt veritates *sensibiles*, aliæ tandem, quæ neque per sensus, neque per ratiocinationem, aut per primum intuitum valent a nobis cognosci: pertinent ad hanc classem veritates illæ, quæ rationis limites excedunt, vel quæ, ut ponantur, non pendent a nostro, sed ab alieno libero hominis arbitrio.

413. Censemus igitur, peculiaria statuenda esse signa, seu criteria, queis veritates quæcumque detegantur. Sit igitur

414. PROPOSITIO I.

Rei evidentia est optimum, indubiumque criterium pro dignoscendis veritatibus intelligibilibus: illis tamen duntaxat, quæ ratiocinatione non indigent.

415. PROPOSITIO II.

Ut autem certi simus, nos ea tamquam evidentia non percipere, quæ reipsa talia non sunt, confugiamus oportet vel ad intimæ conscientiæ testimonium, vel ad universalem perspicuitatem.

416. PRob. itaque propositio principalis. Nobis aliquid certum est (n. 358.) atqui certum non est nisi

ob principium istud, nempe: *quidquid elucet in idea clara, & distincta alicujus rei, id pro vero habendum est*; ergo &c. prob. min. Examini subjiciamus axioma istud ex. gr. *omne totum est majus sua parte* (idem dicite de cæteris) ideo certus sum de ipso, quia in idea totius manifeste idea partis percipitur minoris ipso toto: quæro nunc, utrum bene hoc inferam ob hanc solummodo rationem, quod nempe id elucet in idea clara, & distincta totius, & partis, vel non? Si primum; ergo &c. sin autem: iterum quæro, quanam ratione judicium ferimus de rebus? Invicem ideas comparando (n. 139.) consequenter mediis ideis; res enim non sunt in mente: vel igitur judicia nostra res ipsas respiciunt, vel ideas duntaxat: sive, quod idem est, dum axioma illud: *omne totum &c.* mente adprobo, vel certus sum, me duntaxat ita cogitare, vel revera ita se rem habere? Si secundum; ergo ideo totum majus sua parte deprehenditur, quia in idea totius &c. si primum: qui ergo fieri potest, ut certum feram de re ipsa judicium?

417. Respondent fortassis: in id omnes homines conveniunt: optime quidem; igitur confugiendum mihi erit ad universalem hominum consensum. Quomodo autem cognoscam, universalem hominum consensum me in errorem ducere non posse? Vel quia in idea &c. vel ob aliam rationem? Quia nempe Divinæ Bonitati id repugnant, ut omnes homines decipiantur. At qua ratione hoc certum deprehenditur, nisi quia in idea Bonitatis Divinæ statim hoc manifeste patet? Idem dici potest de quacumque alia afferatur ratione; etenim nisi principium illud: *quidquid &c.* admittatur velut omnino infallibile, certi quidem esse poterimus, nos ita cogitare, at dubii semper erimus, utrum judicia nostra sint objectis conformia. Igitur &c.

418. Diximus, principium istud &c. esse indubium criterium in discernenda solummodo propositionum *intelligibilium* veritate, quæ ratiocinatione, ut cognoscantur, non indigent; fatemur enim, non omnes propositiones posse principio isto expendi; plures enim ex evidentibus per longam eliciuntur demonstrationem, & ideo fundamentum ve-

veritatis earum cognoscitur quidem per principium illud: at veritas ipsarum non patet, nisi demonstratio attente perpendatur: & ideo regulæ logicales admittuntur a nobis tamquam concomitans veritatis criterium, ut in sequentibus patebit: licet & ipsæ suum robur accipiant indirecte saltem, ab universali isto principio.

Audiuntur Adversarii.

419. Opp. 1. Plura sunt, quæ tamquam evidentia habemus, ac proinde certa, licet falsa sint; ergo perspicuitas non est veritatis signum infallibile.

420. Resp. dist. antec. *Plura sunt &c. quæ absque ratiocinatione evidentia apparent, licet falsa*, nego: *secus*, concedo antec. Non inficiamur, plura nobis evidentia apparere, quæ talia postea non reperiuntur: at ista non ea sunt, quæ ratiocinatione, seu demonstratione, ut probentur, non indigent: quarum proinde tanta est claritas, tanta vivacitas lucis, ut primo intuitu ita mens de earum veritate sit certa, ut ne volens quidem possit addubitare: ea scilicet plerumque sunt, quæ longam, ut certa evincantur, expostulant demonstrationem: qua tamen neglecta, putamus de earum falsitate, vel veritate, nos statim certos posse reddi. Quid igitur mirum si præcipitantia judicii, & præjudiciis abrepti evidentia putemus, quæ obscura, quæ falsa, quæ dubia omnino sunt?

421. Resp. 2. Dist. antec. *Plura tamquam evidentia &c. & quibus non refragatur evidentia universalis, aut intimæ conscientiæ testimonium*, nego: *secus*, conc. antec. Qui evidentiam esse infallibile criterium veritatis inficiantur, ii profecto Scepticis victas dent manus, & in eorum castra migrent est prorsus necesse, ut ex n. 416. manifeste patet; igitur veram evidentiam in errorem nos posse ducere, est omnino pernegandum. Videndum ergo est, ne ea tamquam evidentia approbemus, quæ probatione indigent, quæque per consequens non certa, non

perspicua, sed dubia, sed obscura sunt. Quod ut probe noscamus, appellandum nobis est aut ad optimorum sensum communem, aut ad intimæ conscientiæ testimonium, quibus certi erimus, utrum quæ clara videntur, & perspicua, talia reipsa sint; *consensus enim omnium hominum naturæ vox est*, ut Tullius inquit, quæ vox nonnisi a Deo oriri potest, ac per consequens falsa esse nequit. Conscientia pariter pacata clarissime nobis indigitabit, evidens non esse, quod falsum est.

422. Inst. 1. Igitur assignandum erit aliquod criterium, quod sit criterium evidentiæ; atqui hoc est absurdum; ergo &c.

423. Resp. Dum universalis omnium hominum consensus, aut internæ pacatæ conscientiæ testimonium statuuntur indicia evidentiæ certissima, per ipsa non roboratur perspicuitas, imo illa vim ab ea sumunt, & robur, ut diximus (n. 416.) Igitur non aliud præstatur ab ipsis, nisi quod certiores nos faciunt, esse reapse evidentia, quæ talia apparent. Et sane, ut objecta videantur luce perfusa, nonnisi oculis indigemus: & tamen conscientiæ testimonium requiritur, quo certi esse possimus, nos reapse videre; numquid igitur conscientiæ testimonium erit instrumentum instrumenti visionis? Seu, quod idem est, ut oculi videant, egent ne conscientiæ testimonio?

424. Inst. 2. Atqui neque interna conscientia, neque universalis hominum consensus sunt judices æquissimi perspicuitatis; ergo &c. Prob. min. quoad 1. part. Putarunt olim omnes homines, impossibile esse, Antipodas extare; atqui hoc non solum possibile, sed etiam existens est postmodum detectum; ergo &c.

425. Resp. neg. antec. ad prob. neg. antec. non enim omnes homines putarunt, impossibilem esse Antipodum existentiam; Virgilius enim Præsbyter, qui a Zacharia Pontifice excommunicationis pœna fuit minitatus, nisi ab errore resipuisset, homines existere arbitrabatur oppositam nobis mundi plagam incolentes: patet hoc ipsum ex Lactantio, qui licet insanos eos crederet, qui

Anti-

Antipodas admittebant, nonnullos tamen illius sententiæ defensores enumerat. Deinde propositio ista: Antipodæ non extant: non ex iis est, quarum veritas, vel falsitas primo intuitu apparet, sed perlongam expostulat demonstrationem, quæ cum non possit evidenti inniti principio, ideo nequit evidentium numero accenseri.

426. Inst. 3. Atqui homines universi decepti sunt etiam in iis, quæ primo intuitu evidentia apparent; ergo &c. prob. &c. Ante latam Evangelii legem Polytheismum ubique homines profitebantur; atqui existentia unius Dei evidens omnino est; ergo &c.

2. Nunc etiam, ut argumentatur Baylius Scepticorum patronus acerrimus, si telluris universæ incolæ in triginta partes dividantur, novendecim reperientur Gentilismum profiteri, sex Mahummedanismum, & quinque duntaxat Christianismum (*In dict. Crit. Art. Machomet.*) Igitur si pluralitati hominum sit standum, causa prorsus cadent Christiani; igitur &c.

427. Resp. neg. subs. ad prob. neg. antec. falsum enim omnino est, omnes homines Polytheismo nomen dedisse; quis enim nescit, tot Hebræorum milliones unum duntaxat Deum adorasse? Quem latet, ipsos etiam Gentiles unum solummodo supremum Numen coluisse: reliquos vero, quos Deos appellabant, Deitatum minorum numero accensuisse? *Populus ipse*, ut Tertullianus more suo acutissime argumentatur, *qui plures Deos colebat, non ad Capitolium, sed ad Cælum oculos erigebat in calamitatibus, non Deos, sed Deum invocans*: evidens testimonium, unius duntaxat Dei ideam hominum cordibus esse affixam, quamvis postea homines cupiditatibus illecti tot Deos adoraverint, quot erant eorum pravi affectus.

428. At hoc etiam concesso, homines nempe universos plures Deos adorasse, nunquid evidentiæ fucum Sceptici faciunt? Hoc evidens, hoc perspicuum est, plura repugnare entia, quæ infinita, quæ increata, quæ independentia sint: at plura existere posse entia finita, limitata, creata, dependentia, quis unquam est inficiatus?

 Quem

Quem autem fugit, talis extasse naturæ, quos idololatræ Deos appellabant? Eum duntaxat latere puto, qui Gentilium nunquam evolverit Theogoniam. Igitur in nomine quidem entitatibus illis tributo a nobis discrepabant Polythei, verum cum eodem nomine non idem ipsi, ac nos intellexerint, nihil obest, quominus evidentia quoque proclamante, unum solummodo extare Deum, plures nomine tantum tales homines admiserint.

429. Ad 2. resp. In primis argumentum duntaxat evincit, pro nulla Religione adstrui posse universalem hominum consensum. 2. Veritas Religionis alicujus primo intuitu patere non potest, ut paululum consideranti est manifestum. 3. More suo Baylius mentitur; falsum enim omnino est, Maummedanismum esse ipso Christianismo vulgatiorem; etenim nonnisi exiguam Europæ partem, paulo vero grandiorem Affricæ, nec tam magnam Asiæ is occupat; at Christiani ubique terrarum, etiam sub Turcarum Imperio sparsi reperiuntur (legatur Salmon de Imperio Turcico). 4. Tandem ut infallibilitas evidentiæ non evertatur, hoc nobis sufficit, omnes nempe in admittendo aliquo supremo Numine hujus mundi Creatore &c. convenire: cætera vero, quæ a revelatione dependent, ad genus perspicuitatis non pertinent.

430. Inst. 4. Atqui homines universi & decepti sunt, & etiam nunc decipiuntur in iis, quæ perspicua videntur, & ad perspicuitatem pertinent; ergo &c. prob. subs. ex eodem Baylio *in dict. ad verb. Pyrrh.* Hæc omnibus evidentia sunt. 1. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* 1. *Omne totum est majus sua parte.* 3. *Idem corpus non potest eodem tempore pluribus in locis reperiri.* 4. *Mala sunt impedienda.* 5. *Nullus est culpæ capax, nisi existat.* Atqui hæc omnia falsa esse docet Fides.

Etenim 1. falsitatis arguitur ex ipso Trinitatis mysterio, ex quo docemur, tres Divinas Personas esse easdem cum natura, nec tamen tales esse inter se. 2. Falsum redditur ex Sacramento Eucaristiæ; idem enim Christi corpus pluribus in locis integrum existit extensione, soli-

liditateque orbatum: cumque totum sit in qualibet Hostiæ parte, non est per consequens totum sua parte majus, quod erat tertium. 4. Ex eo falsum evincitur, quod Deus valens impedire mala, non impedit. Omnes homines innodatos esse originaria culpa ante eorum existentiam patrata, commonstrat 5. fallaciam.

431. Respondere in primis possemus cum doctissimo Mallebranchio *de inquir. veritate lib. 1. c. 4.* plurimum eos hallucinari, qui evidentiam in rebus Fidei requirunr: evidentia enim scientiam expostulat: Fides vero renuit, alias non esset Fides. Cæcitas igitur propria debet esse Fidelis, perspicacitas vero Philosophi. At quoniam, quæ evidentia sunt, ne a Deo quidem mutari possunt, ideo breviter illa enucleabimus.

431. Ad 1. igitur quod attinet, respondeo, tres Divinas Personas, inspecta natura, easdem esse inter se, unum nempe Deum constituere: at eædem non sunt cum tertio quoad rationem personæ, & ideo non sunt eædem inter se quoad personalitatem, quæ mirifice geometricæ evidentiæ quadrant.

432. Ad 2. licet lumine rationis hoc intelligi non possit, quomodo nempe idem corpus pluribus locis simul præsens esse possit, non propterea tamen id impossibile esse lumen naturale commonstrat, cum diversitas corporum a locorum diversitate non pendeat, sicuti Baylius objectat; prius enim unum, vel plura corpora concipimus, quam ad unum, vel plura loca attendamus, quæ corpori extrinseca omnino sunt. Sicut igitur sufficit in Deo una, eademque actio, ut corpus producat, ut ei locum tribuat, ut ipsum conservet, ut ad plura loca successive transferat (quoniam hæc mutatio se tenet duntaxat ex parte termini) ita eadem Dei actio per se invariata potest corpori Christi tribuere locum in dextera Patris, alium vero sub his, alium sub aliis speciebue (ita Emanuel Maignanus *Phil. Sac. cap. 22. pro. 3.*)

334. Ad 3. resp. ex præced. fit manifesta; non enim Christi corpus ita in Hostia existit, ut in parte pars adsit, in toto vero totnm: sed totum est in tota, & to-

 tum.

tum in qualibet ejus parte. Hoc igitur posito, quod corporum multiplicatio sit possibilis, difficile non est deprehendere, falsum non evinci axioma illud etiam in Sacramento Eucharistiæ.

435. Ad 4. Quomodo mala, quæ potest Deus impedire, tamen permittat, videbimus in sequentibus.

436. Ad ult. De peccato originali fusissime disputant Theologi: nunc tamen non abs re erit pauca addere. Falsum in primis est, homines non creatos peccato originario innodari: in ipsa creatione tantum originariam contrahunt labem. Quod quam justum sit ex eo patet, 1. quod leges etiam humanæ peccata parentum puniant in filiis: deinde cum omnium hominum voluntates ex decreto Dei ita moraliter continerentur in Adamo, ut ipso stante, starent omnes: ipso vero labente, omnes laberentur, minime repugnat, quod *per inobedientiam unius hominis peccatores multi fuerint constituti. (S. Paul. ad Rom. c. 5.)*

437. Prob. 2. pars 2. Inst. Potest mens sibi videri conscia, se agere, & pati, licet nec patiatur quidquam, nec agat, ut in somniis accidit: ergo a pari, potest mens sibi esse conscia, aliquod sibi videri evidens, licet &c. ergo conscientia &c.

Responsio erit eadem, ac allata n. 379.

438. Inst. 3. Atqui nullum est medium, quo somnium a vigilia distinguamus; ergo &c. Petrus Apostolus, cum ab Angelo expergefactus fuisset, & vinculis solutus, putabat se adhuc dormire, ut habetur *Act.* 12. *Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem, se somnium videre*: ergo non solum dum dormimus putamus nos vigilare, verum etiam dum vigilamus &c.

439. Resp. neg. antec. ad prob. *& Petrus compos erat sui* neg. *secus*, concedo antec. & dist. consequen. consequentia negatur. Non inficiamur, contingere aliquando posse, ut vigilantes etiam nos somniare putemus; aliquando enim accidit, quod rei novitate, vel magnitudine percussi, aut vehementissimo animi affectu agitati

ita

ita obruimur, ut recte sensibus non amplius utamur: at non iste status ille est, qui in homine requiritur, ut somnium a vigilia discernat, sed opus est, ut inquit Cl. Paulus Mako Ont. Sch. ad §. 44. *ut ita mente valeat: tam claræ sint ideæ: ita ordinata vis phantasiæ, ut rationem sufficientem eorum, quæ fiunt, reddere possit; hoc enim est præcipuum illud criterion, cujus ope internoscuntur somnia ab iis rebus, quæ nobis vigilantibus reapse contingunt; inde enim negamus, gesta esse, quæ geri per somnium nobis videbantur, quod nexus ille, ordoque biet, nec ulla sit ratio sufficiens, cur hæc post illa consequantur: ex. gr. cur colores subito mutentur, præsentes momento dispareant, facies loci in aliam vertatur &c. sin autem phænomena ejusmodi ita se habeant, ut antecedentia semper in se rationem habeant consequentium, ea enimvero non somni ludibria, sed certa eventa ex vero judicamus.* Hæc profecto signa si adsint, manifestissime secernetur somnus a vigilia. Quapropter postquam Petrus sui compos factus est, non amplius se dormire putavit, *sed ad se reversus dixit: nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis* &c.

440. Ob. 2. Quod evidens est, certum est; atqui certum non opponitur certo: ergo quod evidens uni est, alteri quoque evidens esse deberet, si evidentia criterium foret veritatis; atqui plura uni certa videntur, quæ falsa, aut saltem dubia apparent aliis; ergo &c.

441. Resp. Dist. antec. *quod evidens reapse est, certum est*, concedo: *secus*, neg. antec. & dist. conseq. conseq. negatur. Ad subsump. dist. eodem modo propositionem, & neg. alteram conseq. Responsio patet ex dictis n. 420. 421.

442. Inst. Atqui evidentia illa universalis &c. prob. min. subs. Possunt decipi plures homines; ergo etiam omnes.

443. Resp. neg. conseq. Si enim omnes homines deciperentur, hoc non ex præjudiciis, non ex præcipitatione mentis oriretur (cum impossibile sit, omnes iisdem imbui

bui præjudiciis) sed ex ipsa mentis natura ; consequenter ab ipso Deo, qui talem in hypothesi eam creasset, ut verum a falso secernere minime posset.

444. Deinde falsum omnino est, ea non omnibus apparere evidentia, quæ ut cognoscantur, demonstratione non indigent; quis enim nisi amens de axiomatibus, primisque cognitionum principiis unquam dubitavit?

445. Inst. contra secundam partem primæ responsionis. Testimonium conscientiæ tale est, qualis privatus Hæreticorum spiritus; posset enim unusquisque contendere, sibi aliquod evidens apparere, licet tale ipsi non foret.

446. Resp. vel tale illi apparet reipsa, vel non? Primum evenire non potest, ut sæpius evicimus: si secundum affirmetur, eruetur quidem, mentiri aliquem posse, non autem conscientiæ testimonium judicem non esse veræ, certæque evidentiæ. *Illud autem non video* (verbis utar Cl. Genuensis elem. met. par. 1. in diss. Scepticismus confutatus n. 11.) *quid similis habeat phanaticus Novatorum spiritus cum claritate, & perspicuitate. Est ille ad errores etiam apertos tuendos excogitatus, minime constans, nemini certus, ac pro ingeniorum, temperamentorum, dicam etiam vitiorum diversitate varius, ac diversus: ut Protestantium quoque doctiores, & saniores ad iram commoverit. Claritas vero, & perspicuitas per se ipsam lucet ubique: eadem, ac constans est ubicumque est . . . . . . Profiteantur igitur (qui ista objiciunt) se in id armare rationem, ut homines lateres crudos efficiant, non Philosophos. Quid enim sumus aliud, postquam ea quoque nobis dempseris, quæ clare, ac perspicue intelligimus?*

PRO-

447. PROPOSITIO III.

Regulæ logicales sunt optimum veritatis criterium ad detegendas eas veritates, quæ primo intuitu perspicuæ non sunt.

448. PRob. Ad discernendum verum a falso sufficit ostendere, prædicatum propositionis controversæ convenire subjecto, aut non convenire; atqui id præstant Logicæ regulæ; ergo &c. prob. min. Demonstratio constat unica, vel pluribus argumentationibus mutuo connexis, quarum præmissæ sunt definitiones, indubia experimenta, axiomata, aut propositiones jam demonstratæ. Ut quis igitur verum a falso secernat, & rectum possit ferre judicium, sufficit quod cognoscat, num definitiones, quibus utimur in demonstrandis propositionibus, sint genuinæ, num experientiæ, quas sumimus, sint inbubiæ num axiomatis nomen mereantur propositiones, quæ pro talibus venditantur, num forma syllogismorum sit legitima, num denique syllogismi recto, & necessario nexu inter se conjungantur. Atqui Logica tradit definitionum regulas (n. 114. *& seqq.*) methodum exhibet instituendi experimenta (n. 217. *& seqq.*) discrimen constituit inter axiomata, & propositiones demonstrabiles (n. 191. 193.) docet rectam syllogismorum formam (n. 290.) ac tandem modum ostendit syllogismos conjungendi (n. 322. *& seqq.*) ergo Logica totum id tradit, quo quis possit verum a falso secernere. Probationem istam ad literam fere excerpsimus ex Logica Wolfii edit. Veronæ Ann. 1735.

449. Dices: ergo nullum aliud requiritur criterium veritatis. Ita sane argumentatur ibidem Wolfius.

450. Resp. Quomodo hoc Wolfius concludat, non video. Etenim potest quidem Logica præstare ea omnia, quæ enumeravimus, ut cognoscamus, utrum prædicatum propositionis demonstrabilis conveniat subjecto: at si propositiones indemonstrabiles sint, ad evidentiam est appellandum, non autem ad regulas Logicales; sicuti enim, ut recte Logicæ regulis utamur, requiritur, quod ex noto igno-

ignotum deducatur, ita consequens est, ut aliquid noti Logicæ regulæ supponant: hoc autem aut ex evidentia, aut experientia, aut ex auctoritate notum nobis est. Regulæ igitur Logicales alia supponunt criteria veritatis.

451 PROPOSITIO IV.

Pro veritatibus sensibilibus evidentia sensuum est certum veritatis criterium.

452. UT certi simus, sensus nostros non aliter rem referre, ac est in se, recolenda sunt, quæ in Logica tradidimus (n. 217. *& seqq.*) dicimus enim, sensus in errorem nos ducere minime posse, si traditas illic regulas diligenter observemus; alias nil erit facilius, quam quod a sensibus fere semper decipiamur.

453. Prob. itaque propositio. Quidquid est a Deo, non potest esse necessario fallax, alias fallax esset ipse Deus. Atqui sensus bene valentes sunt a Deo; ergo non possunt esse necessario fallaces: atqui necessario fallaces essent, si adhibitis quos tradidimus canonibus, aliter rem referrent, ac est in se: ergo &c. prob. subs. Dummodo ad normam eorum canonum sensus a sensibilibus percellantur, tunc iis eo modo utimur, quem Deus instituit, ut ipsis utamur; ergo si rem referrent aliter, ac est in se, necessario essent fallaces, quippe error ab ipsorum natura, & constitutione proveniret.

454. Prob. 2. contra Scepticos Catholicos, qui, ut Christianam extollant, ut ajunt, Religionem, sensuum infallibilitatem elevare conantur. Si sensus essent per se, seu necessario fallaces, Fides non daretur; ergo &c. prob. min. Apostolus inquit: *Fides ex auditu*; ergo si sensus sint fallaces, nunquam certiores fiemus, mysteria Fidei ita se habere, quemadmodum sunt a nobis audita. Et sane, si sensus per se, ut ajunt, essent fallaces, quomodo Christus ad ipsos appellasset, ut suæ Resurrectionis in corpore veritatem ostenderet, dum dixit Apostolis, *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent,*

bent ; ficut me videtis habere (Lucæ 24.) Igitur negata infallibilitate fenfuum noftrorum , non roboratur , fed deftruitur omnino Chriftiana Catholicorum Religio .

455. Ob. 1. Omnes fenfus perpetuo in errorem nos trahunt; ergo &c. prob. antec. Decipiunt nos oculi circa corporum magnitudinem ; plura enim , quæ extant, non videntur: plura videntur quidem, at non ficuti exiftunt. Decipiunt pariter circa rerum figuras , diftantias, motus &c. Reliqui autem fenfus rem aliter , ac eft in fe referunt ; fi enim fidem fenfibus præbeamus , putabimus, effe corpora fapida , odora , frigida , calida , colorata , fonora &c. cum tamen nec odor, nec fapor, nec calor, nec frigus, nec color in corporibus exiftant. Deinde quomodo certi erimus , ab eodem objecto alterius fenfus non aliter, ac noftros affici ? Ex eo profecto, quia fi interrogetur ille : quid videat? Refpondet ex. gr. corpus album : at fi hujus fenfus ita fe habeant, ut dum nos album colorem in objecto detegimus , illi viride appareat, & audiat a nobis , corpus illud effe album , in nomine quidem conveniet, non autem in re ; cum igitur idearum fimplicium nullam fit diftinctio (n. 62.) nec momenta poterimus afferre, quibus aut nofter, aut alterius error a mente propellatur. Ita Mallebranchius argumentatur *lib. 1. de inquir. Verit.*

456. Refp. dum ftatuimus , fenfus noftros certiffima effe veritatis criteria, non evincendum putavimus , ipfos aut omnia corporea referre , aut mediis ipfis effe de omnibus fenfibilibus ita judicandum , ut ratio nullas agat partes in cribrandis relatis ; ideo enim in Logica plura tradidimus, quibus effent fenfus regendi , quibufque poffemus tuto ipfis uti ; igitur ex n. 225. prima convellitur objectio : ex n. 219. fecunda enucleatur difficultas : ex n. 220. tertium folvitur argumentum . Refpondetur igitur generaliter ad omnia : *fenfus nos femper in errorem trahunt, fi iis non canonice utamur*, conc. *fi traditas fuperiores regulas obfervemus*, neg.

457. Clarius tamen tertium folvamus argumentum . Hoc fenfus noftri referunt, dum a coloribus , faporibus &c.

&c. percelluntur, nempe aliquam in seipsis esse factam motionem, quam deinde vocat intellectus aut colorem, aut sonum &c. & hoc solummodo pertinet ad sensus: deinde vero quoniam novit intellectus, sensus esse corporeos: solius autem corporis esse tangi, vel tangere, optime argumentatur, aliqua extare corporea, a quibus sensus moveantur. Quod si deinde asserat, colores, sapores &c. extare, aut non extare in corporibus, hoc pariter judicium ad ipsum, non ad sensus pertinet; igitur aut bene, aut male ferat sententiam suam, veritas, vel falsitas in ipsum, non in sensus cadit.

458. Quod vero quartum spectat, experientia potius ut solvatur, quam ratiocinatione opus habet. Itaque cum sensus corporei sint: corporum autem eorumdem idem omnino debeat esse effectus (sunt enim causæ naturales) ad hoc tota quæstio reducitur, utrum videlicet sint oculi omnium nec materia diversi, nec organizatione dissimiles. Organizatio in sensibus sanis, ut Anatomici norunt, eadem plane est in omnibus: quædam solummodo, in oculis præsertim, diversitas conspicitur, quod aliqui magis, aliqui vero sint minus convexi: in aliquibus densior, rarior in aliis humor crystallinus inveniatur: hoc autem, ut ex Dioptrica patet, præstare potest solummodo, quod in eadem distantia unus objectum vividius, alter vero obscurius: unus majus, parvius alter conspiciat; si igitur traditam in Logica n. 219. regulam quis diligenter perpendat, levi labore poterit hunc sensuum defectum emendare.

459. Inst. 1. ex Baylio. Atqui neque de corporum existentia certi &c. ergo &c. prob. min. subs. Sicuti per sensus habemus, corpora existere, ita quoque per sensus cognoscimus, corpora esse sapida, colorata &c. Atqui communi calculo hoc a Physicis nunc pernegatur; ergo a pari &c.

460. Resp. neg. subs. ad prob. conc. 1. part. maj. neg. autem 2. Dum enim sensus referunt, aliquam ab objectis in seipsis esse factam motionem, hoc ex iis certi haurimus, nempe aliquod a corporibus vel emissum, vel refle-

reflexum esse in organa ipsa sensoria : at perpendere, utrum sensationes illæ in corporibus existant, vel sint meræ animæ modificationes, hoc intellectus est, non sensuum ; si igitur n. 220. regula allata in praxi utamur, nullus irruet in intellectum propter sensus error.

461. Inst. 2. ex Mallebranchio. Atqui sicuti dum sensus referunt corpora sapida &c. intellectus eorum debet errorem emendare, ita quoque dum referuut, se esse ab objectis percussos, debet intellectus illis fidem non præbere ; ergo &c. prob. subs. Multæ in nobis corporum ideæ excitantur, quin ullæ in sensibus fiant motiones, ut evenit tempore somni ; ergo possunt referre sensus, se ab objectis &c. licet &c. Debet igitur intellectus &c.

462. Resp. neg. min. subs. ad prob. dist. antec. *multæ &c. quin in nobis actu fiant motiones*, conc. *quin in nobis vel actu fiant, vel sint factæ*, neg. sic conseq. dist. neg. conseq. Non una est lex, quam anima corpori unita in producendis ideis servat, ut suo loco explicabimus ; aliquando enim etiam dum vigilat eas ideas considerat, quas antea mediis sensibus acquisiverat : semper tamen verum, fixumque remanet, nullam in mente adesse corporeorum perceptionem, quin aliquando aliquis in sensibus sit motus productus : motus autem iste, uti jam diximus (n. 457.) nonnisi a corpore potest oriri ; igitur aut mens ad præterita se convertat, aut ad præsentia corporea animum intendat, certa semper erit de corporum existentia.

463. Ob. 2. Potest Deus ipse loco corporum sensus nostros movere ; atqui nihil est, quod ostendat, hoc ab ipso Deo non effici ; ergo semper incerti erimus, utrum corpora existant, vel &c.

464. Resp. neg. maj. & neg. min. Veracitas enim Dei certos nos reddit, non ab Ipso sensus nostros moveri, sed a corporibus ; si enim Ipse sensus percelleret, quin nos antea commonefaceret, perpetuo nos deciperet ; etenim certi sumus, nonnisi a corpore posse naturaliter corpus moveri ; igitur si Deus loco corporum immediate organa nostra afficeret absque ullo antecedenti monitu,

nostri

nostri erroris Deus, non nos, causa extaret.

565. Inst. 1. Atqui veracitas Dei non impedit, quominus credamus, Deum loco corporum &c. ergo &c. prob. subs. Quamvis omnes homines, paucis exceptis, ab initio mundi ad hæc usque tempora crediderint corpora sapida &c. non tamen hic error in Deum refunditur; ergo a pari, non erit Deus causa erroris, licet putaverint omnes homines, existere corpora, quamquam non existant; prob. conseq. Non minus fixum in animo rustici est, nivem ex. gr. esse albam, quam putet quisque, corpora revera existere; atqui decipitur primus, quin Deus sit causa erroris; ergo a pari &c.

466. Resp. neg. min. subs. ad prob. conc. antec. & neg. conseq. & paritatem. Cum Deus nec omniscios, nec infallibiles homines condiderit, sed certos præscripserit sciendi fines, certasque tradiderit regulas, quibus suffulti in judicando non deciperentur, ideo dum illi, vel quod sciri non potest, vel etiam, quod potest addisci, statis canonibus non considerant, si decipiantur, nullus eorum error in Deum, tamquam in causam, refunditur: at si quod est ipsis prorsus necessarium non possent agnoscere, vel regulis omnibus observatis, perpetuo deciperentur, nonnisi Deus causa erroris esset habendus, utpote Auctor talis naturæ. In primis itaque non opus est homini hæc scientia, utrum nempe colores &c. sint qualitates in corporibus extantes, vel potius animi modificationes: deinde dum putat, esse qualitates &c. regulis sciendi non recte utitur; si enim perpenderet, dolorem non in acu, qui pungit, sed in corpore vulnerato reperiri, cum non dissimilis reliquarum sensationum sit ratio, non assereret profecto, colores &c. in objectis residere, sed esse animæ modificationes crederet. At si per sensus, etiam illis regulis adhibitis, perpetuo deciperetur, tunc profecto circa necessaria ad vitam, & salutem esset hic error, nec ulla esset ratio, cur ipsi potius, quam Deo tribui deberet.

467. Sed quoniam ferme in omnibus Pyrrhonicorum paginis hoc objicitur nobis argumentum, rem ipsam, quæso,

so, serio tantisper perpendamus. In earum omnium qualitatum, quas Peripatetici entitates appellabant absolutas, perceptione tria attente consideremus oportet: 1. nempe determinatam in corpore partium texturam: 2. motum in nostris sensibus ad ipso corporeo objecto productum: & 3. perceptionem, quam hujus motus anima elicit. Si 1. deficeret, omnia eodem modo objecta sensus percellerent: 2. non posito, nihil ob legem commercii anima perciperet: ac tandem si 3. deesset, nulla foret animæ idea. Hoc igitur posito, quinam, amabo, vulgus error fuit in putando, aliquid esse in corpore, per quod album, dulce, durum &c. appellaretur? Nonne & idipsum asserunt recentes Philosophi? Quod si deinde illud corporis proprium qualitatem ei inhærentem dixerunt, alias ac modo creditur, id non vulgus, non rustici, sed sapientis, sed Philosophi non bene ratiocinantis error fuit.

468. Inst. 2. Atqui etiamsi Deus loco corporum sensus moveret, nullus Deo esset tribuendus error; ergo &c. Aliquando Deus homines decepit, & nunc etiam decipit; ergo &c. prob. antec. Deus in Altaris Sacramento ita sensus percellit, ut appareat ibi panis, & vinum: aliquando Discipulis apparuit sub variis formis; ergo &c.

469. Resp. neg. min. subs. ad prob. neg. antec. ad ejus prob. dist. antec. *& actionis hujus homines admonuit*, conc. *secus*, neg. antec. & consequ. Movet quippe Deus in Sacramento Altaris sensus nostros, at per fidem monemur, ibi panem, & vinum non extare; consequenter scimus testimonio firmissimo, motionis illius solum Deum esse causam: ubi autem monitus adest, ibi nulla fingi potest deceptio.

470, Reliquæ autem apparitiones aut sine interventu corporum non fuerunt, aut saltem mysterium, quod sub ipsis latebat, ne error irreperet, fuit illico reseratum.

471. Ob. ult. Ex corporum existentia existentia Dei demonstratur: ex infallibilitate vero ipsius Dei corporum evincitur existentia; ergo in circulo vitioso versamur,

472. Resp. dist. 1. antec. part. *ex corporum &c. contra illos, qui corpora extare non renuunt*, concedo: *secus*, nego antec. Dum in metaphysica evincemus Dei existentiam argumento ducto ab existentia corporum, rem agemus contra illos, qui corpora non inficiantur: at si contra eos esset disputandum, qui purum Idealismum amplectuntur, non tamen nostra infirmaretur demonstratio; dummodo enim aliquid demonstretur existere, sive mens, sive corpus sit, hoc sufficit, ut ipsa quoque Dei existentia probetur; aut enim quod existit creatura est, aut Deus: si Deus; ergo Deus existit: si autem creatura sit; ergo Creator debet admitti, quem Deum appellamus.

473. PROPOSITIO V.

In rebus facti testimonium Historicorum non potest nos in errorem perducere.

474. TRadidimus in Logica (n. 228. & *seqq.*) quæ necessario sint observanda, antequam de factis historicis judicium feramus. Nos itaque in præsentiarum contendimus duntaxat, factum aliquod, in quo enarrando omnes conveniunt Historici allatis dotibus instructi, certissimum esse habendum; ac proinde, nisi insanire velimus, nullo pacto esse de illius veritate addubitandum.

475. Prob. itaque propositio. Ut auctoritatem faciant Historici, & probi debent esse, & rei, quam enarrant, periti (n. 232.) Atqui si probi sint, non possunt nos decipere: si vero ejus, cujus historiam contexunt, sint periti, decipi non possunt; ergo est ipsis fides omnino præbenda: *certe*, ut inquit Cl. Melchior Canus de Locis Theol. lib. 11. cap. 4. *qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non solum stulti sunt, sed Gigantum more cum Diis bellant, hoc est cum natura pugnant, siquidem, ut ajebat Tullius* de natura Deorum lib. 1. *consensus hominum vox naturæ est. Revera quid stultius esse potest, quam illa non credere, quæ*

quæ Viri graves, genio licet, ac Religione discrepantes unanimiter facta esse enarrarunt? In rebus igitur facti testimonium Historicorum non potest nos in errorem perducere.

Articulus IV.

De principio contradictionis.

476. Disputarunt olim acerrime Philosophi, quodnam esset primum cognitionum nostrarum principium. Fere omnes illud voluerunt cæterorum primum habendum, per quod omnium veritas dignoscitur. Hinc Epicurei sensationes nostras: Cartesiani ideam claram, & distinctam: plerique ex Scholasticis regulas logicales, esse prima nostrarum cognitionum principia mordicus contenderunt. At isti primi principii nomine sunt abusi; licet enim per enumerata principia plurima alia possint invicte demonstrari, attamen aliquid aliud datur, quod eorum probationi inservit, quodque per ipsa demonstrari non potest. Hinc plerique ex Scholasticis, quibus Recentiores fere omes adstipulati sunt, principium hoc tamquam primum cognitionum nostrarum fundamentum habuerunt, scilicet *non potest idem simul esse, & non esse*, quod *contradictionis principium* appellarunt. Per Scholasticos itaque primum principium illud est, per quod cetera probari possunt, si pernegentur, quodque per nullum aliud potest demonstrari. Ut nostram igitur aperiamus sententiam, juxta allatam primi principii definitionem, dicimus.

477. Propositio

Principium contradictionis estprimum cognitionum nostrarum principium, earumque velut fundamentum, & basis.

478. Prob. Principium istud per aliud demonstrari nequit: per ipsum vero cetera ostenduntur; ergo

&c. Prob. antec. quoad 1. part. Si aliquæ forent veritates, quæ huic demonstrando principio inservirent, maxime essent istæ, videlicet, *quodlibet dum est, est: sensus non possunt nos fallere: quidquid elucet in idea clara, & distincta alicujus rei, illud verum habendum est*. Atqui omnes istæ veritates per allatum principium ita evincuntur, ut si illud certum non supponatur, nutent & istæ; ergo &c. Prob. min. Si idem posset simul esse, & non esse, non esset certa illa propositio, videlicet, *quolibet dum est, est*: pariter nec secunda; ea enim in primis probatione indiget, ut vidimus n. 453. Deinde posito, quod sensationes nostræ possent simul falsæ esse, & veræ, tota corrueret illarum certitudo. Tandem licet concedamus, evidentiam esse criterium veritatis, nisi tamen certum hoc supponatur principium, de quo in præsentiarum agimus, poterit evidentia esse simul veri, & falsi criterium; ergo dum propter evidentiam asserimus, propositionem aliquam esse veram, poterimus simul affirmare, eam esse falsam; igitur nisi hoc admittatur veluti primum cognitionum nostrarum fundamentum, corruet veritas ceterorum; consequenter ipsum per alia non potest demonstrari.

479. Hæc probatio ostendit pariter, cetera quæque ab ipso vim sumere & robur.

480. Ob. Plura sunt axiomata, de quorum veritate non ambigimus, quin ad allatum principium ne animum quidem convertamus; ergo &c. antec. experientia patet.

481. Resp. conc. antec. & neg. conseq. Non enim principium hoc ad veritates detegendas sumpsimus, sed duntaxat ad eas demonstrandas, siquis pervicax adversarius negaverit præfracte. Igitur veritates ex communibus, & generalibus cujuslibet scientiæ principiis eruimus: dum vero obstinate pernegantur, tandem hoc principio demonstramus.

482. Inst. Atqui neque ceteris veritatibus ostendendis principium istud est aptum; ergo &c. Prob. antec. Evidentiæ veritas inconcussa per illud non evincitur: imo

per

per evidentiam illius axiomatis nobis veritas innotescit; quomodo enim nos certi sumus de illius veritate, nisi ex eo, quod in idea existentiæ, aut possibilitatis pugna relucet inexistentiæ, & impossibilitatis? Ergo per istud &c.

483. Resp. neg. min. subs. ad prob. dist. *Evidentiæ veritas per illud principium non evincitur*, *hoc est non invenitur*, conc. antec. *non probatur*, neg. antec. & conseq. Jam diximus (n. 471.) hoc principio veritates ceteras non inveniri; quomodo enim per negationem propositionis affirmantis potest veritas reperiri? Attamen principium illud veritatibus quibusque ostendendis potest optime inservire. Igitur certum quidem est, per ipsam veritatem hujus propositionis: *quidquid elucet &c.* reperiri non posse, imo per eam illud ipsum inveniri: attamen nulla esset illius axiomatis vis, nisi hoc firmaretur principio; dato enim, ac semel concesso, posse idem simul esse, & non esse, poterit simul verissimum esse, & falsum, quod per evidentiam demonstratur.

484. Inst. Igitur in circulo vitioso versamur; etenim per principium contradictionis evidentiam: per evidentiam vero principium contradictionis veritatem asserimus obtinere.

485. Resp. dist. antec. *& duplici utimur demonstratione*, concedo, *& una &c.* Demonstratione itaque *ostensiva* probamus, certissimum esse hoc contradictionis principium, quia in idea existentiæ &c. relucet pugna non existentiæ &c. demonstratione vero *redargutiva*, seu *apogogica* probamus per principium contradictionis, id esse certissimum, quod relucet in idea clara, & distincta, ut diximus n. 478.

ARTICULUS V.

De principio rationis sufficientis.

486. PRincipium rationis sufficientis est illud, *per quod intelligitur, cur aliquid sit, & tale sit*. Quod igitur modo quæritur est, utrum sit aliquod admittendum existens, vel ita existens, possibile, vel ita possibile,

quin ejus existentiæ ulla deprehendatur ratio sufficiens.

487. *Hoc principio usus est olim Archimedes in stabiliendis principiis staticis: idem agnovit tanquam universaliter verum, & ad ipsas veritates morales extendit Confucius: imo etiam alii subinde ex hoc principio ratiocinati sunt. Primus tamen Leybnitius aperte de eodem loquutus est, eodemque tanquam principio in rectificandis notionibus, & demonstrandis propositionibus usus est in egregio Theodiceæ opere.* Verba sunt ista ad litteram excerpta ex Wolfio *in Ontol §. 71. Edit. Veron. ann. 1736.* Num istis luculentiora tradere ipse Wolfius potuerit, ut nobis innueret, restauratorem quidem principii istius Leybnitium fuisse, non autem inventorem, ego non video, nec alius, ut puto, qui Wolfium perlegerit, videre valebit unquam: & tamen Cl. Genuensis *Metaph. part. 1. Sch. prop. 49.* ita ex tripode definit. *At quod hujus axiomatis primus usum fecisse Leybnitius Wolfio dicatur, id vero est, in quo aut affectu decipitur, aut veterum Philosophorum, Platonis potissimum, & Aristotelis monumentorum imperitiam patefacit*: potius ipse patefacit imperitiam Wolfii monumentorum. Ideo autem ista retuli, ut intelligatis, quanta fides sit Genuensi præbenda, licet viro non infimo prædito acumine, dum aliorum opera carpit libere fortasse nimis.

488. Veteres itaque, Scholastici præsertim, inter quos potissimum Peripatetici, alterum hoc statuerunt principium, *nihil* videlicet *esse sine propria causa*: principium autem istud appellarunt etiam *rationem sufficientem*. Hinc factum est, ut cum aliqui, quos inter Genuensis præsertim, repererint in Veterum monumentis ubique hoc axioma firmatum: *nihil est sine ratione sufficiente*, putaverint, hoc non a Leybnitio inventum primum fuisse, sed perantiquis etiam Philosophis innotuisse. Itaque distinguendum est principium rationis sufficientis in sensu Leybnitiano, & Anti-Leybnitiano. Utrumque ponit Leybnitius, nihil videlicet esse sine propria causa, & nihil sine ratione sufficienti: at perpetuo rationem sufficientem effectus a causa distinguit. Philosophi vero Anti-Leybnitia-

nitiani concedunt quidem, nihil esse sine ratione sufficienti: hanc autem nonnisi in causa putant posse reperiri.

489. Dum autem Leybnitius, & Wolfius ubique contendunt, nihil esse sine ratione sufficienti, quæri potest utrum velint, nihil a nobis esse admittendum absque sufficienti ratione, an potius contendant, nihil esse absque tali ratione. Equidem aliud est asserere, cuicumque rei clare, distinĉteque explicandæ, cur potius sit, quam non sit, sufficientem aliquam adesse rationem, licet nobis ignotam, aliud vero est contendere, eam ita nobis præsto esse debere, ut quoties non innotescat, nec existentiam rei illius, cujus ratio quæritur, admittere debeamus. Nisi Wolfius dum loquitur, Ædipo interprete egeat, videtur mihi primam adoptasse sententiam; non solum enim in universo Ontologiæ, Psychelogiæ, & Theologiæ naturalis opere eos redarguit, qui rationem sufficientem præ oculis non habentes aliquod admittunt, verum etiam in Ontologia *parte* 1. *sect.* 1. *cap.* 2. §. 70. ita se explicat. *Nihil est sine ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit, hoc est si aliquid esse ponitur, ponendum etiam aliquid, unde intelligitur, cur idem potius sit, quam non sit.*

490. Cum etiam actiones liberæ effectus sint alicujus liberi agentis, ideo acerrime inter se digladiantur Philosophi, num & in istis præter liberam voluntatem, aliqua sit expiscanda ratio sufficiens. At quoniam hujus quæstionis solutio pendet potissimum a notionibus, quas dum de libertate agemus, sumus tradituri, ideo de hac sufficienti ratione relate ad libertatem modo non agimus: sermonem duntaxat instituimus de effectibus naturalibus.

491. Ut igitur quæstioni huic intricatissimæ lux debita affulgeat, 4. enucleanda esse censemus. 1. nempe *utrum in rebus naturalibus ratio sufficiens distinguatur a causa?* 2. *An ratio sufficiens indubium sit veritatis criterium ubi reperitur?* 3. *Utrum sit aliquod admittendum, licet ratio sufficiens illius nobis non innotescat?* 4. tandem *An sit aliquid sine ratione sufficienti?* Sit igitur

492. PROPOSITIO L.

Ratio sufficiens in iis, quæ a libertate non pendent, eadem est ac causa, nec alibi, quam in causa potest reperiri.

493. PRob. *Scire est rem per causam cognoscere*, ut commune fert adagium: atqui quando causam rei alicujus cognoscimus, tunc perfecte novimus, quare effectus ille, & non alius habeatur; ergo cum in hoc tota sufficiens ratio consistat, quando causam cognoscimus, cognoscimus & rationem sufficientem; ergo ratio sufficiens nullimode differt a causa, nec extra causam licet illam reperire.

494. *Schol.* Tam certa, firma, atque indubia est hæc propositio, ut quoties defensores rationis sufficientis eam in rebus naturalibus extra causam invenire voluerunt, egregie fuerint hallucinati, & meras jactaverint distinctiones absque ulla distinctione. Ut millena Wolfiana exempla prætercam, ne sim infinitus, videatur ratio illa sufficiens, quam in medium profert, ut explicet, quomodo lapis fiat calidus *Ontol. part. 1. annotat. ad* §. 70. Asserit itaque, lapidem frigidum calidum fieri non potuisse propter nihilum; ergo, infert ipse, propter aliquid: istud autem aliquid est ratio sufficiens caloris in lapide. Quis autem manifeste non intuetur, rationem illam eamdem esse cum causa? Causa enim est id, a quo effectus producitur; ergo cum ab *A* sit ex. gr. calor productus, *A* erit causa caloris: atqui per Wolfium *A* est ratio quoque sufficiens ipsius caloris; ergo ratio sufficiens, & causa nullo pacto distinguuntur, ubi de rebus agitur naturalibus. Pariter allatam definitionem rationis sufficientis *ibid.* §. 56. ita in annotat. distincte explicat. *Exempli gratia ex eo, quod quis sumit, triangulum tribus lineis contineri, intelligitur, quod tres debeat habere angulos.* At nonne manifestum est, numerum ternarium laterum esse causam ternarii numeri angulorum? Igitur ratio sufficiens eadem est per Wolfium cum causa, nec ab ipsa valet il-

Iam distinguere , licet *ibid.* §. 71. velit, causam non esse confundendam cum ratione sufficienti. Innumera quoque possemus ex Genuensi depromere exempla, in quibus licet deprehendere perpetuam confusionem rationis sufficientis cum causa: conferantur *Def. Ontol.* 49. & 50. cum *definitione* 51. inspiciantur propositiones 8. 9. & 13. &c. & in omnibus licebit apertissime intueri hanc miram perturbationem rationis sufficientis, & causæ. Tanti ponderis argumentum istud mihi videtur, ut allata propositio probatione minime indigeat; si enim acerrimi defensores distinctionis hujus rationem sufficientem inter, & causam etiam in effectibus naturalibus, promiscue semper iis principiis utuntur in praxi, eccur jugum nobis omnino durum imponere præsumunt, ut nempe extra causam rationem sufficientem expiscemur, ubi illi nunquam eam reperire valuerunt?

495. At inquit Wolfius, potest causa alicujus effectus asserri, quin intelligatur, cur effectus ille sit, sive quod idem est, quin ratio sufficiens illius afferatur. Ita sane semet Scholastici gesserunt, dum attractionis magneticæ causam agnoscebant provocantes ad vim attractricem magneti inexistentem: sed quia non explicabant intelligibili modo attractionem magneticam, eamdem profecto absque ratione sufficienti existere posse sibi persuadebant. Ita Wolfius persæpe, sed præsertim *Ontol. par.* 1. *sect.* 2. *c.* 2. *annot.* §. 71.

496. Resp. dist. antec. *Potest causa alicujus &c. causa distincte explicata*, neg. *secus* conc. antec. Aliud est causam distincte cognoscere, aliud est existentiam causæ, cujus nullam habemus ideam claram, & distinctam, ideo admittere, quia effectus existens conspicitur; si enim causa distincte explicata afferatur, tunc ratio quoque sufficiens adducitur: si vero causam quidem adesse propugnetur, quænam autem sit ignoretur, tunc admittitur simul, adesse aliquam, sed nobis minime notam rationem sufficientem. Ita sane se gerebant Scholastici in allato exemplo: asserebant quidem, aliquam debere adesse causam attractionis magneticæ, quænam autem esset ignorabant;

& ideo

& ideo cum causam distincte explicare non potuerint, quid mirum si rationem sufficientem etiam illius effectus non attulerint? Probandum itaque esset Wolfio, ipsos distinctam attractionis magneticæ notionem habuisse, & omni simul sufficientis rationis caruisse notitia.

497. PROPOSITIO II.

Si aliquid manifeste existens deprehendatur, non ideo ejus existentia deneganda est, quia illius sufficiens ratio ignoratur.

498. PRob. Hac pernegata assertione, aut in *Scepticismum*, aut in *Phanatismum* recta ruimus; ergo &c. Prob. antec. Si illud duntaxat esset admittendum, cujus præsto est sufficiens ratio, aut plurium, quæ oculis intuemur, deneganda esset existentia, aut omnium nobis nota esse deberet causa: atqui ob primum in *Scepticismum*, ob secundum in *Phanatismum* rueremus; ergo &c. Probat. maj. Conversio magnetis ad polos, heliotropi ad solem, attractio magnetis, ceterorumque corporum experimentis electricis subjectorum, ascensio liquorum in tubis capillaribus, motus syderum, commercium animam inter, & & corpus, & centena alia nondum fuerunt a Philosophis explicata; consequenter adhuc eorum detecta non fuit ratio sufficiens; atqui hæc omnia oculis intuemur; ergo si illud duntaxat &c.

499. Ob. 1. cum Wolfio. Uniuscujusque entis existentia in aliquo debet fundari, alias fundaretur in nihilo: atqui illud, in quo aliquid fundatur, est ratio sufficiens; ergo uniuscujusque &c. datur &c. *Ponamus, esse A absque ratione sufficienti, cur potius sit, quam non sit; ergo nihil ponendum est, unde intelligatur, cur A sit. Admittitur adeo A propterea quod nihil esse sumitur: quod cum sit absurdum, absque ratione sufficiente nihil est, seu siquid esse ponitur, admittendum etiam est aliquid, unde intelligitur, cur sit.* Ita ratiocinatur *Ontol. loc. cit.* §. 70.

500. Resp.

500. Resp. Miramur profecto, Wolfium in mathematicis demonstrationibus attritum ita male nunc ratiocinari. Quis igitur pernegaverit, entis uniuscujusque dari rationem sufficientem, præsertim si per istam causa ipsa intelligatur? At non idem est, existere rationem sufficientem, & eam assignare: quod certe consonat & ipsis Wolfianis ratiocinationibus; *loc.* enim *cit.* §. 72. ut evincat, rationis sufficientis principium minime experientiæ contrarium reperiri, licet aliquando non possit assignari ratio ipsa sufficiens, hæc habet: *quodcumque enim eorum sumis, quæ esse observantur, ubi inquisiveris eorumdem rationem, aut deprehendes, aut saltem demonstrare haudquaquam poteris, nullam adesse: verum fateri cogeris, te eam reperire non posse.* Quibus num luculentiora tradere ipse potuerit, ut propriam destrueret sententiam, non video. Concedimus itaque, uniuscujusque entis dari rationem sufficientem, at id solum esse admittendum, cujus ratio sufficiens est manifesta, id profecto est, quod probationi superiori (n. 498,) innixi perpetuo ibimus inficias. *Ponamus itaque* A *absque sufficiente ratione &c. ergo nihil ponendum est, unde intelligitur, cur* A *sit; admittitur ideo* A, *propterea quod nihil esse sumitur* &c. Quis fallaciam hujus argumenti manifestissime cæcutiens etiam non viderit? Licet nullam afferamus rationem existentiæ *A*, non propterea tamen *A* existentem admittimus, quia nullam cognoscimus rationem sufficientem, sed quia cum aperta sit existentia *A*, licet nesciamus quænam ejus sit ratio sufficiens, non tamen pernegare possumus, ipsum existere; non enim negandum est, quod est apertum, quia comprehendi non potest, quod est occultum

PRO-

501 PROPOSITIO III.

Ubi reperitur ratio sufficiens alicujus entis, de existentia, possibilitate &c. prout ratio sufficiens innuit, non est ullo pacto addubitandum.

502. Prob. Ratio sufficiens ex dictis (n. 492.) in effectibus naturalibus non est nisi causa: atqui ubi adest causa, ibi adesse debet effectus; igitur ubi ratio sufficiens alicujus &c. Quis enim pernegaverit, pluviam esse probabilem, dum nubes probabiliter a ventis simul coagulabuntur, dummodo concesserit, nubes a ventis simul compressas esse causam, seu rationem sufficientem pluviæ?

503. PROPOSITIO IV.

Si per rationem sufficientem causam sumere non detrectemus, nihil fit in mundo materiali absque ratione sufficiente.

504. Prob. Posito aliquo absque ulla sufficiente ratione, hoc ex nihilo fieri debuit: atqui *ex nihilo nihil fit*, ut sibi contradicens cecinit quoque Lucretius ipse *lib.* 1. *de rerum nat. v.* 5. ergo si aliquid adsit, debet & ratio illius sufficiens adesse. *Ponamus*, inquit Wolfius, *lapidem, qui erat frigidus, factum fuisse calidum; aut igitur datur aliqua ratio, per quam intelligi potest, cur lapis nunc potius sit calidus, quam frigidus, aut nulla datur? Si nulla datur istiusmodi ratio, nihil ponitur in lapide, nec extra eumdem, ad quod ortus caloris referri potest. Utique igitur admittitur, lapidem, qui erat frigidus, factum fuisse calidum, cum nihil esset nec in lapide, nec extra lapidem, a quo calor proficisci potuit..... Admittendum igitur erit, aut nihilum in lapide abiisse in calorem, aut nihilum extra lapidem eumdem produxisse.... Quis vero non ultra largietur, hæc esse absurda, atque ideo affirmabit dari aliquid vel in lapide, vel extra lapidem, unde calor iste or-* tum

tum suum duxit? Ontol. lib. cit. sæpius in adnot. ad §. 70.

505. Ob. 1. Semel admissa rerum omnium sufficienti ratione, omnium quoque existentia necessaria esse deberet: atqui solus Deus necessario existit; ergo &c. Prob. maj. Ubi ratio sufficiens ponatur, necessario ponendum est id, cujus est ratio sufficiens; ergo semel admissa &c. constat antecedens ex n. 501.

506. Resp. dist. maj. *Semel admissa rerum omnium sufficienti ratione, quæ contineatur in ipsamet essentia illius, cujus est ratio sufficiens, non amplius esset fortuita illius existentia*, conc. *semel admissa &c. quæ extra essentiam reperiatur*, nego. Illa igitur, ut infra ostendemus, necessaria sunt, quorum ratio sufficiens existentiæ in ipsa eorumdem essentia continetur, sive quæ ideo existunt, quia talia sunt, cujusmodi est Deus: at reliquorum ratio sufficiens existentiæ extra ipsam essentiam reperitur, in causa videlicet producente: quare dum datur ratio sufficiens possibilitatis *logicæ* alicujus entis, ens istud est necessario possibile, ut videbitis: dum datur possibilitatis *existentiæ*, hæc fortuita est; reperitur enim ratio ipsa sufficiens tum in ipsa entis possibilis essentia, cum in causa, a qua possibile potest produci.

507. Urg. 1. Atqui etiamsi ratio sufficiens extra illius essentiam reperiatur, cujus est ratio sufficiens, tamen illud necessarium esset; ergo &c. prob. subs. Tunc aliquod est necessarium absolute, quando absolute necessaria est ejus ratio sufficiens: atqui ratio omnium sufficiens reperitur in Deo, in quo nihil datur contingentis; ergo absolute necessaria est; igitur &c.

508. Resp. neg. subs. ad prob. conc. maj. & dist. 2. part. min. *nihil in Deo datur contingentis in iis, quæ pertinent ad intra*, conc. *in iis, quæ pertinent ad extra*, nego: sic pariter distincta 2. min. part. neg. conseq. Aliæ sunt operationes, quæ, ut ajunt Scholæ, dicuntur *ad intra*, aliæ, quæ *ad extra* appellantur. Illæ sunt, quæ ab ipso Deo proficiscuntur & ad ipsum tamquam & medium, & ultimum finem ordinantur, sicuti suiipsius cognitio, & amor. Istæ

vero

vero eæ sunt, quæ procedunt quidem ab ipso Deo, sed in Ipsum non tendunt nisi tamquam in ultimum finem, non vero tamquam medium, qualis creatio creaturarum, providentia, præmium, pœna &c. ipsarum. Illæ itaque sunt quidem absolute necessariæ: hæ autem fortuitæ omnino sunt; nulla enim necessitate adactus fuit Deus, ut mundum conderet: poterat propterea ipsum non creare; consequenter actio creationis poterat & esse, & non esse; igitur fuit omnino contingens. In ipsa autem reperitur ratio sufficiens existentiæ creaturarum, ergo & ratio ipsa sufficiens est contingens. Si autem de rerum possibilitate logica loquamur, illius ratio sufficiens, ut diximus (n. 506.) est necessaria absolute, & ideo ipsa quoque possibilitas absolute necessaria deprehenditur &c.

509. Inst. 2. Atqui licet ratio sufficiens non pertineat *ad intra*, tamen illud necessarium est, cujus est ratio sufficiens; ergo &c. prob. subs. Licet causa sit fortuita, attamen posita causa, necessario ponitur effectus; ergo licet &c.

510. Resp. neg. subs. ad prob. dist. antec. *est necessaria hypothetice*, conc. *absolute*, neg. Necessitas hypothetica non tollit contingentiam entis; sicuti enim poterat non poni causa, ita poterat non poni effectus: sed quod ita ponitur, ut potuerit non poni, illud dicitur contingens. Igitur &c.

511. Inst. 3. Igitur non posset Deus miracula perpetrare; posito enim ex. gr. quod aer sit ratio sufficiens ascensionis mercurii in tubis Torricellianis, licet elevatio illius fluidi sit contingens, posito tamen aere, necessaria evadit; poterit igitur Deus aerem quidem non creare, creato tamen aere, debet necessario mercurius ascendere; atqui hoc totam miraculorum evertit œconomiam; igitur &c.

512. Resp. neg. 1. conseq. ad prob. dico, non in eo consistere rationem sufficientem alicujus effectus, quod præsens sit causa, sed requiri insuper, quod causa vim propriam exerat. Si igitur Deus impediat, quominus aer premat mercurium in vase stagnantem, ratio ipsa sufficiens de medio omnino tollitur. Sa-

Sectio II.

De notione entis, illius statibus, & affectionibus.

513. Recta postulat methodus, ut de ente peragentes, prius quid sit ipsum explicemus: exponamus 2. quotuplici possit in statu considerari: ac tandem 3. quocumque sit in statu, consideremus oportet ejus proprietates, seu affectiones.

Articulus I.

Notio entis explicatur.

514. Ens, sive illud participium dicas derivatum a verbo *sum es est*, sive nomen aliquod verbale, qua de re veteres Metaphysici non conveniunt, *est id omne, quod contradictionem non involvit, & idcirco non repugnat esse, sive actu sit, sive tantum esse possit*.

515. *Coroll.* Hac ergo entis notione omnia complectimur, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ sunt futura, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec sunt futura, sed tantum possunt esse.

516. *Schol.* 1. Licet Veteres plurimi, inter quos Platonici, illud appellaverint ens, quod ut existat, neque causa indiget producente, neque conservante, & hoc in sensu vocabulum *Jehovah* verterint Interpretes LXX. pro ente, ut notant cum Petavio Theologi omnes: apud Latinos præterea illud solummodo entis nomen obtineat, quod existit: attamen ceteris Philosophis veteribus, & recentibus, non alia, quam allata modo entis definitio arridet.

517. *Schol.* 2. Ex allata entis definitione (n. 514.) facile descendit solutio maximi, & quasi inextricabilis apud Peripateticos problematis, quod incredibili animorum contentione proponebatur, & in utramque partem exagitabatur. Inquirebant itaque Scotistæ olim, & Thomistæ, utrum conceptus entis posset univocum prædicatum

dici

dici Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. Asserebant primi, secundis idem pernegantibus. Quin rationes afferam, quibus & illorum assertio, & negatio innitebatur istorum, dicam breviter, quod sentio. Ex terminis minime definitis Helena incendii hujus exorta fuit; si enim quid nomine entis, quid prædicati univoci dissidentes partes intelligebant, explicassent, hi motus animorum, atque hæc certamina tanta pulveris exigui jactu compressa quievissent. Ens itaque est illud, quod contradictionem non involvit (n. 514.) Prædicatum univocum illud dicitur, quod pluribus tribuitur & secundum nomen, & secundum rem nomine illo designatam (n. 102.) Gordianum igitur hunc nodum modo solvamus. Deus, & creatura, substantia, & accidens contradictionem ne involvunt in suis essentialibus? Non equidem, alias non existerent. Igitur nomen entis potest univocum prædicatum dici Creatoris, & creaturæ, substantiæ, & accidentis. O miram jurgiorum generandi aviditatem!

518. *Schol.* 3. Plerique, quos inter Scholastici præsertim, ens distinxerunt in *reale*, & *rationis*: illud appellarunt *ens reale*, cui non repugnat reipsa existentia: illud vero *rationis*, quod licet non possit existere, concipitur tamen a mente velut possibile ad existendum: & acerrime inter se digladiati sunt, utrum hoc ens possit a mente comprehendi. Nobis tantum non est otii, ut de inutilibus agamus, præsertim cum improprie illud dicatur *ens*, quod existere non potest. Quare validioribus cibis contenti, glandes, quibus sapiunt, relinquimus. Si vero *entis rationis* nomine ideas abstractas intelligant, ut Auctor recens *Carolus a S. Floriano* putat, concedimus, dari reipsa hujusmodi *rationis entia*, quæ dicuntur *cum fundamento in re* (n. 90.)

519. *Schol.* 4. Nemo nobis succenseat velim, si in definitionibus hisce tradendis utamur persæpe vocabulis nondum definitis; si enim advertat Censor iste, vocabula nonnisi vocabulis posse definiri, is profecto dabit, necessarium esse omnino hujusmodi vocabulorum minime definito-

nitorum usum: illis praeterea utimur non definitis vocabulis, quae ex ipso verborum usu sunt omnibus perspicuissime nota, nec alieno in sensu accipiuntur a vulgo, ac a Philosophis.

ARTICULUS II.

De entis essentia, universalitate, & singularitate.

520. DOcent Ontologi nonnulli [1], esse in omni ente proprietatem quamdam primam, a qua ceterae, quae in illo adinveniuntur, suam trahant originem, atque hanc *essentiam* appellant *entis realem*. Non juvat modo hac de re quaestionem instituere: sufficiat solum animadvertere, quod licet ea doctrina foret vera, nullius tamen esset usus, quippe paucissimas novimus entium proprietates, quare multo minus eam primam remotissimam, a qua ceterae dicuntur derivare possumus dignoscere.

521. Defectui essentiarum realium supplent Ontologi alias adhibendo essentias, quas appellant *nominales*. *Essentia* itaque *nominalis* est conjunctio duarum proprietatum ipsius rei, quarum altera convenit etiam rebus diversae naturae, altera non reperitur nisi in rebus ejusdem omnino naturae. Ut si dixero: *triangulum est figura plana tribus lineis terminata*; esse enim planam figuram pluribus aliis figuris convenit: terminari vero tribus lineis non convenit nisi triangulo: uno verbo, essentia nominalis est ea, quam in Logica (n. 72.) appellavimus *speciem*. Per proprietatem magis communem, quae idem est, ac *genus* (n. 71.) explicantur communia: per proprietatem minus communem, quae etiam dicitur *differentia* (n. 74.) ratio redditur attributorum specificorum.

522. *Genus*, & *differentia* dicuntur essentialia entis, eoquod compleant essentiam. Ceterae proprietates constantes dicuntur quidem attributa, propterea quod speciei tribuuntur, vel essentiae, non autem appellantur *essentialia*, quia intelliguntur accedere quodammodo essentiae jam sibi constanti.

523. Ut vero essentia nominalis alicujus entis recte constituatur, accipienda est pro genere illa proprietas, a qua proxime pendent attributa communia insigniora, & quæ solet dici *genus proximum*, omittendo proprietates universaliores, quæ *genera* appellantur *remota*, nec satis sunt explanandis attributis. Ita genus hominis dicetur corpus organicum: non vero recte sumeretur pro genere substantia, vel ens. Differentia quoque debet esse proprietas, a qua proxime pendeant attributa specifica: ea dicitur *differentia ultima*, quoniam ultimum locum obtinet inter essentialia. Aliæ porro differentiæ, siquæ essent magis generales, dictæ *intermediæ*, possunt adhiberi quidem in constituendo genere proximo, sed non est iis utendum in constituenda rei differentia.

524. Ne putet quis, esse hæc prorsus sterilia, & nullius usus; inserviunt enim rectæ methodo in scientiis servandæ, dum rerum proprietates vel deteguntur, vel demonstrantur. Cavendum tamen summa diligentia est, ne arbitremur, proprietates, & attributa hujusmodi, quæ dum abstracte percipiuntur, communes esse videntur, & universales, esse reapse quædam entia universalia, vel a rebus separata, vel in rebus ipsis conclusa; tunc enim in illud laberemur vitium transeundi ab abstractis ad concreta, quod vitandum diligenter esse tanto studio monuimus in Logica (n. 92.) In hunc errorem inciderunt passim Scholastici.

525. Hinc cum etiam animadverterent, rem omnem esse singularem, docuerunt, in qualibet re, præter ea entia, quæ essent universalia, esse aliud quoque, cujus virtute res esset singularis, & individua: hoc vero ens appellabant principium individuationis, atque hoc pacto in singulis entibus conjungebant simul entia longe plura.

526. Nos autem libenter concedimus, aliquod esse ens *universale in causando*, quod simul plura possit producere: aliquam cognitionem esse *universalem in repræsentando*, quod possit plura menti proponere contemplanda: ac tandem aliquam vocem esse *universalem in significando*, quod possit rebus pluribus indicandis esse desti-

nata,

nata: sed nullum credimus, esse ens *universale in essendo*, quod scilicet pluribus rebus inesse possit.

527. Siquidem omne ens est omnino determinatum, videlicet affectum omni proprietate, cujus capax est in eo statu, & eo tempore, quo est: determinatio vero tollit communitatem, seu universalitatem: quocirca nullum est ens, quod singulare non sit. Neque singularitas est aliquid additum enti, sed tantum notio quædam præcisa; cum enim mente sejungimus aliam ab alia proprietate entis, eæ quidem videntur communes: cum vero simul omnes enti inesse intelliguntur, tum ens videtur esse singulare. Inde derivata abstracta vox *singularitas* significat connexionem proprietatum, quotquot necessariæ sunt, ut hoc ens ab omni alio distinguatur. Ea itaque non indicat aliquam proprietatem certam, & definitam, sed tantum perceptionem nostram, qua mens repræsentat sibi collectionem proprietatum, nec tamen easdem proprietates singillatim considerat; quare ipsa quoque singularitas percipitur veluti communis omni rei singulari. Hoc autem argumento esse debet, quodlibet ens natura sua determinatum esse, ac singulare, quatenus natura sua hoc in statu, hoc tempore est, quod est, affectum videlicet omnibus iis proprietatibus, quæ in ipso reperiuntur, sive illæ constantes, sive variabiles sint.

Articulus III.

De multiplici statu entium.

528. Simplicissimus, & omnium primus, qui in ente considerari potest status, est ille, qui dicitur *possibilitatis*: hic convenit cuilibet enti. Secundus est ille, qui appellatur *potentialitatis*: hic convenire potest solis entibus finitis. Tertius tandem est status *existentiæ*, in quo natura sua, seu per propriam essentiam est Deus: per creationem vero sunt plura entia finita, scilicet omnes creaturæ. Agamus ergo modo de possibilitate primum,

& impossibilitate: secundo de potentialitate, & existentia: tertio tandem de potentia, & actu.

§ I.

De possibili, impossibili, & nihilo.

529. Possibile est illud, *quod contradictionem non involvit*.

530. *Schol.* Licet hæc sit vera possibilis notio, placuit tamen Philosophis quamplurimis illud duntaxat possibile appellare, quod licet nec existat, nec unquam futurum sit, ei tamen existentia non repugnat. Quare per illos illud non dicitur possibile, quod existit, quamquam non renuant, esse possibile (ab actu enim ad potentiam, ut scholæ loquuntur, optime argumentamur) sed *existentis* nomine donant.

531. Possibile duplex est, *intrinsecum*, & *extrinsecum*. Illud est *possibile intrinsecum*, in cujus essentialibus nulla reperitur contradictio: illud vero est *possibile extrinsecum*, quod præter illam non repugnantiam habet caussam, a qua potest produci.

532. Possibilitas intrinseca dicitur etiam *possibilitas logica*.

533. *Impossibile* est illud, quod contradictionem involvit, seu quod non est possibile.

534. Duplex pariter est *impossibile* non secus ac possibile.

535. Quæ in Logica diximus de necessitate veritatis (n. 188.) hæc eadem dicantur de possibili, & impossibili.

536. Nihil est illud, quod contradictionem involvit.

537. *Coroll.* 1. Igitur quod est impossibile, est nihil.

538. *Coroll.* 2. Quoniam ergo duplex est impossibile, *essentiæ* nempe, & *existentiæ*, ideo duplex est nihilum: *nihilum essentiæ* est non ens: *nihilum existentiæ* est id omne, quod non existit.

539. *Coroll.* 3. Patet, quo sensu effatum illud veritatem

tatem obtineat, nempe: *ex nihilo nihil fit*; verum enim est, si nihilum essentiæ intelligatur; quod enim est impossibile intrinsece, est etiam impossibile extrinsece.

540. *Schol.* Cum omnis idea sit repræsentatio alicujus objecti (n. 31.) nihilum autem sit non ens (n. 538) patet, nullam nihili dari posse ideam; dum ergo nihilum percipitur, debet prius percipi aliquod ens, deinde ejus negatio.

541. Cum Cartesius essentiam corporis in trina constituisset dimensione, veritus ne Ecclesiæ censuris inureretur, quæ tradit, verum, ac reale Christi corpus sub Eucharisticis speciebus reperiri hac trina orbatum dimensione: subterfugium callide excogitavit, ut suam tueri posset opinionem; asseruit itaque, nihil esse *per se* vel possibile; vel impossibile, sed impossibilitatem, non secus ac possibilitatem esse unice a Divina voluntate repetendam; consequenter nulla per ipsum datur possibilitas, vel impossibilitas intrinseca, nisi Deus velit, esse aliquod impossibile, aut possibile. Asseclis innumeris non caruit Cartesius, inter quos eminent præcipue Auctor libri, cui titulus *Religio Medici*, in quo totus est, ut probet, posse Deum ea etiam facere, quæ invicem pugnant, huic innixus principio, nihil videlicèt intrinsece repugnare, nisi Deus velit. Hinc igitur enata est inter Metaphysicos celeberrima hæc quæstio: utrum nempe possibilitas intrinseca pendeat a Deo. Ut nostram ergo aperiamus sententiam, dicimus.

542. PROPOSITIO.

Possibilitas intrinseca nullimode pendet a Deo, ita ut non possit Deus eam immutare.

543. PRob. Si entium possibilitas intrinseca penderet a voluntate Dei, posset Deus efficere, quæ contradictionem involvunt; posset igitur obtinere, quod idem simul esset, & non esset: sed hoc Deus non potest; ad hoc enim binis deberet simul agere viribus æqualibus, &

oppositis: sed hoc in casu nullus sequeretur effectus; tota enim unius energia ab altera elideretur vi, ut patet; ergo &c.

544. Obj. 1. Hac semel posita assertione, sequitur, plura dari entia increata, æterna &c atqui hoc est impossibile; ergo &c. Prob. sequela maj. Hujusmodi entia possibilia sunt aliquid; atqui a nullo in hac hypothesi fuerunt producta; ergo &c.

545. Resp. dist. maj. *plura darentur entia increata &c. non existentia*, concedo: *secus*, nego maj. in sensu allatæ distinctionis nego min. & conseq. ad prob. maj. eadem adhibeatur distinctio &c. Per nos plura repugnant entia increata, æterna &c. & existentia; tunc enim plures darentur Dii: attamen nulla in hoc adest repugnantia, quod hujusmodi dentur plura entia limites possibilitatis non excedentia. Quod tamen hoc sensu est intelligendum, quod nempe hæc entia non repugnent, si perpendatur veluti mere possibilia, & quatenus possibilia pro increatis &c. habeantur: non quod aliquod referant esse possibile ens increatum &c. hoc enim pacto, ne possibilia quidem sunt plura entia increata, independentia &c. alias plures dari possent Dii.

546. Inst. Atqui darentur plura entia increata, & existentia. Prob. subs. Hujusmodi possibilia existunt in mente Dei; ergo &c.

547. Resp. neg. subs. ad prob. *& existunt tanquam purum negativum*, concedo: *tanquam aliquod positivum*, neg. Ideæ illæ rerum possibilium non referunt nisi non repugnantiam connexionis essentialium earumdem constituentium essentiam: non autem referunt objectum aliquod positivum existens.

548. Ob. 2. Si ea duntaxat possibilia statuantur, quæ contradictionem non involvunt, hæc debent esse numero finita: atqui omnipotentia Dei est infinita; ergo Deus creare potest etiam id, quod in numero possibilium non continetur.

549. Resp. neg. maj. Etiamsi enim ea duntaxat sint possibilia, quæ contradictionem non sapiunt, attamen,

quæ

quæ contradictionem non redolent, sunt numero infinita. Deus itaque est omnipotens, non quod impossibilia possit efficere, sed quod omnia potest possibilia creare, quæ sunt *infinities infinita*.

550. Inst. Atqui potest Deus impossibilia etiam condere; ergo &c. prob. subs. Potest Deus ex nihilo aliquid efficere: atqui nihilum contradictionem involvit, (536.) ergo Deus potest ea creare &c,

551. Resp. neg. subs. ad prob. dist. maj. *potest ex nihilo* &c. *prout contradictionem involvit*, neg. *prout opponitur enti, quod non existit*, conc. maj. & dist. min. *Nihilum primo modo acceptum contradictionem involvit*, conc. *secundo modo sumptum*, neg. min. & conseq. Dummodo intelligatur probe duplex, quam tradidimus (n. 538.) nihili definitio, & quæ addidimus (n. 539.) jam responsio per se patet.

552. Ob. 3. Si res fierent possibiles a Divina voluntate, Deus in perducendo ad existentiam possibilia penderet ab alio: atqui hoc est absurdum; ergo &c.

553. Resp. neg. sequelam maj. Non enim pendet ab alio, qui pendere intelligitur a nihilo: modo rerum possibilitas est nihil; est enim ens non existens; igitur hoc sensu tantum a possibilibus dependet Deus, quia non potest creare, nisi quæ contradictionem excludunt, quod profecto nec absonum, nec absurdum est. Et sane, ut argumentatur Cl. P. Mako Ontol. §. 26. *nonne Deus etiam ad res cognoscendas opus habet cognitionum suarum objecto? Nec tamen propterea ulla in Eum redundat imbecillitas. Nempe non eget his Deus tamquam causis molitionem rerum adjuvantibus, sed tamquam terminis, quibuscum operatio Dei effectrix connectatur*.

554. *Coroll.* Igitur ex dictis hucusque satis, superque patet, logicæ, seu intrinsecæ possibilitatis rationem sufficientem in rei ipsius essentialibus contineri.

§. II.

De potentialitate, & existentia.

555. POtentialitas, prout ab Ontologis sumitur, confunditur, eademque est cum possibilitate extrinseca (n. 531) status itaque potentialitatis alicujus entis est ille, in quo ens præter intrinsecam suam possibilitatem causam habet, vel saltem habere potest, a qua valet actualitatem recipere.

556. *Coroll.* Ratio ergo sufficiens potentialitatis in possibilitate intrinseca reperitur entis, & in causa, a qua potest produci; per hæc duo enim ille status clare, & distincte intelligitur (n. 555) ac per consequens hæc duo rationem illius sufficientem constituunt. (n. 486.)

557. *Existentia* est positio rei extra possibilitatem, seu extra nihilum. At existentiæ notio ex illis est notionibus, quæ melius intelliguntur, quam valeant explicari.

558. Duplici pacto ens concipimus existens, scilicet vel a se, ut inquiunt, vel ab alio. Illud *existit a se*, cujus sufficiens ratio existentiæ in ipsa sua essentia reperitur. *Existit* vero *ab alio*, cujus sufficiens existendi ratio in causa essentiæ propriæ extrinseca adinvenitur. Primo modo Deus existit: secundo autem creaturæ.

559. *Coroll.* Igitur quodcumque existit, aut a se, aut ab alio existit; quod enim existit a se, non existit ab alio; cum ergo existentia a se, & non existentia a se sint contradictoriæ, nullum inter ipsas potest medium reperiri.

560. *Schol. Essentia facta* idem est, ac existens ab alio: *essentia* vero *æterna intelligibilis* eadem est, ac possibilitas intrinseca, seu logica (n. 133.)

561. *Coroll.* 1. Attributa essentialia rationem sufficientem propriæ existentiæ in essentia habent illius, cujus sunt attributa; cum enim omnis effectus ratio sufficiens reperiatur in causa, ideo cum attributa essentialia intrinsecus ab essentia promanent, eorum ratio sufficiens in ipsa essentia debet reperiri.

562. *Co-*

562. *Coroll.* 2. Attributorum vero accidentalium, seu modorum sufficiens ratio remote quidem in essentia, cujus sunt accidentia, proxime vero in causa ea producente invenitur: sic caloris in ferro sufficiens ratio adest remote in essentia ferri, quia si ferrum calefactibile non esset, nunquam calefieret: at proxime reperitur in igne, qui calorem ipsum producit.

563. *Coroll* 3. Attributa essentialia sunt necessaria hypothetice etiam quoad existentiam, hoc est, posito illo, a cujus essentia illa profluunt, necessario ipsa existunt, alias non necessario dimanarent ab ipsa essentia. Quare, sicuti Scotus ait lib. 4. sent. dist. 49. q. 2. *Deus est causa trianguli in essendo: tamen si triangulus esset incausatus, seipso haberet tres angulos duobus rectis aequales.*

564. *Coroll.* 4. Quidquid in existente reperitur, ab ejus pendet essentia actuali; quidquid enim in existente reperitur, aut est illi essentiale, aut accidentale: at tum essentialium, cum accidentalium ratio sufficiens adinvenitur primum in essentia (n. 561.) deinde in actualitate, seu existentia (n. 462.) igitur &c.

§. III.

De potentia, & actu.

565. Tunc ens dicitur *in potentia*, quando vel extrinsece, vel intrinsece est possibile, licet non existat. Tunc vero dicitur *in actu*, quando existentia donatur, quae *actus* quoque nuncupatur, quia essentiam actuat, seu constituit extra nihilum.

566. *Schol.* Per Ontologos potentia est capacitas, qua est praeditum subjectum aliquam formam recipiendi: forma autem ista dicitur *actus*. Hoc sensu actus, & potentia nullimode possunt in Deo percipi; tunc enim esset Deus *compositus metaphysice*, & *perfectibilis*.

567. Hoc sensu si accipiatur potentia, in *objectivam* dividitur, & *subjectivam*. Prima est capacitas, qua

qua res mere possibilis gaudet ad aliquam formam accipiendam, si existeret. Secunda vero est eadem capacitas rei actu existentis.

568. Si causa, quæ subjecto conferre debet aliquam formam, nondum existit, vel est impedita, ne agat, subjectum dicitur *in potentia remota*. Si vero adest, neque est impedita, ens est *in potentia proxima*. Si causæ præsenti non impeditæ insunt conditiones necessariæ pro conferenda forma, subjectum est *in potentia proxima completa*: at si absuerint aliquæ saltem ex illis conditionibus, erit subjectum *in potentia proxima incompleta*.

569. Potentia pariter vel *activa* est, vel *passiva*. Potentia *activa* est capacitas aliquid agendi: *passiva* vero aliquid recipiendi.

570. Potentia activa vel *libera* est, vel *necessaria*: ista ea est, quæ, omnibus positis prærequisitis ad agendum, necessario agit: ut lapis libere ex alto demissus, qui necessario fertur in corpus subjectum. *Libera* igitur est illa, quæ, positis etiam omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere: talis est anima hominis, quam modo liberam supponimus.

571. Alteri potentiæ divisioni occasionem dedit quæstio illa Theologica, utrum nempe homo capax sit Dei visionis lumine gloriæ adjutus; naturaliter enim incapax prorsus ad hac fruendum visione deprehenditur. Igitur asserunt Theologi, per *potentiam obbedientialem* posse hominem ad intuitivam Dei visionem sublimari. Non abs re ergo erit indigitare, quid *potentia naturalis*, quid vero *obbedientialis* nomine veniat, licet libenter prætermittamus quæstiones illas tam acriter a Scholasticis exagitatas, an videlicet *potentia naturalis ab obbedientiali distinguatur*: & *utrum potentia obbedientialis ad ea tantum se extendat, ad quæ habent creaturæ potentiam naturalem saltem inchoatam*; qui enim iis delectatur, adire potest Peripateticos Philosophos, qui ad nauseam usque de hisce pertractant. *Potentia* igitur *naturalis* est vis indita a natura ipsi rei, qua mediante, propria virtute elicit actus sibi congruentes, vel si de poten-

tentia *naturali passiva* sermo sit, ea est, qua ens recipit formas sibi correspondentes. *Obbedientialis* autem est capacitas, qua mediante, Divino auxilio suffultum agens actiones efficit natura sua sublimiores, vel recipit formas aliquas sibi naturaliter indebitas.

572. Et quoniam sermo de potentia occurrit, ne quid desit, quod rei Theologicæ initiandis lumen afferat, definiemus, quid *potentiæ Dei ordinariæ*, seu *hypotheticæ*, & quid *absolutæ* nominibus Philosophi intelligant simul, & Theologi. Quasdam tulit Deus leges, quibus hæc rerum universitas regeretur; si igitur Deus agat ad normam legum illarum, agere dicitur *potentia ordinaria*: si autem contra leges istas operetur, agit tunc profecto *potentia* duntaxat *absoluta*. Potentia igitur absoluta potest Deus id omne efficere, quod vel metaphysice non est impossibile, vel suis attributis non est contrarium.

573. *Actio* est id, quod respondetur quærenti, quid ex. gr. Petrus agat, nempe: ambulat, dormit, studet &c. Actionis nomini ex communi loquendi usu idea correspondet tam clara, ut si velit definiri, statim obscuretur.

574. Actiones vel *immanentes* dicuntur, vel *transeuntes*. Actiones *immanentes* eæ sunt, quæ in eo recipiuntur, a quo producuntur, ut animæ cogitationes: *transeuntes* autem, quæ non recipiuntur in potentia, a qua producuntur, sed in altera, ut motus lapidi impressus.

575. Ex multiplici divisione ipsius potentiæ multiplex necessario profluit actuum partitio. Itaque actus aut *liber* est, aut *necessarius*: vel *purus*, vel *impurus*: aut *primus*, aut *secundus*. Actus *liberi* illi censentur, qui a potentia progrediuntur libera: *necessarii* vero, quos potentia efficit necessaria.

576. *Actus purus* ille dicitur, qui a qualibet potentia est liber: seu nulla alia ratione perfici potest. Hinc patet, cur Deus dicatur *Actus purus*.

577. *Impurus* ille vocatur actus, qui ulteriorem perfectionem potest recipere, cujusmodi sunt omnes creaturæ, licet perfectissimæ.

578. *Actus*

578. *Actus primus* est ipsa potentia proxima ad agendum, vel quidpiam recipiendum.

579. *Actus* vero *secundus* est ipsa actio, quæ a prædicta potentia proxima vel producitur, vel recipitur.

ARTICULUS IV.

De primis entis affectionibus.

580. PRoprietates, seu affectiones subjecti vidimus jam (n. 76) esse rationes illas, quæ intelliguntur manare ab ipsa essentia. Triplex igitur a Scholasticis æque, ac Recentibus enumeratur entis proprietat, *Unitas* scilicet, *Veritas*. & *Bonitas*, quæ vocantur etiam *passiones*, seu *modi intrinseci* entis: & quia proprietates istæ enti in genere tribuuntur, & abstrahunt a quocumque individuo, a quacumque etiam entis specie, sed soli enti in genere aptantur, ideo vocantur *proprietates entis trascendentales*. Omne itaque ens est *unum*, *verum*, *bonum*. Ne putetis, pertractationem de his proprietatibus aut inutilem, aut duntaxat acuendo ingenio esse quodammodo necessariam; plures enim ex notione præsertim unitatis in Philosophia obortæ sunt hæreses, quæ postea proprios prætergressæ cancellos in ipsam quoque Catholicam Ecclesiam irruerunt; necessaria est igitur omnino aliqua saltem, sed brevis harum affectionum notio, ut contra perditissimos homines aciem possimus disputationis instituere.

§ I.

De unitate entis

581. UNum dicitur *ens*, quod in se distinctionem non admittit, eamdem tamen a quocumque exquirit. *Est indistinctum in se*, quia aut simplex est ejus essentia, vel ejus essentialia ita simul intelliguntur conjungi, ut unam constituant essentiam: *est distinctum* ve-

vero *a quocumque alio*, quia si esset idem cum alio, non perciperetur per proprium, sed per alterius conceptum.

582. *Schol.* 1. Advertite, non esse unitatem quid aliud enti superadditum, alias inquiri posset, utrum hoc aliud superadditum sit unum, & sicuti si hoc aliud statueretur unum, per alterum deberet esse unum, procederet inquisitio in infinitum. Igitur, ut ait Scotus in 1. Sent. dist. 11. quæst. 2. *eodem est aliquid ens, & unum*. Est autem aliquid ens per hoc, quod contradictionem non involvit (n. 514.) igitur, & per hoc est unum.

583. *Schol.* 2. Licet tritissima loquendi ratione *unicum* non distinguatur ab *uno*, non sunt tamen invicem confundenda; omne enim, quod est *unicum*, est etiam *unum*, at non omne *unum* est *unicum*: sic Plato ex. gr. unus est homo, at non est unicus: quia præter ipsum plures alii reperiuntur homines. Unum præterea est *quid absolutum*, unicum vero est *quid relativum*; non potest enim intelligi unicum, quin alia intelligantur exclusa ab ea ratione, per quam ipsum est unicum.

584. Unitas entis triplex est, *generica* scilicet, *specifica*, & *numerica*. Quæ sub eodem genere continentur, ut canis, & homo, *una* dicuntur *unitate generica*: quæ sub eadem specie numerantur, sunt *una specifice*, ut Petrus, Paulus, Franciscus &c Ea tandem, quæ ad idem spectant individuum, ut ex. gr extensio, divisibilitas, multiplicitas partium &c. quæ pertinent ad idem corpus, dicuntur *una unitate numerica*.

585. *Schol.* Omnia ista una impropria tantum gaudent unitate; non enim excludunt multiplicitatem eorum, quæ hac unitate sunt una.

586. *Multiplicitas* unitati opponitur; itaque illud est *multiplex*, quod in se est distinctum. Sicuti triplex est unitas, ita triplex est multiplicitas. Ea *multiplicia* sunt *genere*, quæ non pertinent ad idem genus, ut homo, & lapis: quæ non pertinent ad eandem speciem, dicuntur *multiplicia specie*: quæ non idem respiciunt in-

individuum, appellantur *multiplicia numero*.

587. Duplex iterum est unum, *unitate* nempe *simplicitatis*, & *compositionis*. Gaudent *unitate simplicitatis* illa, quæ ita indivisa sunt, ut sint etiam indivisibilia. Omne autem, quod est indivisibile, vel est *indivisibile simpliciter*, & *absolute*, ut ajunt Scholæ, vel *secundum quid*. Illud dicitur *simpliciter simplex*, quod omnem excludit compositionem, *metaphysicam* etiam, & *logicam*: illud vero est *simplex secundum quid*, cui repugnat quidem compositio *physica*, at non compositio *metaphysica*, & *logica*. Primo modo simplex est Deus, quia in ipso nec re, nec cogitatione dividere quidquam possumus: secundo vero simplex est quicumque alius spiritus; plura enim in illo dantur, quæ saltem mente possunt dividi.

588. Præter recensitas unitatis species, aliæ sunt unitates, quæ iis rebus tribuuntur, quæ sunt compositæ ex pluribus entibus. Quomodocumque entia invicem conjungantur, dicuntur efficere aliquod *unum*, sive *totum*, cujus partes sunt entia ipsa, ex quibus illud totum componitur. Si partes sunt substantiæ, quarum altera in alteram agat, ita ut illarum substantiarum actiones in eumdem finem conspirent, unitas entis compositi dicitur *unitas substantialis*, atque ens ipsum compositum dicitur *unum*, vel *totum per se*. Ita *unum per se* dicitur corpus organicum, *unum per se ens* dicitur homo. At sive substantiæ non fuerint partes ipsæ: sive altera in alteram non agat: sive illarum actiones non tendant in eumdem finem, *unitas* dicitur *accidentalis*, & *totum* appellatur *per accidens*.

589. *Unitas accidentalis per informationem* convenit rei, quatenus illa affecta est suo modo, qui est veluti forma extima ipsius rei. Sic ex corpore, & motu fit unum *per accidentalem informationem*, videlicet corpus motum. *Unitas continuationis* significat copulationem plurium partium, quæ inter se devinctæ sunt, & colligatæ, quarum quælibet potest per se existere ab aliis partibus sejuncta: sic ex pluribus materiæ particulis fit hoc unum folium.

Uni-

Unitas aggregationis tribuitur illi toti, cujus partes sunt mutuo sejunctæ, quælibet existit seorsim ab aliis, neque inter eas ullus ordo intercedit: ita dicimus unum lapidum acervum. At si partes sunt quidem sejunctæ, sed inter eas obtinet alicujus ordinis ratio, totum dicitur *unum unitate ordinis*: sic unam dicimus Civitatem, quæ Politicæ forma quadam regitur.

590. *Ordo* innititur ea ratione, vel regula, qua entia, sive illorum proprietates sese excipiunt. Si acta Lypsiensia ita collocentur in Bibliotheca, ut annorum series non perturbetur, ea erunt ordinata, quia tempus editionis est ratio, vel regula, penes quam volumen alterum alteri succedit. Si unam tantum spectemus regulam, *ordo* est *simplex*: si plures simul servemus, *ordo* est *compositus*. Si regula omnis deest, obtinet *confusio*, vel *inordinatio*. Si regulæ obtemperatum sit maxima ex parte, aliquid tamen contra eam peccatum sit, dicitur esse *defectus ordinis*.

591. Regula, qua regitur *ordo*, tam multiplex esse potest, quam multiplex est rerum ordinandarum natura: attamen frequentius *ordo* attenditur penes *tempus*, vel *naturam*, vel *situm*, vel *dignitatem*, vel *cognitionem*, vel *finem*. Tempore, & dignitate, quæ sint ordinata, opus non est explicemus. Penes situm sunt entia ordinata, cum seriem quamdam servant inter se aliqua certa de causa, quam hic non licet definire, cum valde multiplex esse queat. Libri in Bibliotheca distribui possunt vel secundum rerum, de qnibus agitur, naturam, vel secundum ætatem, dignitatem &c. Auctorum &c. Unitas domus, theatri &c. potest etiam repeti ab ordine partium penes situm.

592. *Ordo secundum naturam* est in iis, quorum alterum esse non potest, nisi alterum exerceat influxum in illius existentiam, etiamsi ambo possent esse eodem temporis puncto. Fingamus, eodem momento esse solem irradiantem, & telluris teporem, calor pendet ab irradiatione, quare telluris tepor, & solis irradiatio ordinem naturæ dicuntur ad invicem servare.

593. *Or-*

593. *Ordo penes cognitionem* innititur hac regula, ut cognitio unius ducat ad cognitionem alterius. Ab hoc ordine dicitur *una* disciplina, facultas, vel ars, quia objecta cognoscenda ita proponuntur, ut primum cognitum inserviat secundo cognoscendo, atque ita deinceps. Tandem *ordinis secundum finem* hæc est ratio, vel regula, quod plura, quæ nituntur eumdem finem consequi, ita comparata sint, ut per hoc liceat consequi illud, per illud istud, & sic deinceps: ita dicimus, hunc mundum esse *unum unitate ordinis secundum finem*, quia omnia moliuntur perficere præstituta Divina consilia, ita quidem, ut hoc ab illo, illud ab isto pendeat. Hæ sunt omnes fere unitatis notiones, quas explicandas duxi, quia frequens est illarum usus in disciplinis omnibus: eas autem omnes in hoc articulo complexus sum, quia omnes unitates aliquam præseferunt imaginem illius unitatis numericæ, quæ est vera entis affectio.

§. II.

De veritate entis.

594. Unumquodque ens propria essentia donatur, per quam est, quod est, seu per quam nullum involvit contradictionem: hanc autem rerum possibilitatem ab æterno Deus agnovit: hæc idea divina dicitur *Archetypa*, seu *Exemplar entis*. Veritas igitur entis est convenientia entis cum sua essentia, vel etiam cum ideis *Archetypis* ipsius Dei.

595. Patet, quo pacto omne ens sit *verum trascendentaliter*; nisi enim ens correspponderet propriæ essentiæ, non esset amplius tale ens, sed aliud, cum unumquodque sit tale, quale a propria essentia constituitur.

596. *Schol.* A Scholasticis sic veritas definiebatur entis. Cum omnia, quæ insunt enti, ordinem aliquem inter se servent, & possit mens hujus ordinis regulas, vel rationes, vel principia comprehendere, ideo ens quodlibet cognoscibile est, seu intelligibile. Veritas ergo entis,

tis per Scholasticos est ea affectio, per quam potest ab intellectu cognosci.

597. Veritas trascendentalis vel *essentialis* est, vel *accidentalis*. *Veritas essentialis* sita est in convenientia entis cum sua essentia: sic argentum ex. gr. est verum argentum, quando correspondet ideæ illi, per quam exprimitur. *Veritas* vero *accidentalis* reponenda est in modorum, seu accidentium collectione: sic argentum, quod externam auri superficiem refert, non est verum accidentaliter, licet sit verum essentialiter.

§. III.

De bonitate entis.

598. Dummodo ens propriæ essentiæ, & fini, ad quem est ordinatum, primario correspondeat, dicitur *bonum*.

599. Cum itaque omne ens sit verum (n. 595.) ac per consequens suæ correspondeat essentiæ: & præterea finis contineatur in Dei ideis: omne autem ens perfecte Dei ideis respondeat; ideo omne ens debet esse bonum.

600. Bonitas, sicut de veritate diximus, alia *essentialis* est, alia *accidentalis*. Illa est, cui allata definitio bonitatis in genere convenit: hæc vero consistit in consensione, ac qualitate modorum, seu accidentium ipsius rei, quæ illam perficiunt accidentaliter, eamque reddunt idoneam fini facilius obtinendo. Ex. gr. horologium erit *essentialiter bonum*, quod tali rotarum serie, & connexione est constitutum, qualis necessaria est ad horas indigitandas. Si vero ex tali materia, consistentia, & delineamento sit fabrefactum, ut difficilius illius motus valeat perturbari, erit *bonum* etiam *accidentaliter*.

601. Quoniam autem boni essentialis incidit sermo, non abs re erit paucis aperire, quid *boni per essentiam*, quid autem *boni per participationem* nomine veniat Philosophis. Primum est illud, quod totius suæ bonitatis

sufficientem habet rationem in ipsa sua essentia, quo pacto bonus est solus Deus: illud autem est *bonum per participationem*, quod actualem bonitatem ab alio recipit, sicuti se habent omnes creaturæ. *Bonum per essentiam* dicitur quoque *perfectissimum*, quia quod perfectionem aliquam habet per essentiam, debet omnibus quoque gaudere, ut ostendemus in Theologia naturali.

602. Licet omne ens sit in se bonum, attamen relate ad aliud potest esse malum: imo quo magis est bonum, sive pluribus gaudet accidentalibus perfectionibus, eo pejus esse potest respectu alterius; sic gladius in se bonus est: at relate ad illum, qui gladio transverberatur, est malus: & quo perfectior est in se, eo magis malus est respectu istius, quia profundius vulnus infligit. Hinc duplex enascitur bonitas, *absoluta* nempe, & *respectiva*: illa eadem est, ac trascendentalis: hæc vero, quæ ordinem dicit ad alium.

603. *Perfectio*, & bonitas per Philosophos, nonnisi vocabulo inter se discrepant. Perfectionis autem, non vero bonitatis nomine usus est Anselmus *in Monol. cap.* 14. dum eam divisit in *simpliciter simplicem*, & *secundum quid*. *Perfectio simpliciter simplex* illa est, quæ in individuo melior est ipsa, quam non ipsa: illa videlicet, cui nulla est admixta imperfectio, vel nullam infert imperfectionem. Perfectio vero *secundum quid* ea censetur, quæ licet perficiat ens, attamen aliquam supponit imperfectionem, ad quam tollendam, vel minuendam ordinatur.

604. Omnia Dei attributa *perfectione* gaudent *simpliciter simplici*: virtus vero ratiocinandi in homine, exemplum præbere potest *perfectionis secundum quid*; licet enim & illa perficiatur homo, & eo magis perficiatur, quo major est, attamen supponit, & ordinatur ad minuendam aliquam ipsius hominis imperfectionem; si enim homo primo intuitu posset omnia cognoscere, ut Deus, ratiocinatione non indigeret, qua ignotum ex noto deducit.

605. Hæc ea sunt, quæ de affectionibus trascendentalibus Veteres immoderate: moderate vero tradidere

Re-

Recentiores: nos paucis sumus omnia complexi, sed sufficientia tradidimus. Postularet modo institutæ tractationis ratio, ut ad trutinam unitatem entis *Spinozisticam* revocaremus: at quoniam tota ea inquisitio Deum ipsum spectat, ideo ne dicenda pluries repetamus, omnia opportuniori reservamus loco, ubi de Dei existentia, & natura sumus acturi.

ARTICULUS V.

De affectionibus entis disjunctis.

606. Quædam in ente considerari possunt præter recensitas affectiones, quæ sibi mutuo opponuntur, & ideo gaudere dicitur ens *oppositis*, vel, ut ajunt Scholæ, *complexis* affectionibus. Sed cum hæ eidem enti eodem tempore convenire nequeant, & ideo semper sejunctæ in entibus adinveniantur, eapropter non oppositas, sed *disjunctas* affectiones istas nuncupamus: sunt autem *actus*, & *potentia*: *existentia*, & *mera possibilitas*: *identitas*, & *distinctio*: *necessitas*, & *contingentia*: esse tandem *causæ* & *effectus*. De *actu*, & *potentia*, de *existentia*, & *possibilitate* satius duximus agere articulis præcedentibus; nunc ergo breviter more nostro de *identitate*, & *distinctione*: de *necessitate*, & *contingentia*: de notione differamus *causæ*, & *effectus*.

§. I.

De identitate, & distinctione.

607. Licet identitatis, & distinctionis ideæ ex illis sint notionibus, quæ dum definiuntur, obscurantur potius, quam explicentur; sunt enim populari etiam loquendi usu omnibus notæ: ne quid tamen integro ontologico complendo operi desit, aliquam eorum afferemus definitionem.

608. Ea dicuntur gaudere *identitate*, quæ sunt eadem.

dem. Unumquodque autem vel est *idem cum semetipso*, vel *cum alio*. Primo modo dicitur *idem numero*, secundo dicitur *idem cum altero*.

609. *Idem numero* est illud, quod de semetipso prædicatur, nec bis existere potest (saltem naturaliter). Sic Petrus est *idem numero*, quia Petrus dicitur de Petro, sive Petrus est Petrus, nec Petrus bis simul existit.

610. Illa autem *eadem* dicuntur *cum altero*, quorum unum loco alterius substitui potest, salva essentia, & omnibus omnino affectionibus propriis. Sic ex. gr. duo pondera, quæ in statere æquilibrium constituunt, dicuntur *eadem inter se*, quia eorum unum, salvo æquilibrio, potest alteri substitui.

611. *Diversa* ea sunt, quorum unum alterius loco, salva &c. non potest collocari.

612. *Distincta* vero, quorum unum non est alterum.

613. *Coroll.* Patet igitur, non esse confundendam cum distinctione diversitatem; licet enim omne, quod est diversum, sit quoque distinctum, non tamen omne distinctum est diversum; duo enim pondera æqualia sunt distincta, nec tamen sunt diversa, quia eorum unum potest alteri substitui, salvo æquilibrio.

614. Identitas numerica vel refertur ad substantiam, vel ad accidentia. Si referatur ad substantiam, dicitur manere idem subjectum *A* ex. gr. quamvis illius modi, seu accidentia mutentur, vel etiam modica illius substantiæ portio successive mutationem subeat. Id observatur in corpore humano, quod idem dicitur in senectute, & virilitate, licet quotidie aliquantulum mutetur. Si vero ens referatur ad accidentia, non potest manere idem, quod mutationem accidentium subit, & ideo corpus idem quoad substantiam, non dicitur manere idem quoad accidentia in adolescentia, & virilitate.

615. Antequam de distinctione pertractemus, explicando nempe varia, & usitatissima distinctionum genera, operæ pretium erit tradere, quid, & quotuplex sit compositio; compositio enim est fundamentum distinctionis.

616. *Compositum* itaque illud dicitur, cujus plures sunt

sunt partes. Triplex vero est compositum; aut enim partes continet a se invicem separabiles, & dicitur *compositum physicum*: aut plures continet veluti partes, quæ separari non possunt, & se habent ad modum actus, & potentiæ, & *metaphysicum* appellatur, sicuti *essentialia*, sunt, & *attributa* entis cujuslibet: vel tandem plures continet partes, quæ fundamentum in re non habent, seu reapse non existunt, sed sola mentis operatione in subjecto percipiuntur, & tunc compositum *logicum* appellatur, quia nempe mentis operationes sunt logicæ obiectum. Sic *logice composita* diceretur linea, quæ perpendicularis esset horizontali plano, & simul alteri parallela.

617. Ex triplici igitur compositione triplex nascitur distinctio. Partes alicujus compositi invicem separabiles dicuntur distingui *distinctione physica*, quæ *realis* quoque dicitur.

618. Metaphysici partes distinguuntur *distinctione metaphysica*, seu *modali*. Partes tandem compositi logici secernuntur invicem *distinctione logica*, seu *rationis*.

619, *Schol.* Advertite, tres Divinas Personas, licet separabiles non sint, nec per consequens compositum physicum efficiant, esse tamen distinctas realiter, quia, ut inquiunt Theologi, *se habent ad modum separabilium*. Verum hac de re Theologi ipsi consulantur.

620. Vulgatum apud Nostrates est, alterius distinctionis auctorem Scotum extitisse, quam *formalem* appellant. Si S. Bonaventura *l.* 1. *dist* 5. *q.* 1. si Scotus ipse id ingenue fatens *lib.* 1. *Sent. dist.* 2. *q.* 7. perlegantur, luculentissime patebit, Seraphici saltem Doctoris œvo distinctionis formalis ideam in Scholis locum obtinuisse: quidquid tamen de inventore sit hujus opinionis, juvat exponere in præsentiarum, quid ejus nomine intelligatur, quidve de ipsa sit sentiendum.

621. Perspiciens hujus opinionis Auctor, in omnibus omnino entibus plura reperiri attributa, inter quæ nulla ex recensitis (n. 617. 618.) admitti potest distinctio: non quidem realis, quia non possunt essentialia ab invicem separari: nec logica, seu intentionalis, quia

conceptus, seu notiones eorumdem attributorum etiam ante quamcumque mentis operationem quid distinctum, aut etiam, si mavis, diversum referunt: ideo tertium excogitavit novum genus distinctionis, quæ foret quidem minor distinctione reali physica, at major esset intentionali. Cum ergo attributa illa, seu rei essentialia, *formalitates* dictæ fuerint entis, placuit hujus novæ distinctionis Auctori distinctionem hujusmodi appellare, ut diximus, *formalem*. Et quoniam innumera afferunt Scotistæ exempla tum a Divinis, cum a creatis desumpta, ut in utrisque hanc distinctionem locum obtinere evincant, juvat quoque nos, ut clarius res ipsa intelligatur, dupli ci eam explicare exemplo. Ut ergo prius loquamur de creaturis. Nostra percipiatur anima: hæc cum sit spiritualis, cujuscumque expers concretionis corporeæ, nequit esse physice composita: nihil proinde eam considerantibus occurrit, quod sit realiter distinctum: & tamen in anima eadem vim conspicimus cogitandi, principium videmus volendi, quæ duo usitatissimis nominibus *intellectus*, & *voluntatis* a Philosophis æque, ac idiotis exponuntur. At simul inter hæc duo principia distinctio non sufficit, quæ appellatur *logica*, sive *intentionalis*; ante enim quamcumque mentis operationem, idea, conceptus, seu formalitas intellectiva toto differt cælo a formalitate appetitiva. Superest ergo, quod ea distinguantur formaliter, distinctione scilicet minori ea, quæ dicitur *physica*, at *intentionali* majore. Sic rem conficiunt, quod pertinet ad creaturas. Quod vero respicit Deum ipsum, oculos ad Sanctissimum Trinitatis Mysterium oportet convertamus. Natura Divina est una, simplicissima, a qua procul arcenda est physica compositio. In hac tamen simplicissima natura tres agnoscuntur Personæ, quæ *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus* dicuntur. Pater ergo ingenitus uno cognitionis actu Filium generat, ac cum genito Filio ambo Spiritum Sanctum spirant. In hisce operationibus Natura Divina Filio communicatur, & Spiritui: sed Paternitas, quæ Patri convenit, Filio non communicatur. Dum ex Patre simul, & Filio Spiritus

ritus procedit, huic quoque Natura communicatur Divina, non tamen Paternitas, & Filietas. Hisce ergo dogmatibus Fidei Christianæ statutis, sic nostra Schola argumentatur. Si Paternitas, & Natura forent perfectissime, & undequaque unum, & idem, communicata natura, foret quoque Paternitas communicata; sed hoc in Filii generatione est falsum; ergo hæc a Natura Divina aliquo pacto distinguitur: sed, ut diximus, non distinguitur physice; superest ergo, quod vel logice, vel formaliter distinguatur. Atqui sola intentionalis, seu logica distinctio non sufficit, quippe quæ de hisce relativis diximus attributis, sic vere, & realiter, quemadmodum sunt exposita, in Deo adinveniuntur; ergo distinctio formalis Scotistica est omnimode necessaria.

622. Siquis itaque a me nunc exquirat, quid de hac nostræ Scholæ distinctione opiner, dicam breviter, quod sentio. Quod pertinet ad creaturas, nullius mihi videtur momenti hæc controversia; siquid enim in metaphysicis profeci, vidi equidem, nec Libertinorum confutandæ insaniæ, nec stabiliendis veris Theologiæ naturalis dogmatibus formalem distinctionem lucem unquam attulisse, quapropter cum in id nervos omnes intendamus, ut quæ sunt solum necessaria, vel saltem admodum utilia, in controversiam revocemus: reliqua autem, quibus inania sapiunt, sit propositum relinquere; ideo quæstionem hujusmodi non instituendam ducimus. Quod vero pertinet ad Sanctissimum Trinitatis Mysterium, num inter Naturam, & attributa relativa sit Scotistica agnoscenda distinctio (in quod plurimum propendo) num etiam inter attributa absoluta (quæ necessario distinctionem hujusmodi exquirere mihi non videntur) inquirant Theologi: alias nostros statim prætergredimur fines.

§. II.

De necessitate, & contingentia.

623. NEceſſarium eſſe illud, cujus oppoſitum repugnat, jam diximus in Logica (n. 187.) recolenda igitur ea ſunt, quæ ibi tradidimus, ut triplex neceſſitas, *metaphyſica* ſcilicet, *phyſica*, & *moralis* iterum menti obverſetur.

624. *Contingens* illud eſt, cujus oppoſitum non repugnat. Sicuti igitur triplex eſt neceſſarium, ita quoque triplex eſt contingens neceſſario ex diametro, ut ajunt, oppoſitum. *Contingens metaphyſicum* eſt illud, cujus oppoſitum per Divinam virtutem poteſt exiſtere: ſic deſcenſus lapidis libere projecti *contingens* eſt *metaphyſice*; ſi enim vellet Deus, poſſet lapis pendens immotus in aere conſiſtere. *Contingens phyſicum* eſt illud, cujus oppoſitum legibus naturæ non repugnat: ſic *contingens* eſt *phyſice* rubedo ſerotina cæli. Tandem cum oppoſitum conſueto rerum non adverſatur eventui, tunc illud dicitur *contingens moraliter*: ſic ſi puero duo objiciantur poma omnino ſimilia, & ille unum potius, quam alterum eligat, electio eſt *contingens moraliter*.

625. *Neceſſarium abſolute* eſt illud, cujus oppoſitum, nulla prorſus inſpecta conditione, repugnat: ſicuti Dei ſe habet exiſtentia. *Neceſſarium* vero *hypothetice* eſt illud, cujus oppoſitum ſub data tantum conditione reperitur impoſſibile. Ita *hypothetica* tantum *neceſſitate* gaudet deſcenſus lapidis; ſupponit enim ejaculationem, aut liberam demiſſionem, vel gravitatem, ut neceſſario deſcendat.

626. *Schol.* 1. Nihil in rerum natura datur phyſice contingentis, niſi abſolute, non hypothetice inſpiciatur; ſi enim aliquis naturalis effectus hypothetice inſpiciatur, inſpicitur tunc profecto ſub aliqua cauſa in talibus conſtituta circumſtantiis; cum igitur cauſæ naturales neceſſario agant, tunc effectus ille non eſt amplius contingens, ſed neceſſarius hypothetice: ſic rubedo cæli ſeroti-

rotina, si absolute spectetur, nulla simul ratione habita ad ejus causas, est quidem contingens: at si hypothetice expendatur, hoc est elevatio vaporum supra horizontem respiciatur, tunc rubedo illa non amplius contingens, sed physice, & hypothetice necessaria deprehenditur; fieri enim naturaliter nequit, ut per illas evaporationes illic constitutas alii transeant solares radii: quam rubri.

627. *Schol.* 2. Quod est metaphysice contingens, potest esse physice necessarium, ut patet de lapidis descensu, & e converso. Quod est physice contingens, potest esse moraliter necessarium: sic physice contingens est serenitas cæli post serotinam horizontis rubedinem, & tamen illa est hypothetice moraliter necessaria; igitur sola moralis contingentia ea est, quæ omnem excludit necessitatem; consequenter est maxima inter contingentias. Hoc ipsum autem, quod de contingentia diximus, dici quoque potest de necessario. Necessarium physice itaque potest esse metaphysice contingens; necessarium moraliter esse potest contingens physice; sola ergo necessitas metaphysica, saltem absoluta, omnem excludit contingentiam. Ideo autem dixi, necessarium metaphysice *saltem absolutum* omnem excludere contingentiam, quia necessarium metaphysice quidem, sed hypothetice aliquam patitur contingentiam: sic actio præterita est metaphysice necessaria, quia, ut inquit Scotus dist. 1, q. 6. *actus præteritus, ex quo præteriit, non potest Deus facere, quin præterierit: unde Philosophus 6. Eth. c. 3. commendat dictum Agatonis recte dicentis: hoc solo privatur Deus, ingenita facere, quæ facta sunt*: & tamen actus iste præteritus, si hypothetice spectetur, necessarius hypothetice, absolute est contingens, quia qui illum effecit, poterat non efficere.

628. *Coroll.* 1. Cum necessarium illud sit, cujus oppositum repugnat, patet, omne necessarium esse quoque *immutabile*; immutabile enim est illud, quod ita est, ut aliter esse non possit, seu cujus repugnat oppositum. Eadem pariter ratione, quod contingens est, *mutabile* quo-

que

que deprehenditur: & ideo necessarium, & immutabile: contingens, & mutabile idem apud Philosophos omnino significant.

629. Coroll. 2. Quod igitur de contingenti, & necessario supra diximus, idem quoque de mutabili, & immutabili est asserendum.

630. Coroll. 3. Ens necessarium metaphysice idem est, ac ens a se (n. 558.)

631. Coroll. 4. Ens autem contingens confunditur cum ente ab alio. (n. 558.)

632. Coroll. 5. Ac proinde illius existendi ratio sufficiens est in ipsa entis essentia (*ibidem*): hujus vero est in causa producente (*ibidem*)

633. Schol. Cum n. 560. *essentias factas* ab *intelligibilibus* secreverimus, ideo licet (n. 541.) inquisiverimus, utrum essentia intelligibilis aliqua ratione a Deo pendeat, non abs re tamen erit hic modo quærere, utrum essentia facta ita pendeat a Deo, ut possit eam commutare, & quo sensu a Philosophis passim dicantur essentiæ rerum immutabiles, & necessariæ, licet solus Deus & immutabilis rigorose; & necessarius sit. Damus itaque libenter, hoc pacto essentias factas rerum esse mutabiles, quatenus poterat Deus illas aut ad existendum non determinare, aut etiam postquam existunt, eorum existentiam destruere. At hoc sensu mutabiles esse, quatenus possit Deus, eodem permanente subjecto, essentiam commutare, videtur nobis prorsus absonum, licet Metaphysici non desint hujus sententiæ defensores: verum ne verba inania jactemus, dicimus contra ipsos.

PRO-

634. PROPOSITIO.

Rerum essentiæ etiam factæ sunt immutabiles, hoc est si essentia A *sit* B, *non potest Deus, eodem permanente* A, B *ipsum destruere, ac in ejus locum* C *substituere.*

635. PRob. Non potest idem simul esse, & non esse: atqui idem simul esset, & non esset, si *A* permanente, essentia *B* commutaretur in *C*; ergo &c. Prob. min. *A* est *A* per *B*; *B* enim, si statuatur veluti essentia *A*, est ratio, per quam *A* est *A*, & nihil aliud: atqui si *B* mutetur in *C*, *A* non est amplius *A* per *B*, sed est per *C*: ergo idem simul esset, & non esset. Quod ut probe intelligatur, animadvertendum est, essentiam non esse quid distinctum a re, cujus est essentia; sicuti enim omne, quod est, tale est, quia tale est, in quo ratio essentiæ consistit, ita essentia non distinguitur a re, cujus est essentia: & licet persæpe videamur essentiam a re, cujus est essentia, distinguere: hoc tamen ideo præstamus, ut aliquo pacto ideas nostras distincte exprimere possimus; igitur distinctio illa essentiæ a re est mera distinctio logica, seu intentionalis, cui pluralitas objectorum, licet metaphysicorum, non correspondet. Hoc igitur posito, si essentia id statuatur, quod est res, mutata essentia, mutaretur res: non potest vero mutationem essentia pati, quin eamdem res quoque subeat, alias idem mutaretur simul, & non mutaretur, quod prorsus est absonum; igitur &c.

636. Obj. 1. Actualis rei essentia non differt ab actuali existentia (n. 560.) atqui existentia est contingens, ac per consequens est mutabilis; igitur & ipsa essentia est mutabilis.

637. Resp. dist. *Actualis &c. quatenus essentiæ intelligibili non adiicitur aliqua nova entitas, dum ad existendum perducitur*, concedo: *quatenus ad eumdem pertineat conceptum*, nego maj. conc min. & in sensu datæ distinctionis neg. conseq. Cum igitur essentia actualis

lis non differat ab existentia, eo modo, quo mutabilis est existentia, eodem prorsus est mutabilis essentia. Sicut igitur quod existit, poterat non existere, aut etiam dum existit, potest a Deo destrui, sic pariter essentia actualis poterat non esse actualis, vel etiam dum est actualis, potest iterum a Deo ad meram possibilitatem, seu intelligibilem rationem redigi. At hoc non est, quod quæritur; quod enim modo inquirimus, est, utrum eodem permanente, quod illius est essentia, possit mutari: hoc autem impossibile esse ex probatione patet.

638. Obj. 2. Rerum essentiæ actuales plures subeunt mutationes: sic 1. una res aut naturali, aut Divina virtute in alteram mutatur, ut in corporibus evenire experientia ipsa docemur. 2. Per unionem quoque plurium essentiarum tertia quædam fit essentia, cui novæ accedunt vires alienæ prorsus ab essentiis unitis, si seorsim spectentur, quod in unione animæ cum corpore patet manifestissime; compositum enim vim acquirit sentiendi, nec animæ, nec corpori divisim sumptis convenientem. 3. Possunt quoque novi modi, novæque qualitates essentiis advenire: ac poterunt per consequens istæ mutari. 4. Mutantur etiam dum a potentia transeunt ad actum, seu quando modo agunt, modo non agunt. 5. Tandem per potentiam obedientialem id agunt creaturæ, quod naturaliter agere non possent; ergo earum essentia mutatur. Ita argumentatur Scriptor quidam recens *Carolus à S. Floriano Ontol. lib. 1. Sect. 4. Art. 4. prop. 1.*

639. Resp. neg. antec. ad prob. negamus in primis, rem unam in alteram mutari; quæ enim mutationes observantur in corporibus, non sunt mutationes substantiæ, sed duntaxat modificationes diversæ componentium mixta, ut suo loco probabimus. At hoc etiam concesso, scilicet rem unam in alteram mutari, non tamen evincitur ipsius essentiæ mutabilitas; dum enim non remanet idem subjectum, destructa quidem fuit ejus actualis essentia, non autem mutata. Nos autem hoc duntaxat in sensu asserimus, esse essentias immutabiles, quatenus non potest essentia mutari, quin destruatur illud, cujus est essentia.

640. Ad

640. Ad 2. Cum non sola simplicia gaudeant sua essentia, verum etiam composita essentiam habeant, quæ ex simplicium coalescit essentiis; ideo cum plures substantiæ simul uniuntur, operatrices illæ virtutes non profluunt ab essentiis illarum substantiarum seorsim acceptarum, sed ab essentia compositi. Alia igitur essentia possibilis ad actualitatem eo in casu, ut loquuntur Scholæ, fuit redacta, non vero componentium mutatæ fuerunt essentiæ.

641. Ad 3 Modi non pertinent ad essentiam, sed ad existentiam; licet igitur mutentur modi, non mutatur essentia. Deinde modi prius existentis debemus percipere essentiam, quæ profecto destruitur, dum alius inducitur in rem modus. Falsum autem omnino est, qualitates in corporibus mutari absque nova compositione, seu modificatione eorum, quæ corpora componunt. Igitur qualitates istæ de novo in corporibus productæ oriuntur ab essentia illius recentis compositi, ut diximus n. 640.

642. Ad 4. Dum aliquod agens eius est naturæ, ut modo agat, modo non agat, transitus ille ab essentia ipsa oritur agentis. Deinde aut hæc agentia sunt libera, aut naturalia: si libera, rationem sufficientem actionis, & non actionis habent in propria essentia: si vero sint naturalia, non videmus, quomodo a Cl. Viro tam præcipitanter possit asseri, idem omnino subjectum modo agere, modo vero non agere absque aliqua nova mutatione in ipso ab extrinseco producta; cum enim agens naturale sit illud, quod necessario agit, nequit profecto modo agere, modo non agere, iisdem positis prærequisitis ad agendum.

643. Ad ult. Potentia obedientialis non mutat essentiam, sed eidem auxiliatur, eamque erigit: auxilium autem istud est essentiæ omnino extrinsecum. Ex. gr. claudus absque baculo non valet ambulare: præbeatur illi baculus, tunc quidem ambulat: at ejus natura fuit ne mutata? Minime, quia baculus est quid extrinsecum naturæ claudi: idem dicite de potentia obedientiali.

§. III.

§. III.

De causa, & effectu.

644. Nihil in tota Metaphysica, seu potius in tota Philosophia necessarium magis adinvenitur, quam notio distincta causæ, & effectus; cum enim quæ in hac rerum universitate sunt, (imo ipsa mundi universitas) aut rationem habeant causæ, aut effectus, ideo necesse est, ut cæcutientes de rebus mundanis loquamur, nisi distincte explicemus, quæ ad genus pertinent causarum, quæque ad rationem effectus.

645. *Causa* est id, a quo aliquid producitur: id vero, quod producitur, *effectus* nuncupatur. Hæ sunt notiones generalissimæ, & communi calculo a Philosophis approbatæ causæ, & effectus.

646. Diligenter hic secernendæ sunt causæ a *rationibus necessario requisitis*, ut effectus habeatur, quæ brevi quidem, sed barbaro adagio appellantur a Scholis *conditiones, sine quibus non*. *Conditio* itaque *sine qua non* est illa, quæ in effectum quidem nullo pacto influit, requiritur tamen necessario, ut effectus habeatur: sic causa lucis, quæ in cubiculo reserato adinvenitur, est sol: aperitio tamen conclavis est conditio, sine qua effectus solis non haberetur.

647. Quamplures sectiones patitur notio causæ generica; dividitur enim primo in *efficientem*, *univocam*, *æquivocam*, *materialem*, *formalem*, *finalem*, *& exemplarem*: *adæquatam*, *& inadæquatam*: *mediatam*, *& immediatam*: *intrinsecam* denique, & *extrinsecam*. Singulas breviter quidem, sed distincte definiamus.

648. *Efficiens* illa dicitur, cui aptatur definitio, quam de causa generatim sumpta superius tradidimus: & ideo contendebant Scholastici, hanc solam proprie causam posse nominari. Nulla tamen de nomine lis nobis esse debet.

649. Causa efficiens iterum in alias plures ab Ontologis dividitur: & licet non pertineant omnes ad ve-

ræ causæ efficientis genus, ne tamen definitiones communiter receptas perturbemus, aliis morem geremus. Causa ergo efficiens alia dicitur *principalis*, alia *instrumentalis*, & alia *occasionalis*: quædam est *metaphysica*, quædam *physica*, quædam *moralis*: ac tandem vel *prima*, vel *secunda*.

650. *Principalis* itaque ea dicitur, in qua vera, & præcipua invenitur ratio sufficiens existentis effectus.

651. *Instrumentalis* ea est, quæ in effectum quidem non influit, eadem tamen causa principalis utitur, ut vel absolute, vel facilius effectum producat.

652. *Causa* tandem *occasionalis* ea nuncupatur, quæ neque in effectum influit, neque cum principali agit, sed tantum, ab illa occasione accepta, causa principalis operatur. Itaque motuum iræ *causa principalis* erimus, qui subirascimur: *instrumentalis* gladius, vel quidpiam aliud lædens: *occasionalis* vero injuria, qua ab alio afficimur. Patet igitur, solam causam principalem sub genere contineri causæ efficientis: secundam vero minus: tertiam autem nullimode, nisi improprie efficientes causas posse appellari, cum ab istis nullus producatur effectus.

653. *Metaphysica efficiens causa* illa dicitur, quæ effectum quidem producit, non autem tali physica actione, ut ab illa sit realiter distinctus. Sic ex. gr. essentialia, ex quibus essentia gignitur, essentia a quibus vires profluunt, dicuntur causæ metaphysicæ, quia effectus quidem ab ipsis producuntur, non tamen ab ipsis realiter distincti.

654. *Physica* ea censetur, quæ vera, & reali actione effectum producit.

655. Causa *moralis* ea est, quæ licet effectum non producat, prudentum tamen judicio talis habetur, ac si vera causa existeret. Sic ex. gr. qui incendium ad homicidium alteri jubet, causa censetur illius moralis.

656. Multiplicis generis esse possunt causæ morales: eæ vero ad novem vulgo reducuntur, ac hisce versibus conclusæ a Moralibus Theologis traduntur.

Ju-

Jussio, *Consilium*. *Consensus*. *Palpo*. *Receptans*, *Participans*, *Mutus*, *Non obstans*, *Non manifestans*.

657. Ille igitur est causa moralis, 1. qui jubet aliquid: 2. qui ad id suadet: 3. qui facto assentitur: 4. qui agentibus blanditur, seu vitia laudat, & virtutem aspernatur: 5. qui eosdem occultat, seu eorum instrumenta custodit: 6. qui actionis, aut ejus fructus est particeps: & hæ *positivæ* dicuntur, quia in effectum positive influunt: quæ vero sequuntur, appellantur negativæ. Itaque negativa causa moralis est, 7. qui tenetur mala impedire dissuadendo, monendo, minitando, & tamen veluti mutus conticescit: 8. qui operi obstare potest, & debet, nec tamen obstat: 9. tandem, qui præscius operis faciendi, cum teneatur, non manifestat.

658. Causa tandem efficiens aut *prima* est, aut *secunda*. *Prima* illa habetur, quæ a nullo in effectus dependet productione, ut Deus: *secunda* vero, quæ ab alio in operando dependet, & ei subordinatur, ut creatura.

659. His de causa efficiente breviter adnotatis, redeamus modo ad reliqua causarum genera explicanda.

660. *Causa univoca* illa censetur, quæ effectum producit ejusdem propriæ speciei, quo pacto homo hominem gignit: *causa* vero *æquivoca* est illa, a qua prodit effectus diversæ naturæ: talis est Deus, qui dum res creat, nullam propria donat natura.

661. *Causa materialis* est id, ex quo compositum consurgit: *formalis* vero est modificatio, per quam materia determinatur ad hoc potius, quam ad aliud constituendum compositum. Sic ex. gr. partes corporeæ sunt materia mixtorum: earumdem vero partium varia combinatio est forma. Prima igitur *genus* appellari potest: secunda vero *differentia*.

662. *Finalis* est id, propter quod compositum efficitur. *Exemplaris* vero est exemplar, seu id, ad quod causa effectrix respicit, ut compositum illi simile efformet.

663. *Finis* aut operis est, aut operantis: *operantis*

tis ille censetur, ad quem operans intendit: ille vero dicitur *finis operis*, ad quem actio ordinatur. Sic dum medicus pharmaca præscribit, *finis operis* est salus infirmi: *finis* vero *operantis* est lucrum, aut quid aliud.

664. *Causa adæquata* illa dicitur, quæ se sola, nulla alia interveniente, effectum producit. *Causa* vero *inadæquata* ea est, quæ non sola agit dum effectum producit, sed alia cum ea operatur: istiusmodi est pater in generatione filii, mater enim quoque tamquam alia partialis causa cum patre ipso ad filium producendum concurrit.

665. Causa prima aut est *mediata*, aut *immediata*: hæc est illa, quæ effectum producit, nulla intercepta alia agente causa: illa vero, quæ effectum gignit, aliis causis interceptis. Pater est causa immediata filii: hujus vero est causa mediata avus, vel abavus.

666. *Intrinseca* est, a qua pendet essentia: extrinseca vero, a qua promanat existentia. Essentialia igitur erunt causæ intrinsecæ essentiæ: Deus vero erit causa extrinseca existentiæ.

667. Eæ censentur *causæ ejusdem ordinis*, quæ ambæ aut supernaturales, aut naturales sunt: eæ vero dicuntur *diversi*, quarum una naturalis est, altera supernaturalis.

668. Tandem illæ *ejusdem generis* appellantur, quæ ad idem pertinent genus: quæ vero diversum genus respiciunt, nuncupantur *generis diversi*. Duæ igitur causæ materiales erunt *ejusdem*: binæ vero, quarum una materialis sit, altera formalis, erunt *generis diversi*.

669. *Coroll.* Possunt igitur duæ causæ esse ejusdem generis, licet sint diversi ordinis: sic Deus, & creaturæ sunt diversi ordinis, & tamen sunt ejusdem generis, quia utraque est causa efficiens.

670. *Schol.* Advertite, ad veram causæ, causatique, seu effectus rationem tria necessario requiri: 1. ut inter ea vera, ac realis intercedat distinctio; si enim causa non distingueretur ab effectu, profecto idem semetipsum produceret, & consequenter, cum effectus ante causam non existat, idem ante existentiam operaretur:

 2. quod

2. quod producens natura saltem, seu, quod idem est, percipiatur saltem prius producto: 3. tandem, quod id totum, quo gaudet res producta, rationem habeat sufficientem in causa producente; cum enim totum id, quod est in producto, nonnisi a causa sit derivatum, in causa quoque rationem debet habere sufficientem.

§. IV.

De pluralitate causarum efficientium.

671. Difficilem aggredimur disputationem ostensuri, multas præter Deum esse causas effectrices, cui veritati neque pauci, neque ignobiles Philosophi adversantur. *Occasionalista* dicitur, qui putat, Deum esse unicam causam agentem, res autem creatas esse Deo occasionem agendi, quia dum illæ in his, vel illis circumstantiis sunt, adest Deo occasio eas traducendi ad novos status, juxta leges a se præscriptas ob universi conservationem. Cartesius, Mallebranchius, & alii non pauci huic sententiæ adhæserunt. *Pantheista* dicitur, qui putat, totum mundum esse singularem quamdam substantiam infinitam. vi cogitandi infinita, atque infinita extensione præditam, quam, etsi immerito, appellat Deum. Modificationes peculiares illius Mentis infinitæ videntur Pantheistis esse peculiares substantiæ intelligentes: modificationes vero peculiares illius extensionis videntur esse corpora peculiaria. Ceterum Pantheismus neque mentes ullas, neque ulla corpora concedit esse, quod omnia sint una, eademque substantia, innumeris dissimilibus affecta modis. Ita credidit Benedictus Spinoza, cujus deliramenta fuso calamo proprio in loco exponentur. *Egoista* appellatur, qui censet, se esse totum mundum; putat enim, non esse aliud ens, præter suam mentem: alia vero omnia esse cogitationes suæ mentis, quemadmodnm sunt ea, quæ dormientibus nobis videntur esse, nec tamen sunt. Hi omnes alii aliis de causis, alii aliis entibus inficiantur, inesse vim activam. Itaque nobis proponendum argu-

men-

mentum est, quo demonstremus, causas, & quidem multas esse effectrices.

672. *Vis activa* est perpetuus nisus, vel conatus agendi, quam rem clarius explicabimus in articulo sequenti: actio vero ipsa, quam diximus (n. 573.) esse exercitium vis activæ, est illius conatus explicatio; si enim conatui nullum impedimentum opponitur, idem sæpe continenter repetitus effectum producit, ita ut productio ipsius effectus, scilicet actio ipsa, vel explicatio vis activæ nihil sit aliud, nisi repetitus sæpenumero absque ulla interruptione conatus agendi, cui nullum adversatur impedimentum, quive propterea non absumitur, neque frustra exercetur.

673. Si vero conatui cujuspiam causæ opponatur nisus alterius cujusdam causæ, cujus actioni nequit coexistere actio causæ prioris, hujus conatus singulis momentis absumitur, etsi momentis singulis repetatur: quare nec ejus causæ conatus sese explicabit, nec ejus causæ erit ulla actio, nec effectus ullus ab ea producetur. Effectum itaque producet duntaxat causa impediens, & absumens conatum causæ impeditæ, si præ ista validior fuerit; etenim partem virtutis suæ impendet retundendo, & absumendo nisui causæ, quam impedit: pars vero alia virtutis suæ explicabitur, & effectum producet respondentem ei parti, vel gradui virtutis activæ, secundum quam intelligitur potentior, & validior esse: at si causæ fuerint æque validæ, neutra aget, nullus producetur effectus; nam totus nisus alterius impenderetur toti alterius nisui retundendo, quare utriusque conatus singulis momentis sese mutuo absument.

674. *Contrarios conatus* appello vires activas duarum causarum, quæ eodem tempore nituntur traducere idem subjectum ad status plane contrarios, quibus idem ens nequit simul subesse: qui conatus propterea, si causæ sunt æque validæ, in nullam actionem sese explicant, nullum in subjecto effectum producunt: si vero causæ non fuerint æque validæ, debilioris conatus penitus absumetur a parte conatus causæ validioris, cujus alia pars po-

terit effectum quempiam producere, sed longe languidiorem, quam si nulli conatui sese causa opposuisset. Dum elevatur corpus grave, pars virtutis elevantis nullum effectum producit, quia impenditur destruendo conatui gravitatis, qui totus perit absque actione: quare nisus gravitatis, & pars nisus virtutis elevantis sunt conatus contrarii. Tantundem contingit, siquis dum rapitur, obsistit rapienti: siquis conetur trahere ingens pondus, quod movere nequit: uno verbo, idem docent omnes Physici, dum ajunt, actioni contrariam esse, & æqualem reactionem: nos vero conatum conatui opponimus, quia revera ob illorum oppositionem, nulla sequitur actio. Itaque sæpesæpius contrarii conatus locum habent in substantiis, quæ sunt, vel saltem videri esse, possunt concedere *Pantheistæ*, *Egoistæ*, *Idealistæ*, qui phænomena ipsa minime in dubium revocant, non secus, ac Cartesiani.

675. Dicat *Phanteista* quispiam, aut *Egoista*, illos conatus non esse simultaneos, sed invicem alterum alteri succedere; vis enim activa perpetuo quidem agit, sed alternat conatus diversæ rationis, ut modo deprimat ver. gr. corpus, modo attollat, rursus premat, quod postea elevet. Nulla porro sequitur actio, quia singulis momentis conatus dissimilis est, non continenter idem. Ita ipsi docemus, posse animam eamdem amorem, & odium adversus idem objectum in vices alternare, ut revera nec amet, nec odio habeat, nulla actione sese explicante ob dissimiles conatus, quorum alter alterum excipit.

676. Respondeas: *Pantheistæ* cuipiam illi conatus videntur esse successivi, mihi autem simultanei, alter quispiam potest de ea re dubius esse. Itaque uni eidemque menti (sic enim fert *Pantheistarum*, & *Egoistarum* systema) adest simul & certitudo, & falsitas, & dubitatio de re eadem, & eodem tempore diu, multumque illis modificationibus afficitur eadem mens, quæ sane per aliquas immanentes actiones ad eas modificationes transivit: porro hæ actiones similes esse nequeunt; quare conatus quoque dissimiles erunt, & contrarii; quid enim magis
erro-

errori adversatur, quam veritas, quid dubitationi magis, quam certitudo? Sunt itaque conatus contrarii eodem tempore. Exemplum a nostra anima petitum ostendit, animam posse successive aliam, atque aliam inire sententiam de re eadem, minime ostendit, nullos conatus contrarios esse simultaneos.

677. Jam vero phænomena ista, videlicet contrarii substantiarum conatus, qui videntur esse, nullo modo esse videri possent, si unica tantum esset substantia prædita vi, activa; etenim unica substantia nequit eodem temporis puncto conari agere, & sibi ne agat impedimento esse, quippe niteretur simul agere, & non agere, quod est contra principium contradictionis (n. 476.) Igitur si una tantum est substantia, sine causa ulla sunt phænomena, sive conatus contrarii, neque ulla de causa potius affirmabo, quam inficiabor, ea phænomena esse, contra n. 503. Errant igitur *Pantheistæ*, & *Egoistæ* contendentes, unicam substantiam esse: errant quoque *Occasionalistæ* concedentes, multas substantias esse, sed plane inertes. Quare sunt revera multæ causæ efficientes.

678. Duo potissimum exempla urgere Pantheistæ, & Egoistæ possunt adversus ea, quæ diximus *n. præc.* alterum a Deo petitum, alterum a nobis; affirmantes enim, Deum agere simul cum causis finitis, affirmare videmur, ab unica Dei virtute activa proficisci eodem tempore conatus contrarios: quemadmodum docentes, nos esse causam nostrarum actionum, simul docemus, nos producere eodem tempore modificationes nobis molestas, & jucundas, ut sæpe experimur, præsertim dormientibus nobis, evenire. Itaque nihil impedit, quominus conatus contrarii sint ab una, eademque vi activa.

679. Verum a neutro exemplo quidquam præsidii repetere sibi possunt, qui nobis adversantur; nam Deus concurrit ad actiones causarum, & ad effectuum productionem: cum vero conatus sunt contrarii, nullus producitur effectus, nulla adest actio: quare concurrit conservando tantummodo in causis adversis vim activam: conservatio autem virium in causis adversis non significat contrarios

conatus causæ conservantis. Nos autem si producimus nobis affectiones oppositas, profecto contrarii conatus longe sunt a nobis; per eos enim nihil produceremus. Itaque per distinctas, & dissimiles actiones modo hoc, modo illud cogitamus, quorum alterum nobis voluptati est. Ceterum nulla est in homine vis, quæ eodem temporis puncto sese explicet in oppositas actiones, & effectus producat, quorum alter alterum destruat.

680. *Occasionalistarum* oppositiones levissimæ sunt: præcipuæ ita se habent. 1. Uni Deo concedenda est vis activa, ne ens finitum accipiatur pro infinito. 2. In idea clara, & distincta entis finiti non concluditur idea vis activæ. 3. In idea Entis infiniti concluditur idea omnipotentiæ: itaque illud satis est rebus cunctis producendis: quapropter supervacanea est vis activa entis finiti. 4. Si qua esset vis activa entis finiti, ea illi communicaretur ab Ente infinito: hoc autem esse nequit, quia vis activa Dei est illius infinita Voluntas.

681. Resp. ad 1. Vis activa Dei est infinita, quia etiam creare potest: aliarum causarum, quæ tantum possunt modos producere, finita est actuosa facultas: hoc discrimine secernimus entia finita a Deo. Ad 2. Non est necesse, ut in ideis præcisis concludantur omnes proprietates entis cujuspiam. An idea generis concludit ideam differentiæ? An idea entis finiti concludit ideam cogitationis, vel extensionis? Ad 4. Cum idea Omnipotentiæ concluditur etiam idea libertatis: sicut vero per libertatem Dei non omnia actu sunt, sed longe multa fuerunt, alia erunt deinceps, etsi per Omnipotentiam omnia possent actu esse: ita per suam libertatem non omnia præstat Deus ipse per se, etsi per Omnipotentiam omnia posset solus efficere. Ad 4. Vis activa entis finiti nequit esse energia Entis infiniti, neque illius pars; quoniam proprietates certi cujusdam entis nequeunt esse alterius entis proprietates: dicitur vero ab infinito Ente participata, tum quia quoad statum possibilitatis, & actualitatis causæ cum suis viribus a Deo pendent: tum quia hæc vis activa est imago quædam, rudis licet usque, & imperfectissima potestatis Divi-

Divinæ. At nonne his de causis finitis rebus essentiæ quoque dicuntur a Deo communicari?

SECTIO III.

De generalibus entis speciebus.

682. Quæcumque in mundo sunt entia, aut *substantiæ* sunt, aut *accidentia*, seu *modi*: vel *absoluta*, vel *relativa*: vel *permanentia*, vel *successiva*: vel tandem ens est *infinitum*, vel *finitum*. Agemus itaque 1. de *substantia*: & *accidente*: 2. de *ente absoluto*, & *relativo*: 3. de *permanente*, & *successivo*: 4. tandem de *ente finito*, & *infinito*.

ARTICULUS I.

De substantia, & accidente.

683. Plura nec breviter, nec utiliter, nec jucunde satis de substantia inquirere consueverunt Aristotelico-Scholastici: in primis concertationibus perpetuis determinarunt, quid substantia esset: 2. quid substantia significaret individua, ac per quid fieret individua: 3. quodnam substantiam inter, & subsistentiam discrimen reperiatur. Si primam excipias, utilitatem nullam, aut certe parvam in intricatissimis hisce quæstionibus adinvenies: ac siquid utile rebus theologicis in iis habeatur, cognosces statim, ex claris, & distinctis notionibus posse te illud adipisci. Nos itaque perpendemus duntaxat, quænam vera sit notio substantiæ: ac quid Scholasticorum significent vocabula, breviter indigitabimus, utilibus, ut sæpe diximus, satis contenti.

684. Ne putetis, inutilem esse distinctam substantiæ definitionem; *nihil enim*, ut optime advertit Cl. Gen. Met. p. 1. Def. 22. Edit. Neap. ann. 1751. *tot inter Philosophos concertationes excitavit, quam non satis enucleata substantiæ notio: nec ullæ magis contentiones vitæ,*

atque eruditionis humanæ interſunt , *quam quæ de natura veræ ſubſtantiæ agitantur* , quippe quæ Deum , univerſam rerum naturam , & ipſum hominem ſpectant , quod paulo poſt intelligemus.

685. Veteres omnes Græci Philoſophi hoc pacto ſubſtantiam definierunt : *Ens per ſe ſubſiſtens* : in qua ſubſtantiæ definitione , ut infra videbitis , nihil redarguendum occurrit , dummodo diſtincte explicetur tò *per ſe ſubſiſtere* ; dummodo enim *per ſe ſubſiſtens* illud dicatur , quod in exiſtendo a nullo dependet anteriori ſubjecto , cui inhæreat , tunc profecto videtur nobis ea definitio numeris omnibus abſoluta . At cum Veteres, præſertim Platonici , illud *per ſe ſubſiſtens* appellaverint , quod in *eſſe* , *fieri* , *&* *conſervari* a nullo omnino pendet , ideo unam duntaxat dari ſubſtantiam crediderunt , nempe Deum : ex qua deinde ſententia omnium Philoſophantium peſſimus Spinoza ſuum perridiculum æque , ac impium efformavit ſyſtema , in quo non eſt veritus aſſerere , unam ſimplicem extare ſubſtantiam : reliqua vero mundana entia modificationes eſſe illius ſimplicis ſubſtantiæ . (n. 671.)

686. Carteſius dum Scholaſticorum , ſeu veterum Philoſophorum definitionem clarius explicare ſategit , in aliud lapſus eſt abſurdum , quod notionem ſubſtantiæ tantum attulerit increatæ , non vero productæ , & limitatæ . Itaque *part.* 1. *princ.* §. 51. ſubſtantiam eam eſſe tradit , *quæ ita exiſtit* , *ut a nulla alia dependeat in exiſtendo* . At cum illam independentiam in exiſtendo nimis generaliter acceperit , ut nempe a nullo vel conſervatore , vel productore pendeat , ideo definitionem illam ſoli Deo poſſe aptari , ipſemet apertis verbis eſt faſſus . Quapropter eas creatas ſubſtantias appellavit , *quæ* , *ut exiſtant* , *ſolo indigent Dei concurſu* . At cum videret quoque , hac ſemel poſita definitione , non poſſe rem aliquam ſubſtantiam demonſtrari , niſi fuerit prius oſtenſum , eam ad exiſtendum ſolius Divini concurſus indigere , ideo *ibidem* §. 52. aſſeruit , *non ex hoc tantum poſſe ſubſtantiam agnoſci* , *ſed etiam ex ejus operatio-*

ne ,

ne, hoc fretus principio, quod nempe *nonnisi a substantia possit aliquid provenire*. Sed ut optime Claubergius advertit in *Met. de Ente* §.42.& cum ipso Wolfius quoque *Ont. p.* 2. §. 772. discrimen inter substantiam, & non substantiam non debet referri ad principium aliquod extrinsecum, sed subjecto aliqua inesse debent, unde diversitas operationum orta intelligatur.

687. Wolfius sic substantiam definit: *ens modificabile*, *& perdurabile*. Per *ens modificabile* illud intelligit, quod est *subjectum determinationum intrinsecarum* (§. 764. Ontol.) *perdurabile* vero, quod *per aliquod tempus durare est aptum* (§. 766.) Huic vero Wolfii definitioni ipsissimis verbis adstipulatur Gaspar Sagner *Ont. sect.* 4. *c.* 5. Nec dissimilis est notio, quam de eadem tradit Genuensis *in Met. par.* 1. *def.* 21. ait enim: *substantia est primum subjectum ejus, quod est, aut fit, quod ita existit, ut intrinsecus a nullo communi, ac anteriori subjecto, sed a suis tantum essentialibus pendeat, ac semel positum per se esse, & conservari possit*. Verum omnes istæ definitiones in eo peccare mihi videntur, quod substantiæ generalem notionem non tradant; quæ enim a Wolfio affertur, ea certe Deo tribui non potest, cum Deus non sit *ens modificabile*: quod proinde & idem Wolfius intelligens asserit §. 847. Deum nonnisi per eminentiam, seu virtualiter posse dici substantiam. Ob eamdem pariter rationem ad rem non videtur Antonii Genuensis allata substantiæ definitio; cum enim Deus sit actus purissimus, non potest in illo percipi ratio subjecti, & inhærentis subjecto, alias in ipso actus, & potentia essent admittendi.

688. In medium allatas substantiæ definitiones Deo aptari non posse, cognovit manifeste idem Augustinus, qui idcirco *lib.* 7. *de Trin. c.* 5. apertissime ait: *Deus autem si subsistit* (seu substat), *ut substantia proprie dici possit, inest in eo aliquid tamquam in subjecto, & non est simplex .... Nefas est autem dicere, ut subsistat, & subsit Deus Bonitati suæ: atque illa Bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus*

sit

sit Bonitas sua ..... Manifestum est, Deum abusive substantiam vocari.

689. Putamus igitur, ab antiquissima substantiæ definitione non esse recedendum. Substantia itaque est *ens per se existens*, sive *ens, quod in existendo a nullo dependet subjecto*; hoc enim pacto si substantia definiatur, manifeste intelligitur, prædicatum substantiæ commune esse Deo, & creaturis.

690. *Schol.* Diligenter cavendum est, ne *per se existere* confundatur cum *existentia a se*; etenim existens *a se* est illud, quod nullam agnoscit suæ existentiæ causam (n. 558.) cujusmodi est solus Deus: illud vero dicitur *per se subsistere*, quod licet sit ab alio productum, alio tamen non indiget, in quo existat, & conservetur.

691. Consueverunt secernere Scholastici substantiam in *simplicem*, & *compositam*: *simplicem* illam appellarunt, quæ in plures distinctas substantias non potest dividi: *compositam* vero, quæ ex pluribus simplicibus coalescit. Nec nos renuimus hanc substantiæ divisionem adprobare, dummodo non putemus, ex substantiis simplicibus simul unitis aliquam tertiam consurgere novam substantiam; ut enim optime ait Wolfius §. 792. & seqq. *non distinguitur compositum a suis componentibus, sed aggregatum est componentium*. Et licet ex hujusmodi unitis substantiis plures enascantur vires, quæ unicuique ex illis non competebant, attamen hoc non oritur ex quadam tertia enata in compositione substantia, sed solummodo ex unione virium illarum. Et sane quomodo potuerint Scholastici substantiam compositam hoc in sensu non improbare, & tamen eam per ens non alio indigens, ut existat, definire, non video; tertia enim hæc substantia in hypothesi penderet intrinsece a componentibus.

692. *Schol.* Observatum primum Scoto fuit *lib. 4. sent. dist. 10. q. 8.* Deinde Wolfio §. 773. ac tandem Gravesandio *in introductione ad Philosophiam lib. 1. c. 2. substantiam esse per se objectum intellectus abstractum*, sive,

sive, ut ibidem Wolfius inquit, *notionem substantiæ communem esse omnino imaginariam*; *neque enim*, ut optime inquit idem Scotus, loquens de substantia creata, quam vocat *substratum quoddam accidentium* lib. 1. sent. dist. 22. q. 1. *cognosco distincte, quid sit illud substratum in se, nisi quod sit ens, vel res affecta talibus accidentibus, unde ulterior conceptio, quam possim de illo habere, quid sit, est res aliqua habens talia accidentia, & relationes*: a quo Scoti ratiocinato testimonio si paulo duriorem verborum corticem excipias, quod conditioni temporum est donandum, non video, quid demendum sit, quod Recentiores non dixerint.

693. *Accidens* a Scholasticis sic definitur: *ens existens in alio, & illi inhærens*. Et nos hanc accidentis definitionem non improbamus, dummodo non credamus, admittenda esse in substantia aliqua accidentia realiter distincta a substantia, cujus sunt accidentia: seu esse accidentia entitates quasdam superadditas substantiæ; contendimus enim, accidentia non esse, nisi substantiam diversimode modificatam. Hanc accidentis explicationem rejiciunt passim Peripatetici, ut a Fide (sicuti ajunt) non aberrent, dum edocemur, in Eucharistia manere post consecrationem accidentia absque ulla substantia panis, & vini: sed nullius momenti hæc sunt, ut demonstrant recentiores Philosophi, ubi de corporum principiis, & natura accidentium materialium loquuntur.

694. *Accidens*, *modus*, *modificatio* per nos idem omnino sonant. Verum, ut optime Fortunatus a Brixia animadvertit in *Ontologia*, confundenda non sunt accidentia *physica* cum *logicis*; *accidens* enim *physicum* est illud, cujus modo definitionem tradidimus, quod proinde nullimode substantia dici potest: *accidens* vero *logicum* est illud, quod in se quidem est substantia, sed relate ad aliud est accidens, seu, ut magis apte loquamur, est *quid accidentale*, sicuti sunt vestes respectu corporis humani.

695. Non parvi certe momenti erat apud Scholasticos controversia altera, qua post firmatam substantiæ defi-

definitionem inquirebant: quodnam sit illud, per quod quælibet substantia sit individua; cum enim animadverterent, Petrum ex. gr. non esse Paulum, sed Petrum, seu, quod idem est, Petrum esse indistinctum a se, & distinctum a quocumque alio, in quo rationem constituebant individui, ideo assequi conabantur rationem illam, per quam substantia fiat individua. Pudet in his tricis tempus insumere; non enim ex illis ulla provenire potest utilitas, ad quam præsertim omnes nostri tendunt affectus. Puto igitur, per hoc fieri substantiam individuam, per esse nempe totius entitatis in semetipsa, & non in alia. Sic substantia facta fuit individua in Petro, per hoc, quod omnes differentiæ Petri coiverunt in Petrum, & non alium: siquis tamen hac sententia contentus non fuerit, meliorem inveniat.

696. Licet vero, quæ modo de individuatione diximus, meræ sint Philosophantium inutiliter gerræ, quæstio tamen, quam de discrimine substantiam inter, & subsistentiam instituerunt Scholastici, non parvi quidem est ponderis, ne in Theologia nutemus, ubi præsertim de Incarnatione a Catholicis agitur; nisi enim distincte explicetur, quid subsistentiæ, ac substantiæ veniat nominibus: quid subsistentia importet: utrum possit substantia propria privari subsistentia, nunquam clare intelligetur, quomodo veritatem obtineat, quod contra Nestorium definivit Ecclesia, Christum nempe ex duplici constare natura in unitate personæ. At quoniam Theologorum magis, quam Philosophorum interesse debet hæc explicare, ideo quæstionem istam libenter omittimus, hoc duntaxat contenti, ut breviter explicemus, quid vocabulis istis nobis veniat.

697. *Subsistentiæ* nomine illud donatur, quo substantia dicitur terminata, & completa: quo scilicet natura non exigit progredi ulterius ad alterius cujuspiam constitutionem, cum ad aliud præterea constituendum non sit ipsa ordinata.

698. *Hypostasis*, licet proprie substantiam significet, tamen post Concilium Alexandrinum Athanasii opera cele-

celebratum *personam* innuit; Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus tres *hypostases* dicti sunt, seu tres *personæ*. *Suppositi* pariter non dissimilis est acceptio. *Subsistentiæ* igitur, *hypostaseos*, *personæ*, *suppositi* nomina accipiuntur modo promiscue, sive dum de Divini Verbi incarnatione, sive dum de augustissimo Trinitatis Mysterio a Theologis pertractatur.

699. Verum etsi promiscua *subsistentiæ*, *hypostasis*, *personæ*, & *suppositi* sint nomina, mos tamen inolevit, ut tradit Boetius *lib. de duabus naturis*, *& una in Christo persona*, *suppositi* vocabulum ad quamlibet naturam in se completam: *hypostasis* autem, & *personæ* ad solas intellectuales substantias significandas usurpare.

700. At ne ulterius progrediamur, & Theologos potius, quam Philosophos agamus, finis hic imponatur huic concertationi. Vobis igitur notum sit, 1. subsistentiam, *seu personalitatem creatam nihil realis importare*, *& positivi* : 2. *non omnem substantiam individuam propria donari subsistentia* : 3. *omnes substantias creatas*, *illas etiam*, *quæ natura comparatæ sunt*, *ut propria fruantur subsistentia*, *hac posse per Dei potentiam absolutam privari* : 4. tandem *plures substantias creatas propria carere posse subsistentia*, *ac naturali etiam virtute aliena subsistere*. Siquis plura hac de re cupiat, Scholasticos quoscumque adeat, ex quibus & desiderium explere, & opprimere etiam vel invitus valebit.

ARTICULUS II.

De principio Indiscernibilium.

701. Semel a Leybnitio admisso rationis sufficientis principio, veluti consectariam hanc adoptavit sententiam, repugnare videlicet duo entia plane similia; *si enim essent plane similia*, inquit ipse, *essent quoque indiscernibilia*: hoc est nihil esset, per quod posset ab uno alterum secerni: consequenter nulla esset ratio sufficiens, ob quam hoc potius, quam alterum Deus crearet, quod per ipsum est omnino absurdum. 702. Ley-

702. Leybnitianis placitis sese opposuit Samuel Clarkius contendens, duo entia plane similia & possibilia esse, & forsan reipsa dari, ut constat ex *epist.* 4. a Leybnitio ad eumdem data, & typis Anglicanis publici juris facta §. 4. *& seqq. p.* 94. & ex *epist.* 5. ad eumdem §. 23. *& seqq. p.* 174. Clarkio deinde plures ex Philosophis adhærere, ac præsertim Catholici: in Leybnitii vero sententiam armis constrictis Wolfius, Bulfingerus, Holmannus, Baumeisterus, Cantzius, Gotschedius, Sagnerius, ac Genuensis etiam, ut puto, descenderunt.

703. Putavit Wolfius, Leybnitium ipsum primum principii istius inventorem extitisse; *Cosmol.* enim §.246. *in annot.* ita historiam hujus adinventi conscribit; ***Leybnitius primus omnium advertit omnium rerum dissimilitudinem, cum videret, indiscernibilia repugnare principio rationis sufficientis.*** Hoc autem est (dicam, quod immerito de ipso Abbas Genuensis scripsit circa principium rationis sufficientis) in quo aut affectu decipitur, aut veterum Philosophorum ignorantiam patefacit; Stoicis enim affirmantibus, non dari plura similia, sese opposuerunt Accademici; sic enim apud Ciceronem *in Lucullo* legimus. ***Ais, Democritum dicere, innumerabiles esse mundos, & quidem sic quosdam inter se pares, ut inter eos nihil prorsus intersit. Deinde postulas, ut si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem intersit, concedatur tibi, ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic par sit, ut nihil differat, nihil intersit.*** Hæc Lucullus habet ex Antiochi sententia, quæ post multa sic Cicero refellit. ***Omnia dicimus sui generis esse, nihil idem, quod sit aliud. Stoicum est id quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius.*** Scotus quoque *QQ. Metaphysic. lib.* 7. *q.* 13. hanc sibi opponit, diluitque simul propositionem. ***Ejusdem sensibilis simile omnino non discerneretur ab ipso.***

704. Cum de principio individuationis n. 695. egerimus, scilicet de ea ratione, per quam singularitas substantiæ conficitur, & determinatur, modo tempus properare nos

mo-

monet ad hanc definiendam quæstionem, num scilicet duo entia perfecte similia sint possibilia; ad hoc enim quæstio reducitur, num scilicet similitudo sit confundenda cum identitate, sive num quæ sunt similia, jam unica gaudeant individuatione, seu singularitate.

705. Ne vero quid desit quæstioni huic distincte pertractandæ, antequam ad ejusdem solutionem progrediamur, necessariæ omnino sunt definitiones *similis*, & *dissimilis*. Licet igitur trito loquendi more illud alteri simile appelletur, in quo plura sunt eadem, per quæ ab altero simili discerni posset, attamen per Wolfium ea dicuntur *similia*, in quibus omnia sunt prorsus eadem, præter unitatem numericam, locum, & tempus. Ea autem *dissimilia* appellantur, in quibus non omnia sunt eadem: loquimur autem hic de identitate cum alio, non cum semetipso (perlegantur ea, quæ diximus n.609.610.)

706. Quod igitur modo quærimus est, *utrum possibilia sint duo entia plane similia: utrum si darentur, essent adhuc discernibilia: ac tandem utrum dentur*. Sit itaque

707. PROPOSITIO I.

Si duo darentur entia plane similia, adhuc tamen distingui, & discerni possent.

708. PRob. Nihil est simile sibimetipsi; cum semetipso enim dicitur idem; igitur simile est alteri; ergo si dentur duo similia, datur unum, & alterum; ergo sunt distincta. 2. Si hujusmodi entia darentur, quomodo possent simul destrui, sic quoque posset unum annihilari, altero non destructo: ea vero, quorum unum existere potest, altero non existente, sunt distincta; ergo &c. Tandem hæc duo entia non essent eadem numero; igitur propter numerum forent distincta; Igitur &c.

709. Prob. 2. pars. Verum non solum essent distincta, sed essent quoque invicem discernibilia; ut enim acutissime, ac breviter more suo Scotus argumentatur

cit.

cit. *QQ. metaph. loco*, ubi inquit: *ejusdem sensibilis simile omnino non discerneretur ab ipso*, ait. *Contra, imo ex loco: similiter numerus est per se sensibilis*. Licet igiter duo entia plane similia discerni a me non possent, si successive palpanda, libranda, gustanda, olfacienda, dividenda &c. mihi præberentur: si tamen ea simul conspicerem, propter locum, quem occuparent, & propter numerum, ea ab invicem distinguerem, sicuti duo solares radii, licet ad sensum plane similes, propter locum, & numerum optime ab invicem discerno, ut patet experientia. Cum igitur hæc duo entia, si darentur, distincta gauderent individuatione, & in loco diverso statuerentur, essent prorsus discernibilia.

710. Ob. Si duo darentur entia similia, propter locum distingui non possent; deberent enim statui in eodem, non in diverso loco; quæ enim esset ratio sufficiens, ob quam hoc potius in hoc loco, quam alterum esset constituendum? Igitur &c.

711. Resp. Ratio sufficiens, ob quam in diverso loco illa entia essent constituenda, esset illorum distincta individuatio; cum igitur duo entia plane similia sint adhuc omnino distincta, & separata, ideo diverso in loco sunt collocanda.

712. Inst. Atqui duo simillima in diverso loco non essent collocanda; ergo &c. prob. subs. Si in diverso loco constituerentur, non essent amplius omnino similia; daretur enim saltem loci diversitas.

713. Resp. neg. subs. ad prob. neg. antec. Cum enim locus nihil superaddat intrinsecæ entis naturæ, de cujus cum altero similitudine nos tantum quærimus, ideo licet in diversis constituerentnr locis, eorum persisteret similitudo.

714. Ob. cum Cl. Genuensi Elem. Metaph. part. 1. def. 77. *Quæ distinguuntur numero, licet cetera habeant eadem, essentiam tamen individualem non eandem habeant necesse est: qui dicit, duo distingui numero, & omnia habere eadem, etiam essentiam hanc individui, is contraria loquitur*. Igitur per Genuensem aut in

om-

omnibus hæc duo entia constituuntur similia, & essentia quoque numerica erit in ipsis eadem, aut hæc essentia in ipsis non est eadem, & non erunt amplius inter se omnino similia, quod est contra id, quod in quæstione supponitur.

715. Resp. Hic Genuensis perfectam similitudinem cum perfecta identitate perperam confundit; possunt enim duæ entitates esse plane similes, nec tamen erunt omnino eædem: sic duo nivei globuli etiam quoad essentiam sunt plane similes, si eorum duntaxat inspiciatur albedo, nec tamen sunt omnino iidem; potest enim unus destrui, alterius prorsus albedine eadem manente. Licet igitur ea bina entia etiam quoad essentiam individualem sint omnino similia, adhuc tamen erunt distincta, quia eorum essentia est similis, sed non eadem.

716. PROPOSITIO II.

Duo entia omnimode similia nec intrinsece, nec extrinsece repugnant.

717. PRima propositionis pars probatione non indigeret; ipsi enim hujus principii Assertores fatentur libenter, duo entia plane similia intrinsecus non repugnare; *Cosmol.* enim §. 246. *in annot.* hæc Wolfius tradit: *indiscernibilia repugnant principio rationis sufficientis, etsi absolute impossibilia non sint*. Verum quoniam Gottschedius animadvertens, posse illa creari a Deo, dummodo intrinsece possibilia esse concedatur, ab ipsorum Coriphæorum placitis declinavit, dicens in Actis Lipsiensibus ad ann. 1760. *Haud me movet Leybnitii, Wolfiique non satis pensitata confessio, & concessio eorum possibilitatis. Homines fuerunt: vel ex præcipitantia, vel aliis quibuscumque de causis errare potuerunt*; ideo sequens instituitur demonstratio.

718. Ea sunt possibilia intrinsece, in quorum attributis nulla reperitur contradictio: atqui in entibus plane similibus nulla assignari potest contradictio; si enim unum

ex similibus non repugnat intrinsece, eccur in altero, in quo omnia plane sunt eadem, aliqua aderit contradictio? Aut igitur nullum ex eis erit possibile, aut bina, aut etiam plura possibilia erunt; ergo &c.

719. Prob. 2. pars propositionis. Id omne valet Deus efficere, in quo nulla reperitur contradictio: atqui in duobus entibus omnino similibus ex demonstratis nulla invenitur contradictio; ergo potest Deus illa creare.

720. PROPOSITIO III.

Probabile admodum est, duo existere entia adamussim similia.

721. PRob. In primis valde improbabile est, inter tot millena, & millena pulveris exigua corpuscula nullum alteri simile posse reperiri. Deinde certum ex ipsa experientia est, quod si per foramen radius lucis recipiatur, ac per prisma refrangatur, in obice spectrum depingitur ex septem coloribus formatum, ut in physisica videbitis: hoc pariter a cordatioribus Physicis conceditur, omnes lucis particulas non semper easdem esse, sed successive unam alteri substitui. Hoc posito, sic contra Leybnitianos argumentamur. Spectrum, quod in obice pingitur, iisdem semper coloribus est refertum: atqui colores illi efformantur a diversis lucis corpusculis; ergo hujusmodi particulæ debent esse inter se simillimæ, alias eumdem effectum non possent producere; admodum igitur probabile est, dari & duo, & plura entia omnimode similia.

722. Nec infirmatur vis argumenti reponsione, quam affert Adnotator Sagnerii dicens, ipsum, eumdemque homogeneum lucis radium ab eterogeneis componi particulis, sicuti Celeb. advertit Boschovikius, qui *lib. 5. de defectibus pag. 282.* ita scribit: *rubei ex. gr. dicuntur quamplurimi, quorum alii magis, alii minus, ut ita dicam, rubei sunt: & a colore unius nominis ad colorem alterius transitur per quosdam veluti gradus conti-*

tinuos, sive, ut Itali appellant, con una sfumata.

723. Hac, inquam, responsione vis argumenti non infirmatur, sed roboratur potius; licet enim verissima ea sint, quæ Boschovikius tradit, attamen quæro ab ipso Sagnerii Adnotatore: ut compositum sit semper idem, debent ne esse semper eadem componentia? Ita sane; compositum enim non distinguitur a componentibus simul unitis; ergo cum idem semper appareat spectrum coloratum, licet successive mutetur, similia quoque inter se esse debent fila illa colorata, quæ successive radium priori similem constituunt. Deinde ex eterogeneis constabit utique radius, attamen particulæ lucis fila illa componentes debent esse simillimæ: igitur semper firmum, fixumque remanet, valde esse probabile, duo, aut plura entia reapse existere inter se prorsus similia.

724. *Coroll.* Causa igitur, ob quam duo entia essent *indiscernibilia*, non alia statui potest, nisi *perfecta identitas*; si enim ad hoc, ut duo entia sint indiscernibilia, debent aliquo nexu inter se conjungi, nec nexus iste, ut demonstravimus, potest esse omnimoda similitudo, profecto non in alio poterit constitui, quam in perfecta identitate.

725. Obj. 1. cum Adnotatore Sagnerii *nota* 33. *in Ontol. ejusdem*. Principium indiscernibilium profluit necessario ex principio contradictionis; nam, ut probet S. Thomas, impossibiles esse plures Deos, inquit: *si nulli eorum* (*lib. contra Gent. c.* 42.) *deesset aliqua perfectio, neque aliqua imperfectio ei admisceretur, non erit in quo ab invicem distinguantur*; igitur principium indiscernibilium consistit in omnimoda similitudine.

726. Resp. dist. antec. *principium indiscernibilium in perfecta identitate constitutum profluit necessario ex principio contradictionis*, conc. *secus*, nego antec. ad prob. admitto auctoritatem in sensu explicando. Si itaque ea solummodo dicantur indiscernibilia, quæ gaudent perfecta identitate, non inficiamur, principium indiscernibilium emanare necessario ab ipso contradictionis principio; cum enim illud sit idem, quod est unum: unum autem non

sit, nisi sit a semetipso indistinctum, si duo admitterentur eadem etiam propter entitatem numericam, non solum essent indiscernibilia, verum nec esse possent distincta, alias posset idem simul esse, & non esse; essent enim distincta, ut supponitur: non essent autem distincta, quia perfecta gauderent identitate. Cum igitur animadverteret Doctor Angelicus, dari non posse duo entia infinita, quin contineat unum perfectiones omnes alterius, & consequenter quin sint indistincta, & ideo eadem, optime contra Gentiles argumentatur, evincendo, plures Deos esse impossibiles; cum enim, si plures essent, necessaria gaudere deberent identitate, ideo essent quoque indiscernibiles. At quod acutissimus Thomas de entibus infinitis collegit, inferri nequit de entibus finitis; hæc enim possunt esse plane similia, quin eadem sint, & consequenter quin sint indiscernibilia.

727. Ob. 2. Si duo possibilia essent entia prorsus similia, non tamen posset Deus illa creare; nulla enim esset ratio, ob quam uni potius, quam alteri existentiam conferret: cur hoc potius in loco, *A*, quam alterum deberet constituere.

728. Resp. neg. antec. quoad omnes partes; sufficiens enim ratio, quæ a Leybnitianis in dissimilitudine ponitur, constituitur a nobis in distincta numerica entitate. Vel si Adversariis ista non sapiat responsio, dicimus, totam rationem sufficientem hujus potius, quam alterius creationis esse liberam Dei voluntatem. Si vero ne hæc quidem Leybnitianos delectet, ut omne ipsis subterfugium auferatur, reponimus, adesse quidem rationem sufficientem hujus liberæ Dei actionis, eam tamen esse nobis prorsus ignotam; *quis enim novit voluntatem Dei, aut consiliarius Illius fuit?* Merito igitur Genuensis *in 1. Met. parte def.* 77. moderato utens vocabulo, ineptam hanc Leybnitii appellat argumentandi rationem; *quis enim*, inquit, *homuncio tam confidenter de ratione, & consilio Dei definiat?*

729. Ob. 3. cum Wolfio *in annot. ad* §. 246. *Cosmolog.* Principium indiscernibilium reperitur experientiæ per-

perfecte consonum; *etenim*, inquit ipse, *cum Leybnitius in horto, præsente Sophia Electrice, ea de re verba faceret, Vir quidam nobilis existimabat, posse facili negotio reperiri duo folia similia, quorum adeo unum ab altero discerni non posset. Enimvero quantumcumque adhiberet studium in foliis istiusmodi conquirendis, multo tamen tempore nihil agebat. Si granula arenæ minoris, quæ pulvisculos rectius dixeris ob exilitatem suam, mycroscopio subjicias, tantum in iis discriminis deprehendis, ut de similibus unquam reperiendis facile desperes*; ergo &c.

730. Resp. ita Wolfium argumentari non miramur; cum enim ipse libenter concedat, duo similia non reperiri quidem: *sed nondum constitisse a priori, talia reperiri nunquam posse*, ideo medio hoc experimento optime concludit, ea reipsa non existere, licet & hoc argumentandi genus eo vitio laboret, quod dicitur *a particularibus ad universalia*; ut enim in probatione propositionis 3. manifeste vidimus, valde probabile est, duo simillima in hac rerum universitate existere, si oculos ad solares radios convertamus.

731. Ut igitur iterum ad argumentum redeamus, si vitium illud argumentandi a Wolfio demas, nihil quod succensendum veniat, reperies: pudet nos tamen maxime illorum, qui hoc freti argumento, mordicus contendunt, ea possibilia non esse. O miram, dignamque Metaphysico argumentandi methodum! non dantur; ergo dari non possunt. Mundus alter non existit; ergo existere non potest. Egregia profecto præjudicatæ mentis portenta!

732. *Schol.* Siquis rationem inquirat, ob quam inter tot entia nonnisi labore maximo, ac persæpe inutili duo reperiantur omnino similia, hanc probabiliter esse puto: Deum nempe sapientiam, potentiamque suam in multiplici ostendere voluisse rerum varietate. Nullus tamen credat, hoc solummodo consilium Dei mentem in rerum creatione direxisse; quis enim in tantam lucem infirmam oculorum aciem valet intendere?

ARTICULUS III.

De ente absoluto, & relativo.

733. Quid relatio significet, jam tradidimus in Logica (n. 85.) ibi quoque notionem dedimus absoluti; ea igitur sunt primum recolenda: at quoniam licet ea mero Philosopho sufficiant, satis tamen non sunt rebus Theologicis initiando, ideo fusius de relatione pertractandum modo esse censemus.

734. *Relationis nomen* (inquit optime Carol. a S. Flor. *log. sect. 2. l. 1. art. 3 & Ont. lib. 2. sect. 3. art. 2.*) *ita de se perspicuum est, ut nonnisi per synonima vocabula describi possit.* Relatio igitur est ordo, seu respectus unius ad aliud: respectus autem iste vel *intrinsecus* est, vel *extrinsecus*: tunc dicitur *intrinsecus*, quando ita in duobus reperitur, ut illis positis nexus iste statim habeatur; sic positis duntaxat duobus gallinæ ovis, statim inter ipsa similitudo, seu relatio habetur, nulla adveniente ipsis extrinseca actione. Relatio vero *extrinseca* ea nuncupatur, quæ in rebus non reperitur eo ipso, quo sunt, sed ab aliqua extrinsecus adveniente conditione promanat: ita se habet relatio patris ad filium, quæ non habetur eo instanti, quo ponitur homo, sed tunc solum enascitur, quando a patre gignitur filius.

735. Jam satis, superque patere puto, duo extrema necessario requiri, ut relatio habeatur; nemo enim refertur ad semetipsum, cum sibimetipsi nullus sit similis, sed idem, ut alias adnotavimus.

736. Ex eo igitur, quod duo requirantur ad relationem constituendam, hinc juremerito quatuor in relatione quacumque a Philosophis solent distingui: *subjectum* videlicet, *terminus*, *fundamentum*, & ipsa *relatio*. *Subjectum* (quod *fundamentum* quoque *remotum* appellatur) est illud, quod ad aliud refertur: *terminus* id, ad quod subjectum refertur: *fundamentum* relationis (quod *fundamentum proximum* appellatur) est ratio, a

qua

qua enascitur. Sic in relatione patris ad filium, pater est *subjectum*, filius est *terminus*, *fundamentum proximum relationis* est vis generans, *relatio* vero est paternitas.

737. His autem positis, jam ni fallor, videtis clare, & distincte, has esse proprietates correlativorum: 1. quod debeant, ut ajunt Scholæ, dici ad convertentiam: 2. autem, quod relata debeant esse simul tempore, & cognitione. Sic ex. gr. (quod pertinet ad primum) si hæc consequentia legittima supponatur: est pater; ergo & filius: hæc altera quoque valida debet haberi; est filius; ergo est pater. Secunda quoque est per se manifesta; cum enim non possit haberi relatio absque duobus extremis, nisi hæc aut simul cognoscantur, aut simul existant, aut relatio cognosci non poterit, aut non poterit haberi.

738. Hæc sunt, quæ de notione relationis sunt necessario tradenda: at non sufficiunt, ut intelligatur multiplex relationis divisio in Scholis communiter recepta, cujus etsi non sit utilis tractatio, inutilis tamen non est aliqua cognitio, ut ea comprehendantur, quæ *in Tractatu de Trinitate* edocent Theologi.

739. Alia itaque est relatio *realis*, alia *intellectualis*. Illa est, quæ inter extrema versatur non realia tantum, verum & realiter distincta: quæque reapse adest, nullo etiam intellectu percipiente. At cum Scoto animadvertendum est, aliquas adesse relationes reales incompossibiles omnino in eodem supposito, & natura: & alias incompossibiles quidem in eodem supposito, compossibiles tamen in eadem natura: sic ex. gr. causa ad effectum refertur: hæc relatio nequit poni in eodem supposito, aut natura, quia nemo valet semetipsum producere. Relationes vero, quas invicem habent producens, & productum, seu *principium originis* ad *principiatum*, possunt haberi in eadem *numero* natura, dummodo hæc natura infinita statuatur, qua in hypothesi sine sui ipsius divisione potest aliis communicari: pugnant tamen in eodem supposito, quia suppositum ut suppositum nunquam est infinitum. Exemplum relationum istarum Tri-

nitas Personarum Divinarum exhibet; una enim est natura, quæ tripliciter ad semetipsam refertur, & ex hac triplici relatione triplex oritur Persona.

740. *Relatio intellectualis*, seu *rationis* illa est, quæ a mente duntaxat conficitur: quo pacto inter ea relatio habetur, quæ secundum rationem tantum sunt ab invicem distincta.

741. Relationes reales vel *increatæ* sunt, vel *creatæ*. *Relationes increatæ* eæ sunt, quæ in Divinis habentur; sicuti enim increata est natura, quæ refertur, ita increatæ sunt relationes. Relationes vero creaturarum sunt omnes *creatæ*; quia licet aliquando unum extremorum sit increatum, sicuti dum creaturæ ad Deum referuntur, attamen alterum semper creationem agnoscit.

742 Alia itidem est *relatio physica*, alia *moralis*. *Physica* illa dicitur, quæ fundatur in ipsa rei natura, vel ejus naturali actione, ut relatio Patris ad Filium: *moralis* est ea, quæ a legibus dependet vel a Deo, vel ab homine latis, aut ex arbitraria hominum convertione: hujusmodi sunt relationes filii ad patrem, servi ad dominum, hederæ ad vinum venale.

743. Similiter vel relatio est *æquiparantiæ*, vel *disquiparantiæ*. *Relatio æquiparantiæ* inter extrema habetur, quæ sub eadem ratione ad invicem referuntur, sicuti sunt omnia similia, & æqualia. *Disquiparantiæ* vero ea dicitur, quæ inter extrema versatur invicem quidem relata, non tamen invicem relata sub eadem ratione. Ita se habet relatio causæ ad effectum; causa enim ad effectum refertur quidem, non tamen sub eadem ratione: etenim causa ad effectum refertur, ut producens ad productum: effectus vero ad causam, sicuti productum ad producens.

744. Iterum relatio vel *mutua* est, vel *non mutua*. *Mutua* tunc habetur, quando extrema ad invicem referuntur, & eodem modo: hoc est, si subjectum intellectualiter, vel realiter ad terminum referatur, ut habeatur relatio mutua, terminus quoque ad subjectum vel intellectualiter, vel realiter debet referri. Sic relatio patris ad

filium

filium est mutua, quia alteruter ad alterum relatione reali refertur. Non mutua vero nuncupatur ea, qua extrema invicem quidem referuntur, sed non eodem modo: talis est relatio, quæ Deum intercedit, & creaturas; Deus enim intellectualiter duntaxat ad creaturas: creaturæ vero realiter ad ipsum referuntur, quia per talem relationem Deus denominationem extrinsecam tantum acquirit: at creaturæ essentialem per ipsam adipiscuntur a Deo dependentiam.

745. Hæc sunt, quæ de relationibus communiter a Philosophis, & Theologis nostri ævi traduntur: plurima, imo innumera sufficientibus non contenti de relationibus in disputationem verterunt Scholastici. Vobis autem hæc nosse sufficiat, scilicet 1. *plures adesse reales relationes, quæ videlicet ut sint, ab intellectus operatione non pendent*: 2. *relationem non esse aliquod accidens termino superadditum, & subjecto*: ac tandem, *relationem creaturæ ad Deum esse creaturarum essentiæ realiter quidem, non vero formaliter, ut ajunt Scholæ, identificatam.*

746. Certissima hæc sunt: quoniam vero non defuerunt, qui ea pernegarent, fundamenta perpendite, quibus innituntur. Quod igitur pertinet ad primum, nulli dubium esse potest, constitui aliquod in esse relativi per relationem: atqui plures quoque sunt relationes, quæ a mente non pendent; quis enim dixerit, opus esse intellectus similitudinem inter duo entia, dependentiam effectus a causa, æqualitatem inter duo corpora &c. ergo &c.

747. Tunc relatio non erit accidens extremis superadditum (& erit demonstratio secundi) quando fuerit ostensum. posse relationem percipi, non perceptis nisi extremis; si enim relatio esset &c. tunc profecto non extrema tantum, sed & illud accidens intelligi deberet, ut relatio perciperetur: atqui potest relatio intelligi solis intellectis extremis; si enim intelligatur corpus album *A*, & corpus similiter album *B*, nullo alio intellecto, statim *A* intelligitur simile *B*: atqui in hac similitudine rela-

relatio est posita, & tota consistit; ergo &c. consequenter &c.

748. Quod tandem ad 3. pertinet, prima ejus pars corollarium censeri potest secundæ; si enim essentia non est quid enti superadditum, debet profecto cum illo realiter identificari. Deinde si relatio creaturæ ad Deum esset quid ab ipsa creatura realiter distinctum, esset quoque ens aliquod reale; ergo & illa penderet a Deo; quidquid enim est, & Deus non est, a Deo pendet necessario: quomodo autem relatio hæc a Deo penderet? Per semetipsam, vel per aliquid a se realiter distinctum; Si primum; ergo cum possit hæc relatio a Deo pendere absque nova superaddita entitate, eccur non idem erit de creaturis asserendum? Si secundum, procederet quæstio in infinitum; ergo &c.

749. Secunda pars ita a Scoto enucleatur. *Dum dicimus*, inquit ipse loco cit. *esse relationem formaliter ab essentia creaturæ distinctam, intelligimus, creaturam non esse meram, & puram relationem, sed aliquod absolutum.* Hoc autem ex eo fit manifestum, quod si creaturarum essentia esset mera relatio, non posset profecto essentia intelligi creaturarum non percepta hac relatione: sed optime definiuntur, ac per consequens intelliguntur creaturarum species, intellectu ad dependentiam illam non respiciente; homo enim definitur: animal rationis particeps: mens humana: substantia intelligens regendo corpori ordinata: in quibus definitionibus nulla dependentiæ hujus fit mentio; ergo &c.

750. *Coroll.* Ex tribus hisce assertis, ac demonstratis patet, qua ratione 1. Pater in Divinis realiter Filium gignat, ac Spiritum Sanctum spiret; actiones enim istæ, prout notionales, meræ sunt relationes: patet 2. ab hujusmodi relationibus non aliquid essentiæ Divinæ superaddi: 4. tandem, tres Divinas Personas esse cum essentia identificatas realiter: & ab ipsa formaliter distinctas,

AR-

ARTICULUS IV.

De ente permanente . & successivo .

751. ENs *permanens* est illud , cujus omnes partes simul sunt, vel quod totum simul est.

752. *Coroll.* Igitur ens permanens poterit esse aut *divisibile*, aut *indivisibile*. *Divisibile* vero *permanens* dicetur, dummodo partes ejus simul sint semper, sed una ab altera possit separari.

753. Scotus triplex entis permanentis genus distinguit. Primum est illud , quod ita totum simul est , ut nulla ei vel imminutio, vel additio valeat fieri. Secundum , quod semper quidem simul permanet quoad substantiam, aliqua tamen in ipso deprehenditur modificationum successio. Tertium tandem, quod secundum aliquas partes manet semper idem, secundum vero alias continuo mutatur.

754. *Coroll.* Primum igitur ab immutabili non distinguitur: secundi specimen præbent substantiæ simplices, & creatæ: corpora denique organica viventia exemplum afferunt tertii.

755. *Ens successivum* illud nuncupatur, quod totum simul nunquam est, sed ita ejus partes sunt constitutæ, ut assiduo fluxu una alteri succedat, nec secunda habeatur, nisi prima intereunte , cujusmodi sunt tempus , & motus.

756. Quoniam de ente, quod dicitur permanens, & satis hucusque generaliter egimus , & sumus speciatim tractaturi in toto hoc philosophico opere, ideo superflua modo esset major de illo pertractatio: breviter duntaxat ens successivum , quantum ad Ontologum pertinet , inspiciamus.

757. *Entis successivi* nihil aliud nobis speciem, notionemque suppetit, nisi motus, & tempus: & licet æternitas quoque successivum quid nobis appareat , contendunt tamen ex Philosophis plurimi, eam successivam non esse. Ideo ergo primum de motu, & tempore sermo oc-

cur-

curret : nonnulla deinde, quæ æternitatem ſpectabunt, breviter aperientur.

758. *Motus* igitur, ſi notionem univerſaliter receptam inſpicere velimus, non aliud nobis innuit, niſi translationem mobilis ab uno iu alterum locum : ſed definitio iſta nimis popularis eſt, ſolique motui locali poteſt aptari ; ut igitur quæ Philoſophi ſunt, enucleemus, ita motus & debet, & ſolet communiter a Philoſophis definiri : *eſt tranſitus rei de non eſſe ad eſſe*, vel e contra.

759. Non tamen velim putetis, *per tranſitum rei de non eſſe ad eſſe* perſtrictam adeo eſſe motus notionem a Philoſophis traditam, ut ſola vel creatio, vel annihilatio motus dici poſſit ; etenim præter motum illum *creationis*, vel *annihilationis*, adeſt & *motus alterationis*, *generationis*, & *corruptionis*, *augmenti*, vel *decrementi*, ut Scholaſticorum verbis utamur. Quandocumque igitur res ab uno ſtatu ſubſtantiali ad alterum tranſit, quod contingit ex. gr. cum lignum tranſmutatur in ignem, aerem, cinerem &c. (quæ tamen dicimus juxta Scholaſticorum placita ; nos enim generationes iſtas, & corruptiones improbamus, & rejicimus, ut conſtabit in Phyſica) vel ejus qualitates mutantur, ſicuti dum corpus album fit nigrum, dum augetur, vel minuitur ejus volumen, creſcunt, vel decreſcunt ejus perfectiones, vires, imperfectiones &c. tunc res dicitur moveri.

760. *Motus* tandem *localis*, qui antonomaſtice *motus* dicitur, *eſt ſucceſſiva loci mutatio illius entis, quod moveri dicitur* : quæ definitio non Recentioribus tantum, ſed & ipſi Scoto probatur, qui propterea *l.* 4. *Phyſ. q.* 1. *Per motum*, inquit, *localem locatum movetur de uno loco ad alium* : & paulo infra : *motus localis*, ait, *eſt loci mutatio*.

761. *Schol.* Motum localem, alterationis, augmenti, & decrementi in inſtanti fieri non poſſe, tradunt unanimiter Philoſophi : tradidit & Scotus *in* 2. *Sent. diſt.* 2. *q.* 9. & & præſertim *lib.* 6. *Phyſ q.* 6. ubi hæc dilucidiſſima profert: *impoſſibile eſt, motum localem fieri ſubito*. Motum pariter non eſſe aliquod accidens rei motæ ſuper-

ad-

additum, sed solum esse ens in diversis locis successive constitutum, nemo ex Recentioribus fateri dedignatur: & idipsum Scotus expresse tuetur *lib. 3. Phys. q. 7.* dicens: *Motus localis non est fluxus, vel dispositio, vel res successiva inhærens mobili, ab omni re permanente distincta, sed est ipsum mobile, quod movetur.*

762. Verum hæc in præsentiarum circa motum sint satis; proprius enim de eo occurret sermo in Physica generali: & licet principia quoque Chronologiæ simus in Physica tradituri, tamen, ut quæ proferemus ibi clarius intelligantur, breviter explicandæ sunt notiones *æternitatis*, & *temporis*, quæ ad Metaphysicam juremerito spectant, cum sint aliquid sphæram sensuum superans.

763. In primis autem ingenue iterum fatemur, nos non posse mente comprehendere, quid tempus sit, quidve æternitas; ea igitur duntaxat trademus, quæ certissima sunt, quæque talia a posteriori, ut ajunt, vera, ac indubia deprehenduntur, licet eorum nullam a priori claram, distinctamque ideam venditemus.

764. *Ut temporis notio*, inquit P. Fort. a Brixia Phys. Part. p. 1. Diss. 6. n. 3725. *quæ valde implexa est, evolvatur, altius repetenda res videtur, explicandum scilicet primo, in quonam duratio rerum generatim consistat; cum enim tempus sit una durationis veluti species, tamdiu nos latebit temporis natura, quamdiu clara, distinctaque durationis notione mens nostra caruerit.*

765. *Duratio* igitur est continuata rei alicujus existentia. Dicitur *existentia rei alicujus, & continuata*; nisi enim res existat, non potest durare: & ut advertit P. Malgnan *Phil. Nat. cap.* XI. *in prop.* ad hoc ut dicatur res durare, non sufficit ejus existentia, quia hæc esse potest veluti instantanea, *sed requiritur series aliqua momentorum indivisibilium continuo æquabiliter fluentium, quibus præterlabentibus actualis illa existentia indesinenter correspondet.*

766. Bifariam duratio dividitur, in *absolutam* videlicet, & *relativam*. *Absoluta* est illa, qua continuata rei existentia consideratur non relata ad alia res, aut

ad

ad rerum motum, quo illa posset mensurari. *Relativa* autem illa dicitur, quam ex quodam respectu ad alias res permetimur. Primæ exemplum esset Dei existentia, si a nobis, prout in se est, perciperetur: secundæ vero est existentia mundi &c.

767. Divisio autem durationis, quæ maxime Eruditorum omnium ingenia detorsit, & nunc etiam crudeliter angit, est in *temporariam*, *æviternam*, & *æternam*. *Temporaria* illa dicitur, quæ & fine, & initio laborat: *æviterna*, quæ fine quidem caret, at suum agnoscit principium: *æterna* tandem, quæ & exordium, & terminum renuit. Si adæquata temporis afferri posset definitio, difficilis intellectu non esset notio *ævi*, seu *æviterni*: verum ambagibus hæc plena remanet, non secus ac illa.

768. *Tempus* itaque est aliquid prorsus imaginarium, quod percipitur ab hominibus in ipsa consideratione existentiæ mobilis alicujus: sic ex. gr. sol movetur, mens nostra percipit &c. quoniam non semper uno in loco sol consistit, nec eamdem mens elicit semper perceptionem; ideo consideratis locis diversis, in quibus sol constituitur, quoniam loca hæc successive ab eodem astro replentur, aliquod successivum nobis imaginamur, cujus partes correspondeant successive diversis illis locis a sole occupatis. Non absimili ratione idem dicendum est de perceptionum exemplo. Ut autem tempus percipiatur, mobilis istius motus & fine, & principio non debet carere.

769. Successio dupliciter considerari potest; vel enim secum fert seriem quamdam entium, quorum unum post alterum sequitur, & *successio* appellatur *physica*, seu *realis*: vel duntaxat intellectus, fundamento desumpto a motu alicujus mobilis, sibi distinctis vicibus, distinctisque perceptionibus durationem repræsentat alicujus entis, & tunc hujus *duratio successiva* dicitur *metaphysice*, *relative*, seu *imaginario*.

770. *Æviternum* itaque (licet a pluribus sit cum *æterno* confusum) est duratio rei alicujus, quæ cepit quidem aliquando, sed nunquam est desitura.

771. Co-

771. *Coroll.* Igitur (optime loco cit. infert Fort. a Brix.) potest tempus per successivorum æquabiliter, indesinenterque fluentium seriem mensurari: & cum sol inter cetera astra sit mobile illud, quod præ omnibus ordinatissimo, maximeque nobis apparenti motu cietur, ideo optime inquit Gassendus *Sect.* 1. *Phys. l.* 2. *c.* 7. posse cælum spectari, quasi generale quoddam horologium ad mensurandum temporis fluxum.

772. Implexa sunt ista, at non minori difficultate laborant, quæ de æternitate a Philosophis nonnullis traduntur. Æternitas itaque omnem prorsus durationem complectitur, ac proinde fine caret, & initio. Hæc per mentis abstractionem, ac per ideas negativas possunt aliquo pacto intelligi. Sed quis eam unquam comprehenderit, quam ex Boetio *de Consol. Phil. prosa* 6. tradit Scotus *Quolibet. q.* 6. æternitatis definitionem? *Est*, inquiunt ipsi, *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*. Quis, inquam, intellexerit, durationem infinitam posse simul totam consistere? Fateor equidem, me nullimode id assequi: at simul video, non esse definitionem hujusmodi necessario adprobandam: adhæreo potius Gassendo, qui *l.* 1. *Phys. c.* 3. licet omnem ab æternitate putet mutationem esse eliminandam: non veretur tamen, veram successionem metaphysicam in æternitate agnoscere: scilicet ab æterno nullum quidem fuit tempus, cum neque extiterit ullum mobile, nec ulla creata mens, quæ sibi mutuo succedentibus perceptionibus aliquid contemplaretur; solus enim Deus ab æterno extitit, cujus actio una semper fuit, & æterna: si tamen extitisset in æternitate mens aliqua finita, quæ vel in Dei, vel in suipsius contemplatione fuisset versata, hæc dimetita successivis perceptionibus fuisset durationem æternam. Nullum, inquam, si hæc admittantur, videtur mihi exinde posse absurdum deduci, & interim æternitatis idea pro modulo nostro semper magis explanatur; ad quid enim in rebus mere philosophicis mysteria confingere imperscrutabilia, dum nulla urget neque ex Revelatione Divina, neque ex ratione necessitas? Opponunt quidem

dem Adversarii Augustini testimonium ex libro desumptum 83. QQ. Q. 19. ubi inquit: *id inter immortale, & æternum interest, quod omne æternum immortale est, non omne immortale satis subtiliter æternum dicitur, quia etsi semper aliquid vivat, tamen si mutabilitatem patiatur, non proprie æternum appellatur, quia non semper ejusmodi est, quamvis immortale, quia semper vivit, dici possit*. Ex quibus videtur concludi posse, nullum tempus, quod semper mutabile est, posse in æternitate locum obtinere. Sed hæc ne minimum quidem nos movent; ut enim advertit optime Gassendus *Sect.* 1. *l.* 2. *c.* 7. testimonium illud Augustini considerans, *sumitur ab Augustino æternitas, non abstracte, seu præcise pro durationis specie, sed concrete, seu pro re æterna, Divina nempe substantia*, & ideo *quæstione cit.* S. Doctor semet exponens ait, ideo superiora se protulisse, *quia in æterno proprie sumpto neque quidquam præteritum est, quasi transierit, neque quidquam futurum, quasi nondum sit, sed quidquid est, tantummodo est, quia quod mutatur, non manet: quod non manet, non est æternum*. Ex quibus apertissime patet, tradidisse quidem Augustinum, æternum non esse successivum, nihil vero de ipsa æternitate statuisse. Quod vero ajunt, tempus esse mutabile: in primis, ut diximus, tempus ab æterno non erat: deinde tempus non afficit ipsam rem, quæ dicitur durare, sed est notio quædam imaginaria (n. 868.) extrinseca omnino rei, quæ tempori semper eadem correspondet.

773. *Schol.* In eorum sententia, qui æternitatem pro duratione sumunt, quæ tota simul sit sine ulla successione, æternitas non successiva tempori coexistit successivo. Successiva, inquiunt, non est, quia coexistere simul toti tempori, si tempus per impossibile totum simul foret: coexistit vero tempori successivo, quia quodlibet temporis instans complectitur æternitas. Abstrusissima hæc egregio prorsus exemplo Scotus aperuit in 1. Sent. dist. 39. q. un. *Si imaginemur*, inquit, *lineam rectam habentem duo puncta terminantia* A, & B: *sit* A *punctus* im-

immobilis, & B. circumducatur: ſic eſt de pede circini uno immobili, alio mobili B. B. circumductum cauſat circumferentiam ſecundum imaginationem Geometrarum, qui imaginantur, punctum fluens cauſare lineam. Hoc poſito, ſi nihil remaneat de circumferentia per fluxum ipſius B. ſed tantum in circumferentia ſit punctus iſte, ita quod quocumque inſtanti punctus iſte deſinat eſſe alicubi, tunc nihil circumferentiæ erit ibi, nec unquam circumferentia eſſet præſens ſimul centro, ſed tantum aliquis punctus in circumferentia. Si tamen tota circumferentia eſſet ſimul, tota præſens eſſet centro. Ita hic cum tempus non ſit circumferentia ſtans, ſed fluens, cujus circumferentiæ nihil eſt niſi inſtans in actu, nihil etiam ejus erit præſens æternitati, quæ eſt quaſi centrum, niſi illud inſtans, quod eſt quaſi præſens, & tamen ſi per impoſſibile poneretur; quod totum tempus eſſet ſimul ſtans, totum eſſet ſimul præſens æternitati, ut centro.

774. *Coroll.* Ex hucuſque dictis patet, cur tempus longiſſimum perquam breve illis appareat, qui in aliquo objecto conſiderando profunda meditatione verſantur, & cur idipſum ferme nullum illis videatur, qui jucundo detinentur ſpectro; *propter delectationem enim*, inquit Scotus l. 4. Phyſ. q. 17. *& uniformitatem imaginationis, anima judicat, tempus eſſe brevius. Et cauſa hujus eſt, quia quanto eſt major delectatio, tanto eſt major quietatio imaginationis, & propter majorem quietationem minus percipitur ſucceſſio. Secunda, quia nunquam percipitur tempus, niſi percipiatur motus imaginationis, ut declarat Ariſtoteles de dormientibus; igitur quanto minus percipitur motus imaginationis, brevius apparebit tempus..... Contra triſtitia facit animam judicare, tempus eſſe longius, quia propter imaginationis inquietationem percipitur major ſucceſſio, quam ſit in rei veritate.* Ex quibus tria corollaria optime Scotus idem intulit. 1. *Quod cum Anima exiſtens in delectatione judicat, tempus eſſe brevius, & non judicat, ſpatium pertranſitum eſſe minus, ſequitur, quod judicat, motum, quo ſpatium pertranſi ur, eſſe acceleratum. 2. Sequitur, quod motus uniformis poteſt appa-*

rere alicui difformis, & continuo accelerari propter solum motum delectationis. 3. *Cum habens majorem delectationem judicet, tempus esse brevius, & motum velociorem, sequitur, quod qui haberet infinitam delectationem, judicaret motum fieri subito*.

775. Plura de tempore essent tradenda: verum cum hæc perspicue nequeant intelligi, nisi principia Astronomiæ sint explicata, ideo in Physica particulari de multiplici temporis divisione in *Periodos*, *Cyclos*, *Sæcula*, *Lustra*, *Olympiades*, *Annos*, *Menses*, *Dies*, & *Horas* fuse agemus.

ARTICULUS V.

De ente finito, & infinito.

776. QUodlibet ens aut *finitum* est, aut *infinitum*; aut enim ejus essentia determinatur ab aliquo, aut nullo circumscribitur fine. Ut igitur ea intelligantur, quæ de Deo in tertia hujus metaphysicæ parte sumus dicturi, tum quæ de creaturis in Cosmologia dicemus, breviter aperiamus oportet, quæ de ente finito, & infinito generaliter inspectis tradidere, traduntque Philosophi.

777. Nolentes autem jam attulimus finiti, infinitique notiones. *Ens* itaque *finitum* philosophico in sensu explicatum illud est, quod certis, statisque limitibus coercetur. *Infinitum* vero idem sonat, ac ens omni carens fine, seu termino.

778. *Schol.* Videtis jam, definitiones istas negativas esse; finitum enim ulteriorem perfectionem citra proprios limites denegat: explicatur itaque per negationem majoris perfectionis. Infinitum vero cum sit illud, quod omni fine caret, agnoscitur per negationem determinationum.

779. Infinitum aliud *relativum* est, aliud *absolutum*. Illud dicitur *absolutum*, quod in suo genere amplius augeri nequit: illud vero dicitur relativum, quod licet in se queat augeri, qui tamen ejus sint limites, non comprehenditur a nobis. Infinitum relativum dicitur etiam in-

indefinitum: talis est materia in sententia Cartesii, finita nempe absolute, & infinita relative, seu indefinita, quia ejus termini, & limites non possunt a nobis ne imaginatione quidem comprehendi.

780. *Schol.* 1. Thomas Hobbesius *in lib. de Cive c.* 15. putat, nullum dari infinitum absolutum, sed ea, quæ a nobis infinita dicuntur, esse tantum *indefinita*. *Quando enim dicimus*; inquit ipse, *aliquid esse infinitum, non aliquid in re significamus, sed impotentiam in animo nostro tamquam si diceremus: nescire nos, an, & ubi terminetur*. Verum. ut optime Genuensis advertit *Met. par.* 1. *def.* 65. hæc viri doctrina omnino falsa est; nam præter infinitum relativum, est etiam infinitum absolute, cujusmodi Deum esse in Theologia naturali ostendemus.

781. *Schol.* 2. Scholastici alteram infiniti tradidere divisionem: aliud scilicet dixerunt infinitum *cathegorematicum*, seu *actu*: aliud *syncathegorematicum*, seu *in potentia*. *Infinitum actu* illud appellarunt, quod termino caret, nec amplius perfici potest. *Infinitum* vero *in potentia* dixerunt illud, quod limites quidem actu habet, sed augeri, ac perfici in infinitum potest. Verum infinitum illud in potentia, sicuti & infinitum relativum improprie tantum infinita dicuntur.

782. *Schol.* 3. Ad infinitum in potentia pertinent effata illa in Scholis frequentissima: *Infinities* nempe *infiniti*. Ex. gr. numerus creaturarum possibilium dicitur *infinities infinitus*, quia non solum valent creaturarum species in infinitum augeri, verum & specierum individua queunt in infinitum multiplicari: non quod numerus aliquis infinitus sit possibilis, sed quia cuicumque creaturarum numero semper fieri potest additio.

783. Tandem aliud est infinitum *metaphysicum*, aliud *mathematicum*: utrumque est *infinitum actu*: sed primum *reale* est, secundum vero *pure ideale*; infinitum enim metaphysicum est Deus: infinitum vero mathematicum est sola idea mentium Geometrarum. Videte autem, quale sit infinitum istud. Cum animadvertissent Mathematici, posse quamlibet quantitatem, seu numerum, in infinitum

augeri, sibi imaginati sunt vel datam lineam, aut spatium, aut superficiem infinite protensa. En igitur infinitum mathematicum. Similiter supponunt aliquando numerum aliquem per progressiones arithmeticas in infinitum divisum: hujusmodi autem progressiones proportione continua geometrica decrescentes *series infinitas* appellarunt. Sic ex. gr. si unitas decrescat semper in ratione dupla, habebitur series infinita fractionum, quæ etiam infinitæ simul sumptæ nunquam cum unitate quoque duarum unitatum summam conficient: sic series illa quantitatum, si pro termino *o* statuatur, erit infinita, nec omnes quantitates possibiles simul sumptæ conficient summam duarum unitatum: $1, \frac{1}{2}, \frac{1}{4}, \frac{1}{8}, \frac{1}{16}, \frac{1}{32}, \frac{1}{64}$ &c. &c.

784. Infinitum mathematicum dividi solet in *infinite magnum*, & *infinite parvum*: illud est, cui nulla fieri potest additio: hoc vero, quod nullimode potest minui.

785. Licet autem non inutiliter fuerint hæc sibi Mathematici imaginati, ut illis in problematibus solvendis circa curvarum rectificationes uterentur, tamen, si limites proprios ideæ hujusmodi excedant, & personam aliquam induant, sive ex abstractis concretæ fiant, protinus falsæ, & deceptrices reperiuntur: quapropter ne incautis quis error propinetur, en

786. PROPOSITIO

Infinitum ex entibus finitis, licet numero infinitis, nequit coalescere.

787. PRob. Et sane ponamus, corpora infinita numero, sed entitate finita simul conjungi, efficient quidem longitudinem infinitam, semper tamen latitudinis extrema erunt finita, alias unumquodque ex illis corporibus foret entitate infinitum. Ergo corpus illud semper quibusdam finietur limitibus; ac per consequens erit finitum (n. 777.); igitur &c.

788. *Coroll.* Ergo infinitum neque per additionem consurgere, nec partibus valet componi; aut enim omnes istæ

istæ partes infinitæ numero, entitate etiam infinitæ sunt; aut finitæ? Si infinitæ; ergo pars quælibet totum adæquabit, quod est absurdum. Si autem statuantur finitæ, jam (n. 787.) patet, infinitum non posse componere. Quod vero dicimus de partibus, idem quoque dicendum est de variis entitatis gradibus, ex quibus entitas tota consurgit, ut patet.

789. *Coroll.* 2. Nulla extensa magnitudo valet infinito adjudicari; quælibet enim extensio ex partibus consurgit; sed infinito partes repugnant (n. 788.); igitur &c.

790. *Coroll.* 3. Infinitum neque augeri, neque minui potest; quod enim augetur, per additionem fit majus: quod minuitur, per partium, aut graduum entitatis subtractionem fit minus. At nullæ partes, nulli quoque entitatis gradus in infinito adinveniuntur (n. 788.) ergo; &c.

791. *Coroll.* 4. Igitur quod est infinitum, est immutabile; quod enim mutatur, aut per novi accessionem, aut per veteris subtractionem mutatur; sed infinitum neque augeri, neque minui valet (n. 790.); ergo &c.

792. *Coroll.* 5. Sicut infinitum nequit minui, ita nec finita quantitas adeo potest augeri, ut infinita evadat; hoc enim augmentum haberetur per additionem; atqui infinitum additionis est incapax (n. 788.); ergo &c.

793. *Coroll.* 6. Tandem neque ex finito simul cum infinito potest aliquod consurgere infinitum; repugnat enim, quod infinitum ex partibus coalescat (n. 787.). Deinde infinito nulla fieri potest additio (n. 790.). Ac tandem illud infinitum, cui pars uniretur, non esset amplius infinitum; careret enim illa parte: aut si illam contineret, non posset ipsi recens addi. Igitur &c.

794. PROPOSITIO II.

Plura entia, quæ singula sint infinitæ entitatis, ne sunt quidem possibilia.

795. PRob. cum S. Thoma *lib. cont. Gent. c.* 42. Aut unumquodque ex hisce entibus perfectiones omnes

omnes complecteretur alterius, aut non contineret? Si primum; ergo non plura, sed unum esset Ens infinitum: si secundum; ergo nullum esset infinitum; unicuique enim addi possent perfectiones alterius: at infinito repugnat additio (n. 788. 790.): ergo &c.

796. Prob. 2. ratione, quam affert Scotus *Quolibet*. *q.* 5. *Plura bona excedunt in bonitate idem bonum unum, & hoc quando in quolibet eorum est æqualis bonitas, sicut in unoquolibet eorum. Ergo illa plura bona excedunt in bonitate illud unum bonum: & ita illud unum non est infinitum*. Ergo &c.

797. Propositio III.

Nulla quantitas infinite parva est possibilis.

798. Prob. cum Sagnerio *Ontol. Sect* 4. *c.* 6. *Quemadmodum numerus, & magnitudo continuata additione crescunt, ita continuata subtractione imminuuntur: ex. gr. ab integro subtrahatur ejus dimidum, remanet* $\frac{1}{2}$: *si ex* $\frac{1}{2}$ *subtrahatur denuo ejus dimidium, remanet* $\frac{1}{4}$: *si ex* $\frac{1}{4}$ *subtrahatur denuo ejus dimidium,* $\frac{1}{8}$ *relinquitur: & ita porro. Ex quo autem clare cognoscitur, si existere debeat infinite parvum, quod scilicet imminui nequeat, illud emergere debere ex quantitate data per numerum infinite magnum divisa: atque adeo nisi numerus infinite magnus sit possibilis, infinite parvum possibile non est. Enimvero numerus infinite magnus possibilis non est: nec adeo possibile est infinite parvum.*

799. Huc autem tota ista ratiocinatio refertur. Supponatur unitas aliqua divisa: ut habeatur ejus pars infinite parva, exquirenda est fractio minima infinite: eo autem magis fractio minuitur, quo, eodem permanente numeratore, crescit denominator, ut constat ex Arithmeticis; ergo, ut habeatur fractio parva infinite, necessarius est denominator magnus infinite. Atqui hic impossibilis est (n. 788.); ergo &c.

Finis Ontologiæ.

METAPHYSICÆ

PARS SECUNDA

COSMOLOGIA.

800. Icut Ontologia, in qua sumus hucusque abunde satis versati, fundamentum haberi potest, & basis non Philosophiæ tantum, sed & scientiæ cujusque: ita quoque Cosmologiam, ad quam tradendam jamjam accedimus, Theologiæ demonstrandæ naturali, & rectæ nobis comparandæ ideæ de universo non inservire tantum, sed & absolute necessariam esse, is tantum poterit inficiari, qui res ipsas metaphysicas primis, ut ajunt, labris non degustaverit, & præsentium Libertinorum, Incredulorumque errorum plane fuerit ignarus. Illa enim generalissimas entis affectiones tradit, & notiones: hæc autem naturam entium mundanorum considerat, eorum nexum investigat, ordinem perpendit: quibus recte consideratis, bene propositis, ac valide confirmatis, vix fieri potest, quod, dum agimus de existentia Dei, de ipsius attributis, de ea, qua nos regit, & gubernat, sapientissima providentia, vix, inquam, fieri potest, ut erremus.

801. *Cosmologia* itaque, ut ex ipsa ætymologia nominis patet, sermonem significat de mundo; *Cosmos* enim græce *mundus* latine vertitur: & *logos* sermonem indicare, jam alias adnotavimus. Quod siquis a me exquirat, num partem hanc Philosophiæ præstantissimam ante Recentes prisci excoluerint Philosophi, dicam breviter quod sentio. Wolfius *in præfatione ad suam Cosmologiam* hæc proferre non dubitat: *Inauditum in Scholis nomen est Cosmologia generalis, quam & trascendentalem appellare soleo, nec ullus Metaphysicorum de ea cogitavit vel illis temporibus, quibus spissa de Metaphysica volumina conscribebantur*. Hæc scilicet habet Cl. Auctor. Sed si rem hanc

serio tantisper perpendamus, videtur mihi Wolfius, nonnisi per injuriam sibi gloriari de hoc primatu posse, & Scholasticos, seu potius vetustos omnes, & recentes ipso priores Philosophos hujus disciplinæ neglectus carpere; si enim Cosmologicam scientiam ad nomen tantum Wolfius coarctet, & Cosmologiæ vocabulo tractatum intelligat peculiarem, in quo de mundo differatur, fateor equidem nullos ferme ante Wolfium Metaphysicos de Cosmologia peregisse: at si ipse velit, omnia, quæ ab eodem sunt in Cosmologia tradita, nova fuisse, & inaudita Veteribus, hoc pace sit dictum tanti Viri, illud erit, quod perpetuo inficiabor. Quid enim nobis in sua Cosmologia Wolfius tradit, quod saltem sparsum non adinveniatur in aliorum Metaphysicorum operibus, & quidem juxta temporum conditionem pro dignitate pertractatum? De natura ipse differit rerum mundanarum, de Universi ordine, & perfectione. At quis S. Thoma, & Scoto de his subtilius validiusque locutus est? Elementorum corporeorum naturam, & inde resultantia corpora, quibus moventur, leges nobis Wolfius explicat. At quis unquam Physicorum, saltem recentium, hæc omisit? Vere igitur Cosmologicum totum simul integrum corpus non est nobis a Veteribus amandatum: sed omnia, quæ nunc in Cosmologia traduntur, fuisse ab ipsis profundissime enucleata, nemo denegabit, qui consideret, Scholasticos veteres, nec spicilegium quidem posteris reliquisse, quod in sua uberrima messe rerum Metaphysicarum non arripuerint. Quidquid tamen de hoc sit, nos provinciam hanc suscepturi, in plures eam partes dividemus. Prius nempe agemus de natura entium mundanorum: illorum deinde nexum, ordinemque contemplabimur: progrediemur deinde ad mundi investigandam originem: ac tandem cetera circa mundum ipsum scitu nec indigna, nec injucunda in medium proferemus. Quod vero pertinet ad essentiam elementorum corporeorum: ad corporum constitutiva principia: ad leges, quibus motus quilibet in rerum hac natura perficitur: quæ omnia sibi æquo jure vindicare videtur Cosmologia: non una de causa Physicæ generali reservamus.

Sectio I.

De natura entium mundanorum.

802. NOn hic inquirimus in proprietates, & affectiones eorum entium, quæ in hoc mundo suis operationibus se existentia demonstrant; nostro enim scopo foret hæc quæstio prorsus inutilis; quapropter quæ pertinent ad corpora physicis relinquentes: quæ ad animas, quantum ad rem præsentem spectat, infra dicendis reservantes: quærimus duntaxat modo, utrum hæc mundanorum congeries causam habuerit producentem, vel potius ejus sit naturæ, ut a se, & per se potuerit semper existere.

803. Cum Idealistis, iis nempe, qui corporum denegant existentiam, modo non congredimur; licet enim nihil ineptius hoc commento valeat a fanaticis defendi, cum tamen nobis idem perinde sit, sive corporum, sive idearum concedatur existentia, inutilem hanc quæstionem libenter omittimus.

Articulus I.

Errores Impiorum circa naturam entium mundanorum.

804. DE natura entium mundanorum turpiter ii omnes opinati sunt, qui eam agnoverunt improductam, vel saltem de ejusdem productione addubitarunt. Omnibus ferme veteribus Philosophis illud solemne fuit, ut nempe materiam aliquam informem, æternam, & ingenitam, quam *Chaos* appellarunt, admitterent: licet ejus oblinitionem, seu corporum formationem supremo Numini adjudicarent. Ne testimoniis Philosophorum innumeris paginas repleamus, legat, quem juvat, Cl. Genuensem in *Dissert. de orig. rerum corporearum*, tum 1. Metaph. parti, cum etiam operibus Musschenbroekii præfixa. Errarunt igitur ferme omnes Veteres in natura mundanorum entium consideranda, supremum tamen agnoverunt Nu-

Numen, a quo materiei ordo ille tam elegans, quem Pythagoras omnium primus, teste Plutarcho, *Mundum* dixit, fuerit tributus. Ad impietatem simul, & insaniam propius accesserunt Democritici, & Epicurei, lætales scilicet omnium recentum Libertinorum radices. Putavit ergo Democritus, extitisse ab æterno atomos quasdam indivisibiles, & improductas, propria scilicet essentiæ vi existentes: atque vi eadem per inane infinitum motu æterno, necessario, & rectilineo percitas mundum hunc tum sensibilem, cum a sensibus fugientem formasse. Patent hæc ex Laertio *l. 9.* ac Stobæo in *Ecloga physica* c. 8. Perspiciens autem Epicurus, atque ex Epicuro Lucretius *de rerum natura l. 2. v. 218. & seqq.* statutas quidem fuisse a Democrito concretiones corporeas ex atomis, at impossibiles eas esse, si supponantur atomi motu perenni, & rectilineo percitæ: quamdam excogitavit ejusdem motus declinationem, ita ut potuerint indivisibiles illæ particulæ sic se moventes motu suo in se invicem impingere, & concretiones formare. Sed cum deinde perviderit, nullam hujus declinantis, seu irregularis motus statui posse causam; non enim ex Epicuro Deus exillit, & atomi, utpote corporeæ, ad rectilineum motum sunt determinatæ; ideo hunc motum in corporum elementis agnovit, at nullam simul ejusdem causam admisit; ac per consequens purum, ut inquiunt, casum in mundum invexit. *Casus* enim *est numerus effectuum nulla præscientia, nulla providentia, nulloque ordine, atque neque ex certis, statisque causis erumpens*, ut inquit Cl. Genuensis *Met. part. 1, defin. 59.* In Epicuri sententia casum hunc manifeste deprehendit Tullius *in lib. de Fato*. Et licet videantur Lucretius, & Epicurus ordinem, seriemque causarum statuere, quæ *certis naturæ fœderibus*, ut inquit idem Lucretius, *ad mundos conficiendos, aut dissolvendos convenerint*, ut optime advertit Genuensis citatus: attamen ad summum valet ostendere Cl. Metaphysicus, contradicentia Philosophos istos tradidisse, non vero purum casum haud fuisse amplexatos. Cum enim omnes creaturarum, tum quæ liberæ, cum quæ

quæ naturales a nobis dicuntur, actiones in hoc motu statuantur, & motus iste casualis omnino sit, seu a nulla causa profluens, ipsæ quoque actiones puro casui, seu nulli causæ subjicientur. Quidquid autem de hoc sit, illud indubium est, Democriticos, & Epicureos omnia, quæ sunt in mundo, sive ea substantiæ sint, sive substantiarum modificationes, a nulla esse causa producta, fuisse arbitratos.

805. In hanc eamdem insaniam prolapsi sunt plures ex recentibus Incredulis, vel mundi productionem absolute pernegantes, vel saltem eam a Metaphysicis demonstratam non agnoscentes. At quid mirum? *Nemo ægrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philosophus*: optime inquit Varro *in Fragm.* Nequid igitur dicam de Spinoza, cujus deliria sequenti in capite referentur: sufficiat modo impios recensere D. S. *Euremondi*, *Voltairium*, *Maupertuisium*, *Tollandum*, *Russojum*, *Helvetium*, aliosque, quorum primus (in opere cujus tit. *Jugement sur le Sciènces* T. I.) & secundus (*Lett.* 25. *sur les pensèes de M. Paschal.*) temerariam, & perniciosam esse rentur demonstrationem de contingentia, seu productione mundi. Maupertuisius autem (*in Essai de Cosmologie*) arbitratur, sua probabilitate non destitui Epicureorum opinionem: cui ferme concinit Auctor libri inscripti *Pensèes Philosophiques* §. 17. 18. dum tradit, quod: *non alibi* (ejus verba ex gallico in latinum vertimus sermonem, quod semper quoque præstabimus in seqq.) *præter quam in operibus Nevvtoni*, *Musschenbroekii*, *Nieuventitii reperta fuerunt argumenta demonstrativa Entis summe intelligentis*. Tolandus (*Lett.* 3. *a Serena*) motum necessarium in materia agnoscit: at de hoc Incredulo, ubi de Spinoza differetur. Russojus tandem (*Emile T.* 3. *pag.* 55.) & Helvetius (*Del' Esprit Discour.* 3. *chap.* 9.) Deum quidem videntur agnoscere, sed subdole loquuntur; primus enim loc. cit. inquit: *hic vero mundus est ne æternus, vel increatus? Existit ne unum rerum principium? Sunt ne duo, vel plura? Ecquænam eorum est natura? Hæc omnia ignoro: scire autem quid ad me?* 806. Se-

806. Secundus autem materiam a Deo creatam agnoscit, sed formationem mundi casui tantum attribuit: sicque, si fieri posset, argumenta nituntur metaphysicis subripere, quibus evidentissima compingitur alicujus entis a se, nempe Dei demonstratio.

807. Mirabodius quoque celebris hujus sæculi perditissimus incredulus, quem pluribus jam impetiit elegantissimus Aloysius Brenna in immortali opere Florentiis edito *de generis humani consensu in agnoscenda Divinitate*: & nuperrime omni argumentorum robore Vir Cl. nunquam satis commendandus Antoninus Valsecchi *in lib. cui tit. Religio victrix*, solide confutavit: nec Deum agnoscit, nec per consequens mundanæ productionem materiæ; inquit enim *part. 1. c. 2. Quando quæritur, undenam in medium prosilierit materia, nos respondebimus, eam semper extitisse. Si quæratur, undenam in materiam derivavit motus, respondebimus, illam debuisse semper toto ævo moveri, cum motus necessario & existentiam, & essentiam, & primas materiæ proprietates consequatur.*

808. Omnium tandem Philosophantium pessimus, qui impiis cæteris præripuisse palmam videtur, habendus est Benedictus Spinoza; hic enim novum de Deo, & creaturis excogitavit, seu potius ab aliis excogitatum, iterum ordinavit systema geometrica ornatum methodo, qua Divinitatem omnem de medio tollens, incautis facilius fucum faceret, & imperitis. Huc autem impia omnia ejus deliramenta referuntur. *Ethicæ par. 1. def. 23.* inquit: *per substantiam intelligo, quod in se est, & per se concipitur*: hoc est, illud solum ex Spinoza debet dici substantia, quod a causa producente non pendet: *in Coroll.* enim *prop. 6.* hæc habet. *Hinc sequitur, substantiam ab alio produci non posse. Nam, si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suæ causæ penderet (per Axioma 4.) adeoque (per defin. 3. non esset substantia.* Statuta ergo hac pessima substantiæ definitione, en absurda inde legitime deducta. *Hinc sequitur, nullam substantiam produci posse* (ibidem). Ergo cum plura sint in mundo, hæc omnia unam constituunt.

tuunt substantiam. Hæc ergo improducta substantia Deus est, & hic mundus ab ipso Deo non distinguitur. At in hac rerum universitate multa sunt extensa, plura cogitantia. Extensus igitur, & cogitans est Deus (*loc. cit. par. 2. prop. 2.*); sicque non absimili ratione, cum Deus sit infinitus, sequitur, *omnem substantiam esse necessario infinitam: substantiam absolute infinitam esse indivisibilem: & Deum esse rem extensam: prop. 8. 13. & 14.* Una igitur ex Spinoza est in mundo substantia, nempe Deus: reliqua vero, quæ a nobis creaturæ dicuntur, sunt modificationes illius infinitæ substantiæ. Cumque ea, vel corporea, vel spiritualia sint, duobus hisce attributis Deus gaudebit, infinita nempe extensione, & infinita cogitatione. Ex quibus hæc colligere præstat, quod cum attributa Dei sint necessaria, in rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate Naturæ Divinæ determinata sunt ad certo modo existendum, & operandum (*sic. prop. 29.*). Quæ Spinoza protulit, ad apicem quidem impietatis fuerunt perducta, non tamen est cur credamus, primum omnium impium Hebræum hoc systema adinvenisse; Spinozæ enim plures ex Veteribus præiverant: Stoici imprimis, e quorum numero Seneca *l. 1. QQ. nat. c. 45.* hæc proferre non dubitavit. *Vis Deum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides: Totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua.* Plato, Aristoteles, Virgilius, pluresque alii ex Veteribus Spinozismi, seu Pthaneismi insimulantur. Ego autem libenter Genuensi assentior, qui *par. 3. Met.* §. 27. putat, *a Veteribus omnia cum emphasi dicta fuisse, ut pro eo, quod Deus est ubique, omnia Dei nomine vocaverint*; quis enim impudentissimo Atheorum omnium patrono concedat Tolando, omnes omnino Veteres, non solum Ethnicos Pantheistas fuisse, sed & ipsum Moysem, & cæteros Religionis nostræ Prophetas Sanctissimos (legantur *origines Judaicæ pag. 256.*) hac eadem peste laborasse? Idem videtur cum Tolando sentire Popii Latinus Traductor *ep. 1. v. 470. comment. de Homine.* Sed quantum valeant impiorum artes, modo breviter demonstremus.

Ar-

ARTICULUS II.

Recensiti errores refutantur.

809. PROPOSITIO I.

Hujus mundi substantia ita est, ut potuerit non esse, scilicet est contingens.

810. D. Elementa, seu substantia hujus mundi, perpetuæ subduntur variationi: sic conspicimus arbores quotidie germinare, & arescere: aquam modo fluidam, modo solidam fieri: nullum denique esse corpus, quod perpetuæ modorum vicissitudini non sit obnoxium. Sed quod est mutabile, est quoque contingens (n. 628.); substantia igitur, seu elementa corporea hujus mundi sunt contingentia.

811. 2. Si corporum elementa contingentia non forent, necessaria gauderent existentia, scilicet essent a seipsis; igitur essent immutabilia (n. 628.) essent per consequens infinite perfecta; etenim quod non est infinite perfectum, aliquam recentem valet adipisci perfectionem, & ideo potest mutari. Vere igitur quod est a se, debet esse infinite perfectum: sed nullum ex elementis mundanis est infinitum, alias plura darentur infinita, quod est absurdum (n. 794.): neque omnia simul conjuncta totum constituunt infinitum, cum quod est hujusmodi, nequeat ex partibus constare (n 788.); ergo cum substantia mundana infinite perfecta non sit, nec est immutabilis, atque adeo non est a se: est igitur contingens.

812. Sed contra 1. demonstrat. sic videtur argumentari Spinoza *par* 2. *Ethicæ*. Mutabiles quidem sunt elementorum mundanorum modificationes, non vero demonstratur, substantiam aliquo pacto mutari. Cum igitur illud tantum mutabile sit contingens, quod transit de non existentia ad existentiam, cumque semper fuerint elementa corporea, & quidem necessario, ea contingentia non sunt; ad summum igitur contingentia evincitur modorum.

813. At verbis ludit in re maxima maledictus homo;

mo; qui enim fieri potest, ut substantia illa immutabilis intrinsece sit, seu sit a se, quæ diversis subditur modificationibus? Nos equidem superiori allata demonstratione non immediate evicimus contingentiam substantiæ: bene autem modorum, qui in substantia conspiciuntur, hoc autem demonstrato, statim quoque ostendimus, mutabilitatem modorum secum ferre mutabilitatem substantiæ, cujus sunt modi. Etenim aut modi hujusmodi dicuntur necessario erumpere a substantia, aut contingenter. Non primum, quia materiam conspicimus prorsus indifferentem ad quemlibet suscipiendum modum, atque ut Physici demonstrant, est omnimode iners. Neque secundum; in primis enim hoc manifeste Spinozistico adversatur systemati, quod modificationes Dei, seu corpora visibilia emanationes asserit essentiales ejusdem infinitæ substantiæ. Deinde si contingenter erumpant; ita ergo prodeunt, ut potuerint non prodire; causa ergo requiritur, quæ ad existentiam potius, quam ad non existentiam eos determinaverit. Sed hæc causa quænam est? vel ipsa substantia, vel quidpiam a substantia distinctum? non ipsa substantia, quippe cum hæc per Spinozam libera non sit, quidquid agit, necessitate agit naturæ propriæ; modos ergo necessario ad existendum determinaret, ac per consequens ita ab ea substantia prodirent, ut non possent non prodire; non igitur erumpunt contingenter. Quod si ab alia causa extra ipsam infinitam substantiam ad existendum determinantur; ruit igitur unitas pantheistica substantiæ. Cum ergo neque necessario, neque contingenter possint modi ab hac infinita substantia produci, & tamen in ipsa substantia sint, sequitur eos non esse a substantia diversos. Vere igitur staturis modificationibus hujus mundi mutabilibus, immutabilis repugnat ea substantia, in qua variatio accidit modorum.

814. Deinde vel modi hujusmodi perfectiones sunt substantiæ mundanæ, vel imperfectiones? Si perfectiones, ergo cum modi successivi sint in substantia (n. 810.) non omnibus simul gaudebit hæc substantia perfectionibus; ac per consequens erit mutabilis. Si vero imper-

fec-

fectiones dicantur; substantia igitur hujusmodi non erit amplius perfectissima, & ideo non infinita, non existens propriæ necessitate naturæ.

815, PROPOSITIO II.

Progressus infinitus causarum repugnat, sive fingatur rectilineus, sive statuatur circularis:

816. Duplicem sibi imaginantur Increduli hanc causarum seriem infinitam: unam, quæ tamquam linea recta, ut inquiunt, principium non habeat, & finem: alteram vero, quæ veluti circulus in se ipsam redeat, ita ut ultimum contingens quasi primum producat. At prima simul, & secunda repugnat, ac desperatam Incredulorum causam evidenter ostendit.

817. D. 1. pars. In primis igitur hæc infinita, ut fingitur, series partibus constaret, quæ infinito repugnant (n. 788): deinde vel omnes hujusmodi causæ statuuntur a se, vel omnes fortuitæ, aut earum prima est a se, reliquæ vero dicuntur contingentes. Primum, & tertium est contra hypothesim: ac insuper, si omnes sint a se, essent simul a se, ut supponitur, simulque forent contingentes, quia una alteram produceret. Quod si prima dicatur a se, jam in infinito limites supponuntur, quod infiniti destruit notionem (n. 777.) Si tandem omnes statuantur fortuitæ, fortuita ergo quoque erit ipsa contingentium series, quippe totum naturam sortitur partium; ergo illius existentiæ nulla dabitur ratio sufficiens; sed hoc repugnat (n. 503.) repugnat igitur series infinita causarum &c.

818. D. 2. pars. At nec minus repugnat circularis. In primis enim dum circulus formatur, datur primum, & ultimum figuræ punctum: & licet post descriptam peripheriam nec primum, neque ultimum valeat indigitari ejusdem punctum, attamen, cum nunc agamus de serie successiva causarum, quæ modo suos producunt effectus, dummodo primum constet, id satis, superque est,

est; ut veritas nostræ propositionis elucescat. Deinde, quomodo ultima causa primam valeat producere, non videmus; causa enim omnibus Metaphysicis fatentibus debet saltem naturâ effectum præcedere; ergo erit simul prior, & posterior: erit prior, quia primam producit: erit posterior, quia est effectus saltem mediatus, seu remotus primæ. Et licet in circulo ultima pars evadat veluti prior prima, nullum tamen circularis figuræ punctum alterum punctum producit: sed hac in hypothesi una causa alteram gignit; ergo &c.

819. PROPOSITIO III.
Tota series mundanorum est contingens.

820. D. Supponamus, A producere B: B, C: C, D &c. ratio sufficiens D erit in C: C in B: B, in A. At si A contineat rationem sufficientem B, supponi debet jam existens; aut igitur existit a se? & erit simul contingens, & non contingens: aut ab alio? & hujus quoque debet dari ratio sufficiens. Vel ergo datur progressus causarum in infinitum: aut ipsa series est contingens: sed progressus causarum infinitus repugnat (n. 815.); ergo &c.

821. Respondent Increduli. Anima, & corpus divisim sumpta vim non habent sentiendi: at si invicem conjungantur, eam statim adipiscuntur. Corpus quodlibet est finitum, habet tamen partes infinitas. Quodlibet tandem ens singulare est, & individuum: si vero sumatur series ipsa, nec singularis est, nec individua. Omnia igitur hæc ad evidentiam ostendunt, posse singula entia mundi esse fortuita, quin tamen series ipsa debeat esse contingens.

822. At frigida hæc omnia sunt; quod enim pertinet ad primum: quid intelligunt impii nomine sensationis? Certe motum corporis perceptum ab anima. Corpori igitur nequit sensatio convenire, quippe corpus non percipit: nec soli animæ valet hæc vis adjudicari, cum spiritualis anima non possit moveri: si tamen invicem

hæc duo entia copulentur, dummodo exerat unumquodque operationes sibi consonas, & proprias, scilicet moveatur corpus, percipiat anima, sensatio statim habetur, quæ non simplex, ut patet, sed composita est operatio. Sed responsio ista argumentum impetit, quod supponitur a cordato Philosopho propositum: necessaria tamen non est ullimode, si objiciatur ab Incredulo, quippe quam animam a corpore diversam valet ille confingere, qui nihil præter materiam agnoscit?

823. Reliqua vero ex verborum æquivocatione oriuntur. Finitum, & infinitum ibi accipiuntur diverso sensu; nam quodlibet ens est finitum penes vim activam, series vero est infinita penes numerum entium, ex quibus constat. Item singularitas est præcisa notio, qua repræsentamus nobis collectionem omnium proprietatum, per quas ens unumquodque ab alio differt: quare est cuique enti peculiaris, non omnibus communis. At *esse ab alio* est commune singulis entibus, & ideo convenit toti entium seriei: sicuti si entia singula essent materialia, recte series integra materialis diceretur.

824. *Schol.* 1. Hac propositione (n. 815.) evincitur duntaxat, repugnare seriem causarum in infinitum, non autem quodlibet infinitum; licet igitur contendant plures ex Philosophis, quodcumque corpus esse in infinitas partes divisibile, nulla tamen reperitur in hoc contradictio, quia admittunt in primis, totam molem corpoream fuisse a Deo creatam, nec asserunt unam corporis partem esse causam alterius.

825. *Schol.* 2. Frequentissima hæc vocabula in Scholis occurrunt tum veterum, cum recentium Philosophorum: *Infinitum* nempe *a parte antea*, & *a parte postea*, ut æconomice Scholæ loquuntur. *Infinitum a parte antea* dicitur illud, quod in sua serie nullam veluti primam causam agnoscit: quod primam agnoscit, non tamen ultimam, *infinitum a parte postea* nuncupatur. Infinitum a parte antea repugnare jam vidimus: secundum vero nullam involvere contradictionem, firmum ratumque habeo; nullam enim in hac hypothesi contradictionem invenio,

quod

quod Deus hunc mundum cum hac ipsissima caussarum serie in æternum conservet. Verum hujusmodi infinita abusive tantum infinita dicuntur: quæ primo gaudent, & ultimo additionem non renuunt, ac per consequens non sunt infinita (n. 788.)

826. PROPOSITIO IV.

Seris mundanorum est a non contingente producta.

827. D. Quod ex dictis satis per se patet; aut enim existit sine ratione sufficienti? & hoc repugnat (n. 503.): aut hanc habet in se? quod est falsum (n. 809.); ergo revera illam habet in non contingente, quod hac propositione defendimus.

828. *Coroll.* 1. Desipuit ergo Democritus, desipuit Epicurus, dum uterque materiam mundi agnovit improductam, ac concretiones mundanas primus ab atomorum motu necessario, alter vero a fortuita earumdem combinatione derivavit; id enim manifeste ex demonstratis eruitur. Etenim si elementa mundi sunt omnia contingentia (n. 811.); sunt igitur a non contingente producta (n. 826.). Deinde quomodo elementorum illæ combinationes vel a motu atomorum necessario, vel ex puro casu potuerunt oriri? Ne quid enim modo dicam de mirabilibus quibusdam operationibus naturæ, quæ nisi ex caussa sapientissima sint, cæco nunquam motu possunt explanari: qua de re sat est semel perlegere celeberrima Nieuventitii, & De-Rhami opera, qui argumenta hæc, ut ajunt, physica summa exagitant arte: nequid, inquam, modo addam, illud observatu dignum occurrit, Lucretii nempe, & Epicuri Democriticorum evertere sententiam: Democritica vero Epicureo-Lucretiana prosternere commenta; si enim atomi rectilineo, & perenni motu concitæ nequeunt in corpora concrescere; anilem igitur redolent fabellam, quæ de mundi formatione statuit Democritus. Si vero motus ille rectilineus essentiæ conve-

hit materiæ, somniantium jam sunt species, quæ de fortuita illa declinatione Epicurus, & Lucretius sunt opinati.

829. *Coroll.* 2. Primum ergo ex hoc capite ruit systema Spinozisticum, ac veluti suis in incunabulis hoc monstrum suffocatur; si enim omnis mundanorum series est a non contingente producta; vere igitur una valet substantia ab altera produci: non unica est in mundo substantia: non omnia existunt propriæ necessitate naturæ. Sed plenior horum deliramentorum confutatio in Theologia occurret naturali; quot enim proferemus gradus in illa parte, tot statuemus argumenta validissima, quibus imperitiæ, vesaniæ, & impietatis perditissimus hic homo revincatur.

830. PROPOSITIO V.

Entia hujus mundi libere, non necessario sunt producta.

831. D. Entia mundana contingentia sunt, & fortuita (n. 819.); atqui hujusmodi non essent, si forent necessario producta; etenim ens contingens illud dicitur, quod ita est, ut potuerit non esse: atqui quod necessario producitur, ita est, ut nequiverit non esse; ergo si entia hujus mundi forent necessario producta, non essent contingentia: prob. min. Tunc ens existit, quando producitur; tunc igitur necessario existit, quando necessario producitur; igitur &c.

832. *Coroll.* Siquod igitur ens necessario existit, quidquid ad extra, ut inquiunt, efficit, summa debet libertate operari; etenim posito, quod necessario operaretur, nullum foret ens contingens productum: sed hoc falsum est; igitur &c.

833. *Schol.* Hinc igitur solutio profluit illius problematis, quo Thomistæ quærunt, & Scotistæ, utrum posito, quod Ens a se necessario operetur, sit adhuc possibile ens aliquod contingens, & liberum. Quæstio hujus-

jusmodi inutilis quibusdam videri poterit, ac Scholasticorum potius gustui, quam jucundæ Metaphysicæ accomodata: at inutilis non est, *imo*, ut verbis utar Cl. Genuensis *Elem. Met. p. 1. prop. 74. gravis est*; ex ea enim & Fatum Stoicum, & Spinozisticum quoque excidium experiuntur, ut infra videbitis. Scotus itaque cum suis asserit, nihil contingentis, liberique simul esse in mundo ab illo admittendum, qui Deum necessario agentem constituit: in cujus sententiam Suaresius quoque *Met. Disp. 19. Sect. 3. n. 12.* descendit, licet argumenta Scoti non probans. E contra vero asserunt Thomistæ, posse Deum necessario operari, salva manente & contingentia, & libertate creaturarum, licet, ut inquit loco citato Genuensis, in Scoti castra transfugas quosdam Thomistas transisse adnotaverit Suarez loc. cit. Pluribus quoque ex Recentibus Scotistarum arrisit sententia: præcipue vero Genuensi, qui ibidem inquit: *me quod attinet pedarium plerumque Judicem, in Scoti sententiam descendo. Moveor plurimum illius argumentis, moveor & Suaresii, qui utut Scoti argumenta non probet, neque plurimi faciat, interim negat, esse nos posse liberos, aut saltem libertatis habere posse usum, ubi Deus agat necessario.* Quod igitur ad contingentiam pertinet entium, jam vidistis (n. 819.) quæ nostra sit sententia: quod vero pertinet ad creaturarum libertatem, num simul queat salva, & integra consistere in hypothesi, quod prima causa necessario operetur, sic breviter me expedio.

834. Prima causa, ut modo supponitur, & conceditur quoque a Thomistis non solum, verum etiam ab ipso Spinoza, movet secundam: ergo si illa necessario moveat, hæc quoque necessario moveri debet; ergo actum est de libertate. Pr. 1. consequentia. Primus motor, nempe Deus est virtutis infinitæ; ergo si necessario moveat, suum obtinere debet effectum; causa enim necessaria agit secundum omnem suæ potentiæ vim; consequenter effectus necessario haberi debet, quia agenti virtute infinita nihil deest ad effectum consequendum; ergo secunda neces-

sario moveri debet; ergo, ut diximus, actum est de libertate. Perlegi hæc possunt apud Scotum *in 1. Sent. dist. 2. q. 2. & dist. 39. q. un.* apud Sauresium quoque *disp. 19. Sect. 3.* nobis satis.

835. At inquiunt Adversarii. Per vos non repugnat, libere Deum concurrere ad necessarias creaturarum actiones; eccur igitur dici non poterit, necessario Deum movere causas liberas?

836. Resp. non repugnat actus liber ex parte Dei, & necessarius ex parte creaturæ: bene vero nequit haberi actus necessarius ex parte primæ causæ, & liber ex parte secundæ; necessitas enim creaturarum est necessitas physica: quod autem est physice necessarium, est hypothetice contingens (n. 627.); ergo ex parte Dei est liberum. At quod est necessarium ex parte Dei, debet quoque esse necessarium ex parte creaturæ (n. 627.)

837. Inst. Sicuti ex parte Dei ponitur *libertas absoluta*, & *necessitas secundum quid*, seu *hypothetica* ex parte creaturæ; ita quoque poterit adstrui necessitas ex parte Dei, & libertas secundum quid respectu creaturarum.

838. Resp. neg. parit. libertas enim *secundum quid* non est vera libertas, sicuti necessitas dicta a Scholasticis *secundum quid* non est vera necessitas. Si ergo velimus Deum necessario operantem constituere, & creaturam hac dimidia libertate donatam, dabitur quidem necessitas in Deo, delebitur vero quodcumque libertatis signum a creaturis.

Sectio II.

De mundanorum entium nexu, & ordine.

839. Veteres Scholastici *Naturæ* nomine intelligebant ipsam vim activam, qua prœdita sunt entia, secundum quam eadem interdum agunt, interdum ab agendo cessant; idcirco fuit illis solemne hoc effatum: *ab essentia originem habere proprietates: a natura vero actiones.*

nes. Robertus Boyle in *Tractatu de ipsa natura* hunc Scholasticorum opinionem refutare sibi visus est, sed Scholasticis eas sententias tribuit, quibus nemo illorum adhæsit unquam: deinde incaute de voce tantum disputationem inivit; cum enim compertum esset, substantias gaudere vi activa, per quam interdum agerent, interdum cessarent, cur non hanc eamdem vim appellare Scholastici naturam potuerunt?

840. Equidem non semper eo sensu naturæ vox adhibetur a Metaphysicis; nam interdum tribuitur mundo ipsi, ut cum dicitur hoc, vel illud ens esse in rerum natura: interdum significat rei cujuslibet essentiam, ut cum dicitur, aurum eâ esse naturâ, ut ponderet: modo significat leges, quibus sibi constat rerum nexus, & ordo, ut cum dicitur, aliquis motor esse secundum naturam, alter contra naturam: sæpe etiam indicat ipsum auctorem mundi Deum. Postremo hoc sensu dicere solemus, *naturam nihil agere frustra: naturam uti viis, seu mediis simplicioribus, & brevioribus: opus naturæ esse opus intelligentiæ: naturam esse sibi semper constantem*; quippe Deus res ejusdem speciei iisdem vult præditas viribus, & proprietatibus: quod tamen non obstat, quominus possit Deus miracula efficere; nullum enim miraculum mutat essentiam cujuspiam rei, tantum perducit entia ad eum statum, ad quem vel omnino, vel certe his in circumstantiis pervenire nequeunt per eas naturales leges, secundum quas agunt substantiæ finitæ.

841. Leges illæ peculiares insunt materialibus substantiis, quas Mechanici, & Physici demonstrant: nulli dubium est, quin aliæ itidem generales leges sint, quæ regunt actiones substantiarum immaterialium: illarum paucas habemus perspectas, quas explicabimus in altera Metaphysicæ parte. Porro ex generalium legum combinatione aliæ exurgunt minus universales: ex illis aliæ itidem particulares magis, donec ventum fuerit ad peculiares, & individuas leges, quibus reguntur causæ effectuum in his, vel illis circumstantiis. Hisce legibus constat sibi nexus rerum, & ordo entium, ex quibus mundus componitur.

842. Sicut enim ex elementis corpuscula, ex corpusculis massæ, ex his vero corpora compinguntur: ita ex pluribus corporibus, quorum mutuæ actiones, & reactiones produnt nobis quempiam illorum nexum, componuntur corpora, quæ appellantur *totalia*. Ita dicitur esse totale quoddam corpus tellus nostra, sol, planeta quilibet &c. Si plura corpora totalia una cum iis corporibus, quæ vel in ipsis reperiuntur, vel ad ipsa aliquo pacto referri possunt, viribus activis inter sese agant, & patiantur, illorum collectio appellatur *systema quoddam physicum*. Ita solemus appellare *systema planetarium* collectionem corporum cælestium errantium, sive primaria fuerint, sive secundaria, solis, nostræ telluris, & eorum corporum, quæ reperiuntur, vel referuntur ad ea totalia corpora, cujusmodi sunt aer, lux, effluvia substantialia &c. Postremo plura systemata, quæ invicem agant, & reagant, appellari solent rerum *universitas*, seu *mundus*.

843. Hucusque de entibus mundanis locuti sumus, deque eorum nexu, & ordine, sed corporea tantum sumus contemplati, ut facilius rerum nexus intelligeretur. Cæterum in hac rerum serie habenda quoque ratio est substantiarum immaterialium, quippe quæ entia sunt, & rerum ingrediuntur universitatem: in corpora insuper agentes illorum nexui, & ordini nonnihil conferunt. Potissimum vero ratio habenda est ipsius Dei, qui auctor, & conservator est rerum ipsarum, quæ per suas vires activas obtemperant consiliis Divinæ voluntatis.

844. Seriei itaque entium mundanorum nomine non intelligimus tantum rerum universitatem, & congeriem; dum enim ita nonnulli minus caute pronunciant, videntur Epicureis adblandiri, quasi fortuita atomorum concursatione rerum universitas extitisset: intelligimus porro omnium finitarum substantiarum nexum, & ordinem repetendum a viribus activis, & modis earumdem, quas Deus regit, & moderatur per leges, quæ Ipsi magis idoneæ visæ sunt fini obtinendo, quem sibi Ipse præstituit in eisdem creandis.

845. Leges porro, secundum quas regit, & modera-

ra-

ratur Deus causas activas, sive finitas substantias, ita, illarum conditioni respondent, ut aliæ naturaliter, aliæ libere agant (n. 570.). Per eas leges omnia entia in unum finem consentiunt, unde extat mundi perfectio: siquid in eas leges peccatur vitio causarum liberarum, id quidem malum censetur, quia nonnihil perturbat entium consensionem, in qua sita est perfectio mundi: at Deus, qui omnia regit, & singula ordinat in absolutam futuram aliquando totius mundi perfectionem, præstabit, ut quæ nunc sunt mala, aliquando desinant esse, efficietque, ut nihil incommodi deinceps timendum sit a liberis causis totius mundi perfectioni.

846. Hæc scilicet ea sunt, quæ generaliter tradenda occurrunt de nexu, & ordine entium mundanorum. Plura quidem tamquam certa sumpsimus, quæ non sunt adhuc demonstrata: sed hac in sectione ideam quamdam duntaxat illius nexus, qui in rerum natura conspicitur, tyronibus voluimus exhibere, non vero ex iis, quæ modo diximus, nobis proposuimus Incredulos revincere. Parum quoque hac in sectione sumus immorati, quippe non investigavimus in eas leges, quibus mutuo corpora devinciuntur, & in se mutuo agunt, & reagunt: de his, ut diximus, in Physica sermo occurret. Verum quæ sunt hucusque tradita, satis sunt alicui nobis ideæ comparandæ pulchritudinis, ac perfectionis mundanæ.

SECTIO III.

De origine, unitate, anima, figura, extensione &c. mundi.

847. Substantiæ omnes materiales, & immateriales statutis a supremo sapientissimo Numine universalibus, & particularibus legibus agentes in se mutuo, & reagentes, ac Divino inservientes suis actionibus consilio, æterno æque, ac immutabili, ens illud formant, seu potius entium congeriem, quam Græci *Cosmon*, nos vero Pythagoram secuti *mundum* a perfecta, absolutaque

que elegantia diximus. De hoc igitur mundo plura possunt perpulchra inquiri, scilicet an sit æternus: an sit unus: & saltem an sint possibiles plures mundi: utrum aliqua informetur anima: qua gaudeat figura: qua finiatur extensione: quo fuerit anni tempore productus: quanta inter possibiles hic existens perfectione excellat: ac tandem utrum sit aliquando finem habiturus. Nos inter hæc omnia unum tantum seligemus, quod fusiori pertractemus calamo, & methodo exagitemus scholastica: reliqua breviter prosequemur, digniora solum, & utiliora adnotantes. Sit itaque

ARTICULUS I.

De mundi temporaria creatione.

848. Materiam, seu potius substantiam quamlibet hujus mundi jam vidimus (n. 826.) ab Ente necessario ex nihilo eductam: & adversarios illis in statuendis rectissimis principiis omnes habuimus vetustissimos ethnicos Philosophos (n. 804.): modo videndum superest, an mundus iste, quem a materia semper iidem distinxerunt Ethnici (n. 804.) sit ab æterno, vel potius in tempore productus. Secundæ huic opinioni, exceptis Democriticis, & Epicureis, penes quos nihil fuit, quod atomorum turba non conficeret, celebriores adhæserunt cujusque ætatis sapientes, ut ex pluribus eorum testimoniis fuse probat Cl. Fortunatus a Brixia *Disp. 1. Sect. 1. Phys.* Aristoteles tamen, Andreas Cesalpinus, & ipse etiam Pythagoras (si fidem præbeamus Ocello Lucano) formationem mundi Deo quidem tribuerunt, sed opus istud æternum, sicut Deum, statuerunt.

849. Ad hanc accedentes enodandam quæstionem investigare consueverunt Scholastici, an potuerit hæc rerum universitas ab æterno creari: licet vero difficile admodum sit intelligere causam non priorem effectu, id tamen impossibile non esse, conatus est ostendere Aristoteles,

teles, & ejus rationes usurpavit Augustinus, dum iis usus ostendit Arianis *lib. 6. de Trin. c. 1.* non repugnare Verbum æterno Patri coæternum. Augustini autem argumentatio ita se habet. Licet lux sit effectus solis, & umbra a corpore producatur lucenti puncto objecto, & vestigium a pede fiat: si tamen lux, corpus, & pes ab æterno extitissent, vestigium, lux, & umbra æterna fuissent; non repugnat igitur effectus causæ suæ coævus. Quanta sit horum exemplorum vis alius dijudicet. Nobis parum utile videtur quæstiones definire de possibilibus, ubi tot prostant de existentia, quæ vix a Philosophis cognoscuntur. Hac igitur omissa quæstione, inquirimus duntaxat, utrum reapse fuerit hic mundus ab æterno productus. Communi Philosophorum veterum, recentiorumque sententiæ adhærentes dicimus.

850. PROPOSITIO

Mundus non fuit ab æterno productus; hoc est aliquando Deus extitit, quin mundus existeret.

851. Omissis cæterorum Philosophorum demonstrationibus, quæ parum validæ mihi videntur (legatur Gen. *par. 2. Met. prop. 4.* P. Fortunatus a Brixia *Disp. cit.* Lucr. *lib. 5. de rerum natura v. 325. & v. 332.* Gassendus *sect. 1. Phys. lib. 1. c. 6.* Steuchus *lib. 7. de perenni Philos. c. 5.* & alii) hac ratione satis revinci posse putamus, quotquot mundi æternitatem mordicus tuentur. Unde sciunt, mundum esse æternum? Vel quia Deus illum ab æterno condere voluit, vel quia necessario illum debuit creare? Primum patere non potest, nisi per revelationem ab ipso Deo factam: at vel nostra revelatio vere Divina est, vel fabulis, & commentis scatet? Si primum; ergo mundus non est æternus; manifeste enim Scripturæ affirmant: *In principio creasse Deum Cælum, & Terram, Gen. c. 1. v. 1.* Æternitas autem sicut fine, ita & initio caret. Si secundum, proferant,

quæ-

quæso, alias revelationes: nunquid hoc revelatum Aristoteli fuit? At hoc ne ipse quidem asseruit, imo nec somniavit quidem. Nunquid aliis Deus patefecit? eccur igitur universæ Nationes, Philosophi omnes mundum in tempore factum crediderunt? (*videatur Fortunatus a Brixia loc. cit.*) Igitur rationibus duntaxat adstrui potest hæc æterna mundi creatio. Audiamus ergo ipsosmet adversarios, & videamus, an cogamur, nostram originem nobiliorem, quia æternam, an potius saniorem, quia temporariam agnoscere.

852. Neque dicant Adversarii, illud *principium* diversas omnino significationes posse subire; licet enim id libenter fatear, contendo tamen, illic verum initium temporis significare; ab illo enim principio dies, quibus fuit mundus productus, Patriarcharum anni, & tota mundi ætas in Scripturis Sacris originem sumere dicuntur, & demonstrantur.

853. Cl. Antonius Genuensis in sua *Met. p. 3. post prop 4.* 12. refert argumenta Aristotelis, 20. Procli, 12. Averrois, & 12. alia ex variis Auctoribus collecta: quæ tamen omnia ex Pererio exscripsit, qui *lib. 15. de principiis rerum* eos convellit, qui pro mundi æternitate certarunt. At licet ab eo minutissime producantur, attamen cum viderimus, vix ullum, vel alterum dignum esse, quod legatur, ideo ipsius Genuensis utimur admonitu, qui sic post relatas illas objectiones, seu potius sophismata habet: *Quamquam ego sic habeo, subtilitates hujusmodi dialecticas, a quibus jampridem abhorremus, ac jure abhorremus, non esse illas quidem toto pectore veluti conditissimos cibos exhauriendas, sed interdum tamen, velut sinapi ad embammata, degustandas; sapidiora enim hinc nostra sunt, & jucundiora.* Primum igitur argumentum, quod aliquam redolet difficultatem, ita se habet.

854. Obj. 1. Deus est immutabilis: atqui mutatus fuisset, si mundum in tempore creasset; ergo &c.

855. Resp. In primis hoc argumentum nimis probat; ut enim inquit Fortunatus a Brixia *loco sæpius citato*, evincit etiam, non posse Deum aliquid modo produ-

ducere; transiret enim de inactione ad actionem,

856. Resp. itaque directe ad argumentum. *Licet Deus aeternus sit, tamen quoniam ab aeterno voluit mundum facere non quidem aeternum, sed novum, ideo non aeternus, sed novus extitit. Fuit igitur in Deo aeterna voluntas, ut esset mundus novus; quare nec in esse, nec in intellectu, nec in voluntate Artificis ob novam molitionem mundi mutatio ulla contigit*: inquit Pererius loc. laudat. *Hominem itaque*, inquit Augustinus *lib.* 12. *De Civ. Dei c.* 14. *quem nunquam antea fecerat, fecit Deus in tempore: non tamen novo, & repentino, sed immutabili, aeternoque consilio*.

857. Inst. 1. Atqui licet Deus hanc voluntatem aeternam habuerit condendi mundum, si tamen illum in tempore creavit, mutatus est: ergo &c. prob. subs. Per illam voluntatem Deus non erat actu agens, sed tantum in potentia; atqui postea egit; ergo &c.

858. Respond. neg. sub. ad prob. dist. antec. *non erat actu agens quoad se*, neg. *quoad creaturas*, conc. antec. & negat. conseq. Deus itaque semper fuit actu agens quoad se, quia semper mundum voluit, licet pro aeternitate ipsa noluerit: & *quemadmodum medicus apud se habens medendi rationem medicus est, & dicitur, ita Deus etiamsi semper non operetur, est opifex tamen, quoniam ad operandum rationes intra se perpetuo habet*: inquit Zaccharias Episcopus Mitylenensis *in lib. de mundi creatione contra Philosophos*. Deinde ut ait Augustinus *lib.* 5. *de Trin. n.* 17. alias *cap.* 16. *Creatio importat quid realis, & existentis in ipsis creaturis, non autem in Deo, nisi secundum rationem, & terminative*, sicut loquitur *laud. loc.* Pererius. *Sicut ergo sol, cum ex calore ejus*, ait Petrus Abaleardus *lib.* 3 *Introd. cap.* 6. *aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipso, vel in calore ejus mutatio fit, quamvis res inde calefacta sit mutata: ita nec Deus, cum aliqua ejus nova fuerit disponere, ideo mutari dicendus est, qamvis novi operis, vel mutationis rerum quaedam Ipse sit causa, vel auctor*.

859. Inst.

859. Inst. 2. Atqui Deus ante mundi creationem, non erat actu agens quoad se; ergo &c. probat. subs. Deus tunc actu agit quoad se, quando aliquid vult: atqui ab æterno mundum noluit; ergo &c. prob. min. Dei volitiones sunt efficaces; ergo si Deus mundum voluisset ab æterno, ab æterno ipsum creavisset. Atqui non creavit; ergo non voluit.

860. Respond. neg. subs. ad prob. conc. antec. & dist. conseq. *si mundum voluisset pro ipsa æternitate*, conc. *si mundum ab æterno voluisset*, *at non pro ipsa æternitate, mundum* &c. neg. cons. conc. aliud subs. & in sensu allatæ distinctionis neg. alteram cons. Licet agens liberum velit aliquid, non tamen vult semper illud pro eo instanti, quo volitionem elicit: sic possum ex. gr. modo me determinare ad Romam petendum feriis autumnalibus, igitur nunc volo: non tamen volo iter hujusmodi modo suscipere: ita pariter voluit Deus ab æterno ipsum mundum, & ideo cum Deus per voluntatem agat, ab æterno egit: non tamen ipsum voluit pro ipsa æternitate, & ideo ab æterno mundus non extitit. Legatur Scotus *in* 2. *Sent. Dist.* 1. *q.* 2. *n.* 7.

861. Inst. 4. Atqui etiamsi voluerit Deus mundum ab æterno, sed non pro ipsa æternitate, fuisset tamen mutatus; ergo &c: prob. subs. Aut Deus mundum condidit æterna illa volitione, aut alio accedente Divinæ voluntatis actu? Si primum, eccur ea voluntas, quæ mundum in tempore creavit, non creavit ab æterno? Si secundum; ergo mutatus est.

862. Resp. neg. subs. ad prob. resp. Deum condidisse mundum æterna illa volitione: quia tamen volitio illa non erat determinata pro æternitate, sed pro tempore, ideo in tempore, non in æternitate fuit mundus productus. Et licet *volitiones*, ut Scholæ loquuntur, *pro futuro* effectum non obtineant, nisi novi eliciantur voluntatis actus eo instanti, pro quo aliquid a voluntate concupiscitur: attamen verificatur hoc duntaxat in voluntatibus creatis, quæ utpote finitæ, & limitatæ nequeunt actus æternos producere. Verum cum

Deus

Deus ſit infinitus, ejus quoque volitiones ſunt infinitæ, & ideo licet ſint pro futuro, non exquirunt tamen alium actum eo inſtanti, pro quo volunt aliquid. Sic Pater ex. gr. unicâ, & infinitâ intellectuali actione Filium generavit, generat, & generabit. At hæc pro modulo noſtro ſunt intelligenda; in Deo enim non datur præteritum, & futurum, ſed & præterita, & futura cum præſentibus ſunt cuncta præſentia.

863. Inſt. 4. Atqui per æternam illam volitionem debuerat mundus ab æterno creari; ergo &c. prob. ſubſ. Aut æterna illa volitio Deum conſtituebat opificem actu, aut tantum in potentia? Si actu; ergo mundus ab æterno extitit: ſi autem in potentia; ergo neceſſaria fuit altera volitio, quæ ipſum ad actum reduceret: atqui hæc ſecunda volitio Deo mutationem inferret; igitur æterna illa volitione debuerat &c.

864. Confirmatur. Cauſa efficiens aut ſemper eſt actu, aut in potentia: ſi primum; ergo ſemper habetur effectus: ſi ſecundum; ergo requiritur quid aliud, quod eam determinet ad actum: atqui hoc, quod determinat aliud, debet eſſe cauſa efficiens; ergo aut admittendus erit progreſſus cauſarum in infinitum, aut fatendum erit, ſemper Deum fuiſſe actualem opificem mundi; ac per conſequens mundum eſſe æternum.

865. Reſp. neg. min. ſubſ. ad prob. dico, æternam illam volitionem Deum non conſtituiſſe ab æterno opificem neque actu, neque in potentia. Non actu, quia non erat, ut inquit Scotus cit. loco, *pro illo tunc*: non in potentia, quia cauſa libera potis non fit per volitionem, ſed per propriam virtutem. Sic etiamſi Deus mundum nunquam voluiſſet, tamen ſemper opifex in potentia fuiſſet; fuiſſet nempe ſemper omnipotens. Æterna itaque illa volitio effecit, ut Deus eſſet actu opifex quoad ſe: in potentia autem relate ad mundum, ſicuti jam diximus.

866. Ad confirm. dico, argumentum falſo laborare ſuppoſito, ſupponit nempe, nullas eſſe cauſas, quæ ſemetipſas ad aliquem effectum determinent: quod profe-
cto

cto ipsæ humanæ voluntatis operationes absurdum esse commonstrant, ut dilucide evincit Samuel Clarkius *de existentia, & attributis Dei c.* XI. Concedimus itaque, quid aliud requiri, ut causa efficiens in potentia reducatur ad actum: at hoc non est necesse, ut ratione n causæ efficientis sortiatur, sed sufficit, ut sit aliqua ratio, motivum aliquod, quod innuat quidem voluntati, actionem illam esse perpetrandam, eam tamen liberam relinquat, ut ostendemus ubi de libertate sermo occurret.

867. Ob. 2. cum Proclo apud Pererium *in cit. opere de principiis rerum*, & apud Genuen. *Met. par. 3. prop. 5. in argumento 5. ipsius Procli*. Aut potuit Deus mundum ab æterno creare, aut non potuit? Secundum falsum est, alias fuisset Deus imbecillis; igitur potuit: vel ergo voluit, vel noluit? Si potuit, & voluit; ergo creavit; quid enim Divinæ voluntati poterat obsistere? Si vero potuit quidem, sed noluit; ergo invidus fuit,

868. Resp. potuisse Deum ab æterno mundum condere, nec tamen voluisse: *ergo invidus fuit*, neg. conseq. Cum enim nihil tunc existeret, cui rei invidere malus potuit bonitatem? Responsionem afferant Adversarii huic alteri argumento. Potuit, ac potest Deus plures alios mundos creare; aut igitur creavit, aut invidus est. Vide quantum homines cæcutiant, dum lumina in solem intendere cupiunt.

869. Inst. 1. Atqui si Deus potis fuisset &c. debuisset etiam mundi creationem velle, alias malus fuisset; ergo &c. prob subs. cum eodem Proclo. De natura boni est seipsum aliis communicare: atqui si Deus mundum ab æterno non creasset, per æternum, ut ita dicam, tempus suam bonitatem non communicasset; ergo malus fuisset; ergo si Deus &c.

870. Resp. argumentum nimis urget; probat enim, non solum ab æterno esse mundi machinam fabricatam; verum etiam necessario esse creatam. De natura itaque boni est, seipsum aliis communicare *existentibus*, conc. *non existentibus* neg.

871. Inst-

871. Inst. Atqui de natura boni est etiam non existentibus se communicare; ergo &c. prob. subs. ex Aristotele *lib.* 8. *Phys. tex.* 48. *&* 56. De natura boni est tendere in melius: atqui melius est, mundum esse, quam non esse; ergo &c.

872. Resp. neg. sub. ad prob. conc. maj. & dist. min. *Melius est, mundum esse relate ad nos*, conc. *relate ad Deum*, neg. Deus nullius indiget, est se solo beatus, semper fruens, nunquam cessans a gaudio; igitur relate ad ipsum neque melior, neque deterior est mundi existentia. Quia igitur bonus est, tendit in semetipsum: quia est summe bonus, semetipsum optimum diligit amore infinito, & ineffabili.

873. Inst. 3. cum eodem Aristotele. Atqui etiam relate ad Deum melior fuit creatio mundi; ergo &c. Mundi creatio Deum agentem constituit; atqui etiam relate ad Deum actio melior est otio; ergo &c.

874. Resp. neg. subs. ad prob. dist. maj. *Deum agentem constituit ad extra*, conc. *ad intra*, neg. in sensu datæ distinctionis conc. min. & neg. conseq. Mundi molitio est actio, quæ dicitur a Scholis *ad extra*; igitur per ipsam constituitur Deus operans duntaxat relate ad creaturas: relate vero ad semetipsum est semper operans, quia semper semetipsum cognoscens, & semper amans. *Tunc igitur*, ut inquit Cl. Steuchus *lib.* 7. *de perenni Phil. c.* 7. *otiosus fuisset, si nihil aliud, quod ageret, habuisset: aut si mundana factio sola fuisset ejus, ac naturalis, inseparabilisque substantiæ suæ operatio. At Aristoteles etiam fatetur, Deum ex contemplatione sui, non mundi molitione esse beatum. Non itaque*, ait Augustinus *lib.* XII. *de Civitate Dei c.* 7. *n.* 1. *in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicuti nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere.*

875. Inst. 4. Eccur igitur Deus per tot infinita sæcula a mundi abstinuit creatione? *Quid Deo subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per sæcula æterna*, inquit Augustinus *lib.* 1. *de Gen. contra Manichæos n.* 3. *alias c.* 2.

Q 876. Resp.

876. Resp. In primis temeraria est hæc interrogatio. *Si enim quæ in terris sunt invenimus cum labore, quæ in cælis sunt, quis investigabit?* Sicut igitur Deus mundum voluit, ita quoque pro æternitatem noluit: quodnam in hoc absurdum? Deinde argumentum etiam evincit, nihil a Deo posse modo creari; semper enim quæreretur, ut ajebat Vellejus apud Tullium *lib.* 1. *de nat. Deorum c.* 9. *Cur mundi ædificator repente extiterit, innumerabilia ante sæcula dormierit?* Hoc argumentum difficillimum quidem visum fuit Augustino, non quia aliqua in ipso enodando difficultas reperiatur, si velimus ad Dei voluntatem absconditam confugere, sicuti reapse debemus: sed quia ab ipso ratio exquirebatur istius temporalis, & non æternæ productionis; unde *lib.* 12. *de Civ. Dei c.* 17. fatetur, se non videre, qui possit intelligi, Deum per æternitatem nihil egisse, postea vero operatum fuisse: & in *eodem lib. c.* 15. humiliter asserit, se pertimescere aliquid in re tam abstrusa pronunciare.

877. Inst. 5. Ecquid igitur Deus antea agebat?

878. Resp. cum Augustino *lib.* XI. *Confess. n.* 14. *& seq. alias c.* 12. *non illud, quod quidam respondisse perhibetur, jocularіter eludens quæstionis violentiam: alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat.... libentius enim responderem: nescio, quod nescio.... Et si cæli, & terræ nomine omnis creatura intelligitur, audenter dico, antequam Deus faceret cælum, & terram, non faciebat aliquid; si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? .... At si cujusquam sensus volatilis vagatur per imagines retro temporum, & Te Deum Omnipotentem ..... ab opere tanto, antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur, evigilet, atque attendat. quia falsa miratur..... Cum sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus, anteqnam faceres cœlum, & terram, cur dicitur, quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus Tu feceras, nec præterire potuerunt tempora, antequam faceres tempora. Si autem ante cœlum, & terram nullum erat tempus, cur quæritur, quid tunc faciebas? non enim erat tunc, ubi non*

erat

erat tempus. Nec Tu tempore tempora praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes ..... Nullo ergo tempore feceras aliquid, quia ipsum tempus Tu feceras. Et nulla tempora Tibi coaeterna sunt, quia Tu permanes, at illa si permanerent, non essent tempora. Haec ea sunt, quae de aeternitate mundi tradidere Veteres, ac aliqui etiam ex recentibus Philosophis. Modo breviter tradamus reliqua, quae circa pluralitatem, animam, figuram, creationis tempus fuerunt a Scholasticis fusissime pertractata.

Articulus II.

De tempore, quo fuit mundus productus: de ejus unitate: figura: extensione: anima &c.

879. Qua anni parte fuerit mundus a Deo creatus, num scilicet autumnali, ut putat Lyranus ex nostra Familia: an verno, ut contendunt alii: sicuti num sex dierum spatio, ut Patres omnes tuentur: an vero in instanti, ut magno videtur placuisse Augustino: Theologis discutiendum relinquimus.

880. Democritus, quem Epicurus, Anaximander, aliique sunt sequuti, innumerabiles esse mundos nervis omnibus contenderunt: quâ tamen ratione suffulti, nescio, dummodo aliquem ex altero mundo egressum, & ad nostrum perventum non fuerint alloquuti. Quapropter sanior est Thaletis Mylesii, Platonis, Pythagorae, Stoicorum, Aristotelicorum, ceterorumque Philosophorum sententia defendens, unicum, non plures extare orbes: & cum sit Scripturis conformior, quae de uno semper, nunquam de pluribus mentionem faciunt, ideo jure merito passim eam Catholici amplectuntur.

881. At non idem est asserere, unum existere mundum, & unum duntaxat esse possibilem. Primum nobis certum omnino est: secundum vero falsum esse, ipsa Dei omnipotentia nullis finita limitibus ostendit apertissime. Et tamen in contrariam descendere sententiam tum Car-

 tesius,

tesius, cum Wolfius: primus hac fisus ratione; quod nempe in idea clara, & distincta indefinitæ extensionis, quam mundo tribuit, manifesta reluceat contradictio possibilitatis alterius mundi. Wolfius vero, cum non inveniat rationem sufficientem, cur si plures mundi creentur a Deo, in dextera unus, alter vero in sinistra collocetur parte, possibilitatem plurium orbium denegat. O pulcherrimas demonstrationes! O vana præjudicatarum mentium portenta! Cum igitur ideæ illi claræ, & distinctæ extensionis indefinitæ huic mundo a Cartesio tributæ, nec intimæ conscientiæ testimonium suffragetur, refragetur vero universalis hominum consensus, ideo (ob n. 415.) salva reverentia Cartesio debita, eam tamquam obscuram, falsam, & confusam improbamus. Ratio autem sufficiens diversæ positionis plurium mundorum eadem foret ac illa, qua duo incedentes simul, nec officiis se mutuo cruciantes, sive in dextera reperiantur, sive in læva, eodem pacto deambulant. At mundi hujus extera indagare interest ne hominum, capit ne humanæ conjecturam mentis? *Furor est*, inquit optime Plinius *lib. 2. hist. naturali c. 4. egredi ex hoc mundo, & tamquam interna ejus cuncta plane jam sint nota, ita scrutari extera, quasi mensuram ullius rei possit agere, qui sui nesciat, aut mens hominis videre, quæ mundus ipse non capiat.*

882. Verum non extra mundum, sed in mundo ipso, licet in loco constitutam penitissimo, animam ejus constituerunt delirantes plures Philosophi, præsertim Pythagoras, Plato, & Stoici, licet non eamdem triverint viam in hoc fabuloso dogmate explicando. Aliis enim eadem anima orbem universum, ut Pythagoræ, Platoni, Platonicisque placuit, & Recentioribus plurimis, in primis CudWorto, Moro, Clarkio, NeWtono, aliisque. Alii nobiliores solum partes, cœlos nempe, & sydera animabus rationalibus a corporibus egredientibus animari docuerunt. Keplerus corporibus mundi totalibus, teste Wolfio, veluti nostræ telluri animam inesse defendit, cui perceptiones adspectuum planetarum attribuit.

Ori-

Origenes quoque, ut Ecclesiastici Scriptores tradunt, damnatus ab Ecclesia, inter alia absurdissima paradoxa hoc quoque defendit, sydera nempe vitii, & virtutis esse capacia. Dubius hæsisse videtur S. Hieronymus hac in re expendens illud Ecclesiastis c. 1. *In circultu pergit Spiritus*. Sed in c. 1. *Isaiæ*, & *in ejusdem c.* 45. quamcumque animam cœlestibus corporibus ademit. S. quoque Augustinus, utpote Platonicæ Philosophiæ addictissimus, persæpe sententiæ illi favere est visus: eam tamen expresse damnavit *lib.* 1. *Retract. c.* 5. *& alibi*, *& lib.* 2. *c.* 7. Perlegi etiam possunt, quæ de causa genitrice edisserit Cudvvortus, & quæ ibi doctissime adnotat Mosshemius.

883. Si igitur nomine animæ intelligatur vis quædam activa, quæ omnibus insit corporibus, eam adesse is ibit inficias, cui nondum perspectæ sint generationes animantium, & plantarum ex ovis, & seminibus: ac vires cæteræ, quæ non ordinata tantum successione, sed & eadem plane immutabili agere conspiciuntur: at si vocabulo animæ verus spiritus intelligatur, qui sive ratione pollens, sive eadem destitutus hanc mundi machinam, aut singulas ejus partes informet, ridiculum hoc est, & sacrilegum; nullus enim effectus vitæ cospicitur in corporibus, & qui conspiciuntur, mechanicis possunt regulis, legibusque explicari. Verum nullus amplius relictus fuit dubitationi locus, postquam Ecclesia in Œcumenico Costantinopolitano Concilio 2. ita rem definivit. *Si quis dixerit cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supera cælos sunt, animatas quasdam esse, & materales virtutes, anathema sit*.

884. Huic Ecclesiæ definitioni adversari videntur ea, quibus sol, & luna, aliaque inanimata corpora ad Deum laudandum invitantur: at si consideremus, ea omnia ad homines dirigi, ut ex cœlestium contemplatione ad Dei gloriam cognoscendam assurgant, omnis evanescet difficultas; legimus enim, *cælos enarrare gloriam Dei*, *& opera manuum ejus firmamentum annuntiare*.

884. *Formam seu figuram mundi in speciem orbis*

bis absoluti globatam esse, nomen in primis non solum, inquit Plinius *lib. 2. hist. naturalis c. 2.* & *consensus in eo mortalium orbem appellantium , sed & argumenta rerum docent*. Laudantur pro hac sententia Pythagoras, Plato, Aristoteles, Stoici, & Ægyptii, Thales, & Cicero, aliique. Figura deinde circularis, quæ sola circa centrum moveri potest, quin spatium seipsa majus requirat, explicandis astrorum motibus aptior videtur. Videatur Fortunatus a Brixia *Phys. Part. part. 1. sect. 2.* Quin tamen nos in re penitus ignota probabilibus destituti conjecturis quidquam audeamus definire.

886. De mundi extensione illud firmum, atque indubium nobis esse debet, certis nempe, statisque limitibus coarctari; neque enim ipse Deus potest ens infinitum creare. Quænam autem sit ejus absoluta extensio, Ille scit, qui eum non tantum *in numero, & pondere*, sed & *in mensura constituit*.

887. Utrum tandem finem sit habiturus, necne, non assequitur ratio humana; ad eum enim spectat ipsum conservare, aut destruere, cujus voluntate est conditus. Itaque propter testimonium Ecclesiastis c. 1. ubi dicitur: *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum stat*: & aliud Davidis *ps. 148. statuit eam* (nempe mundi universitatem) *in æternum, & in sæculum sæculi*, putant Theologi, quoad ipsam substantiam esse mundum in æternum permansurum: mutandum vero esse, quoad ordinem, & accidentia; ait enim Joannes *in Apocalypsi: ecce vidi cœlum novum, & terram novam*.

888. Hæc nempe ea sunt, quæ de mundo duximus adnotanda: pauca quidem, sed quæ Tyronibus metaphysicis, alio præsertim tendentibus satis esse possunt. Ad alteram modo præstantiorem gradum faciamus Metaphyceæ partem, quæ de Deo, ejusque attributis edisserit.

Finis Cosmologiæ.

ME-

METAPHYSICÆ

PARS TERTIA,

SEU THEOLOGIA NATURALIS.

889. Edum Philosopho, sed & Theologo Christiano absolute necessariam esse hanc, quam tradendam sumimus, Metaphysicæ partem, nemo poterit inficiari, qui animadvertat, de Supremo Numine eamdem agere: Ipsius ostendere existentiam: Ei propria vindicare attributa: & hæc omnia simul peragere argumentis a naturali tantum ratione petitis. Licet enim revelationem tantum præstare credamus infirmo, ac non raro nutanti humanæ rationis lumini, quantum lux tenebris præcellit: nulli tamen revelatio poterit inservire ad incredulos præsertim revincendos, qui suam, qua utitur, Divinam revelationem vere Divinam nesciat demonstrare. At quomodo id præstare valebit? Argumentis ne a sua, quam veneratur, revelatione petitis? In circulo igitur versabitur vitioso. Convertet ne se ad auctoritatem Ecclesiæ? Ad Conciliorum statuta, & definitiones? Sed quænam incredulo Ecclesia, qui Deum ipsum Ecclesiæ auctorem, non dicam Ecclesiam ipsam, agnoscere dedignatur? Nisi igitur se vertat ad fontem incredulo æque, ac sibi communem, rationem scilicet naturalem, arma quidem possidebit Divina, sed inertia, si ita loqui fas est, & otiosa, quæ nunquam hostibus veræ Religionis confodiendis possint inservire. Optime propterea Paulus, qui dixerat, *accedentem ad Deum oportere credere, quia est*: ne quis tamen fidem hujusmodi tamquam fatuam calumniaretur, nos monuit in *epist. ad Rom. c.* 1. *v.* 1. ut rationabile foret semper obsequium nostrum: ne crederemus omni spiritui, sed prius, an spiritus ex Deo sint, probaremus, ne videlicet circumferremur omni vento doctrinæ, aç per inanem seduceremur fallaciam. Merito ita-

itaque Durandus inquiebat a S. Porciano. *Ratio igitur non totaliter dimittitur a credente: imo non est possibile, aliter credere, saltem meritorie. Cum enim credere sit quoddam assentiri, assentiri autem nullus potest, nisi ei, quod apparet verum. Igitur oportet, quod illud, quod creditur, appareat rationi verum vel in se, vel ratione medii, per quod assentitur. Et si non in se, sed tantum ratione medii, illud medium apparebit verum vel in se, vel per aliud medium. Et si non est processus in infinitum, oportet igitur, quod devenitur ad primum, quod appareat rationi esse verum & in se, & secundum se. Igitur Fides non excludit rationem, sed supponit præviam.* Scilicet, ut optime inquit S. Thomas 2. 2. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 1. *Hic actus intellectus, qui dicitur credere, licet non habeat inquisitionem rationis naturalis demonstrantis id, quod creditur, habet saltem inquisitionem quamdam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum: puta quia sunt dicta a Deo, & miraculis confirmata.* Nisi ergo in Theologia revelata velimus perpetuo cæcutire, suas naturali rationi debemus partes tribuere, ut scilicet ea prius ab ista accipiamus, quæ ad revelationis cognitionem nos ducant: edoceamur deinde ab hac, quæ scitu necessaria sunt, ad gloriam supremo referendam Numini, Eo dignam, nobis vero utilem. Hoc igitur præstabimus in hac Theologia naturali, seu tractatu de Deo: videbimus scilicet primo ens mundi hujus conditorem, a se, perfectissimum necessitate existere naturæ propriæ: unicum idipsum demonstrabimus: Liberum: Immutabile: Omnipotens: Sanctum: Omniscium: Simplex: Immensum: Verax: a se factis providens: quo tandem majus nequeat excogitari sine illius ideæ jactura, quæ Divinitatem nobis repræsentat. Sed ut res clarius pateat, in plures pro more nostro erit tractatus sectiones divisus.

Sectio I.

De existentia, & unitate Dei.

Articulus I.

De existentia Dei.

890. DEi nomine intelligimus modo ens aliquod a se: cujus videlicet existentiæ ratio sufficiens extra ipsius essentiam non valeat reperiri (n. 558.)

Schol. 1. Hæc definitio est tantum nominalis; non enim complectitur universam Dei ideam: at ipsa utimur, quia Wolfio monente *Theol. nat. par.* 1. §. *6.* ex ipsa deducenda sunt omnia Dei ipsius attributa.

891. *Schol.* 2. Qui Entis alicujus a se existentiam negant, *athei* vocantur. Utrum extiterint unquam, qui Dei existentiam de medio sustulerint ex animo, non voce tantum, facile non est definire: imo putant Eruditi, nullum unquam repertum fuisse, qui aliquod summum Numen inficiatus fuerit existere: sed omnes, qui athei dicti sunt, tales esse visos, ac videri hominibus voluisse, ut legibus naturæ, juri cuilibet fucum facerent, & furiosæ facilius obsequerentur libidini. Plures tamen extitisse, qui blasphæmiis, ac deliramentis propriis nomine duntaxat, non natura Deum admiserint, id certum est. Videri omnia possunt apud Tullium *in ll. de natura Deorum*. Hinc quotquot audent cum Epicuro materiam necessariam admittere, ac præter materiam nullius alterius entis existentiam, athei possunt juremerito appellari; hi enim, ut de Epicureis loquitur Sextus Empiricus *l.* 8. *adversus Mathemat. quod attinet quidem ad vulgum, Deum relinquunt: quod vero spectat rerum naturam, nequaquam*. Quotquot pariter cum Spinoza mundi materiam Dei cum substantia confundunt, atheismum cum Religione permiscent. Omnes igitur, quotquot recensuimus errantes circa materiæ productionem, (n. 804.) ideo errare voluisse, credere necessario debemus

mus, ut nempe possent impune atheismum profiteri.

Propositio I.

Existit ens a se.

892. D. Series aliqua contingentium existit (n. 809.) Igitur hæc est vel finita, vel infinita? Infinita nequit esse (n. 815.); erit igitur finita. Vel ergo ejus existentiæ datur ratio sufficiens, vel non datur? Secundum est impossibile (n. 503.). Si vero detur, aut in ipsa reperitur, aut in alio? In illa, non adinvenitur (n. 809.); ergo in alio. Datur igitur ens aliquod, quod sit *a se*; alias progrederemur in infinitum, quod est absurdum. (n. 815.)

893. Propositio II.

Ens a se necessario existit.

894. D. Ens a se illud dicitur, cujus existentiæ ratio sufficiens in Ejusmet essentia adinvenitur (n. 558.) ergo posita essentia necessaria erit existentia. Atqui rerum essentiæ sunt necessariæ (n. 542.); ergo & existentia entis a se est necessaria.

895. *Coroll.* Nullum igitur dari potest ens a se, quod sit mere possibile; dato enim, quod sit possibile, necessario etiam existit.

896. Propositio I.

Ens a se a nullo dependet.

897. D. Ens a se alterius vi non indiget, ut sit possibile, & existat (n. 542. 558); atqui quæ in existente reperiuntur, ab ejusdem pendent essentia actuali (n. 564.); ergo independens quoque est totum ens a se.

Pro-

898. PROPOSITIO IV.

Ens a se necessario est perfectissimum.

899. D. Si enim ens a se non foret perfectissimum, vel ab alio limitaretur, vel a seipso? Non a seipso, quia nemo limites perfectionis propriæ valet exoptare: non ab alio, quia a nullo dependet (n. 896.) ergo &c.

900. *Schol.* Hæc propositio fuit a nobis statuta, ut possemus modo demonstrare, Deum existere eo in sensu, quo nomen ipsius Dei ab omnibus Philosophis accipitur; Dei enim nomine intelligitur ens aliquod a se: necessario existens: atque perfectiones omnes natura sua complectens. Ceterum has easdem perfectiones singillatim infra eidem Deo vindicabimus.

901. PROPOSITIO V.

Existit Deus.

902. D. Existit ens a se (n. 892.): & quidem necessario existit (n. 893.): est etiam omnibus præditum perfectionibus (n. 898.); ergo existit Deus (n. 900.)

903. Hæc ea sunt argumenta, a quibus, quantumvis adlaboraverint, qui vel athei sunt, vel nescio qua impia, & deridicula ambitione haberi cupiunt, nunquam sese expedient. At licet Wolf. *Theol. nat. par.* 1. §. 10. contendat, uno duntaxat argumento, seu una argumentorum serie, quæ demonstrationem efficiat, esse rem totam conficiendam: *alias*, ut inquit ipse, *probabilia cum demonstrativis confunduntur*: attamen, cum de re magni momenti modo agatur, cetera quoque tradenda esse censemus, quibus, si non magis evincatur, suadeatur saltem magis supremi alicujus Numinis existentia. Argumenta autem, quæ solent in rem istam a Metaphysicis afferri, alia

alia physica, alia moralia dicuntur. Nonnulla scilicet ex universi pulchritudine, & ordine desumpta sunt, quæ certe nonnisi ab Ente sapientissimo potuerunt oriri: cetera ex universali omnium gentium cujusque ætatis Deum esse fatentium consensione: a pravis, nefariisque atheorum moribus: atque ex eorum crassa, ut inquiunt, ac supina cæcitate desumuntur. Nos utrumque horum argumentorum genus percurremus, sed primum breviter, cum ejus copiam quicumque Metaphysicus faciat.

904. Existentia itaque Dei argumentis physicis probatur. Quis unquam in hanc mundi machinam oculos conjiciens alicujus supremi, sapientissimique Numinis opus ultro non fateatur? Ex infinitis, ut ita dicam, machinulis, ex innumeris parvis systematibus indefinitum systema, infinitaque relative machina consurgit. Unusquisque ex planetariis orbibus in maximum convenit sydereum systema. Perpetua vicissitudo, at constans, & imperturbata motus astrorum mirabilem efformat armoniam, nec unquam a proprio cursu deflectit. Nostra ipsa tellus, quam incolimus (ut a sensibus remotiora relinquamus) tam mirifice est ordinata, tam eleganter fabricata, ita eximie elaborata, ut nonnisi a sapientissimo Ente potuerit prodire. Stirpium, animalium, hominum generatio ita eadem semper est, ut nulla in ipsa mutatio possit adinveniri. Plantæ ipsæ quam mirabilem ostendunt semetipsarum structuram! Delitescit in seminibus tota, ut ita dicam, vegetantis delineatio: semina ista, partesque in illis contentæ paulatim evolvuntur: aliquæ in lignum, in frondes ceteræ concrescunt: meatus relinquunt, quibus & alimenta recipere, & superflua queant rejicere. Humores per canales cursitant: modo ad verticem, modo ad ima descendunt: frondes producunt, quibus erumpentes flores ab externo ambiente tueantur: flores inter semina oriuntur fructuum: hæc paulatim augentur, cortice induuntur, quibus & mollem substantiam conservare, & species proprias propagare non desinant. Quis vero tam bardus, stupidus, & plumbeus est, qui in omnibus hisce motibus sapientissimam aliquam Manum omnia dirigen-

gentem, conservantem, ac restaurantem non agnoscat? Infinita essent, quæ possemus in rem istam proferre. Nullum est tam vile, tamque minimum animal, ad cujus corporis structuram queat humana ipsa solertia pervenire. Si corpus nostrum inspiciatur, non Divinam tantum sapientiam licebit in eo fabricando impensam deprehendere, verum tot in hac machina invenientur, ut desperet necesse sit humana ratio, se ea posse cognitione assequi: imo una duntaxat licet tenuissima ejus pars mentis, sensuumque nostrorum vim facile effugiet. Superfluum, modo esset hæc fusius exponere; de his enim specialis occurret sermo in Physica particulari, ubi de corporis, plantarumque organismo erit agendum. Liceat dunraxat nobis ita modo cum Tullio argumentari *lib. 2. de natura Deorum*. *Siquis in domum aliquam, aut gymnasium, aut forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non posse ea sine causa fieri judicabit, sed esse aliquem intelliget, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, aliqua mente tantos naturæ motus gubernari*. Sed legatur idem Tull. *in eodem lib. c.* 39. 38. 6. Legatur S. Hil. *in ps.* 52. August. *lib.* 11. *de Civ. Dei cap.* 4. Merc. Trism. *in Pimandro cap.* 5. S. Thomas *in* 1. *lib. cont. Gentes*. P. Fort. a Brix. *in Met. p.* 3. *sect.* 1. *argum.* 3. *&* 4. Genuen. *in Met. p.* 3. *in append. ad c.* 1. Sed præsertim juvabit, vos percurrere egregia opuscula Nievventitii *de existentia, & attributis Dei*, & de-Rham, qui data opera, hæc argumenta physica eleganter, erudite, ac nervose prosequuntur.

905. Primum argumentum, quod morale solet appellari, ex omnium Gentium consensu depromitur, quæ licet in sententias de natura Divinitatis diversas, ac discrepantes facillime scindi consueverint, aliquam tamen hujusmodi naturam multo magis, quam assequi cogitatione possimus, excellentem, atque præstantem existere semper puta-

caverunt. Hoc itaque argumentum, quod magnum omnibus semper visum est peracutissimis Philosophis, breviter modo percurramus. Audiatur itaque in primis *Deus* ille *Philosophorum* Plato (sic eum Cicero vocat) Deorum existentiam ita probans Dialogo 10. de legibus. *Primum quidem*, inquit ipse, *terra*, *sol*, *sydera*, *ipsumque universum : temporum quoque ornatissima varietas annis, mensibusque distincta id ostendunt : Græcorum præterea, Barbarorumque omnium consensus Deos esse fatentium*. Ibidem atheos sic post plura revincit. *Ad Deos affirmandos eo magis animos inducere possunt ... quod videant quotidie in ortu, & occasu solis, ac lunæ Græcos, & Barbaros omnes tam in rebus adversis, quam secundis supplaciter adorare : atque ex hoc non suspicionem, quod Dii non sint, afferre, sed testimonium, quod sint, absque controversia perhibere. Sed quod jure mireris*, optime inquit elegantissimus Aloysius Brenna in eruditissimo opere, cui titulus *de Gen. hum. consen. in agnoscenda Divin. hoc argumentum a gentium consensu petitum vel ipsos Epicuri de grege porcos impulit, ut Deos existere beatos, & immortales sine controversia faterentur*. Vellejus, cui primas Epicurei ex Romanis hominibus deferebant, sic apud *Cic. l. 1. de nat. Deorum* Cottam alloquitur: *cum non instituto aliquo, aut lege sit, opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est; esse igitur Deos confitendum est*. Cicero ipse, qui controversias illas inter Vellejum Cottam, atque Lucilium refert, ita propriam sententiam exprimit *l. 1. de legibus : de hominibus nulla gens est tam immansueta, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat*. Et *lib. 2. de nat. Deorum*. *Itaque inter omnes*, ait, *omnium gentium constat ; omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum, esse Deos : quales sint, varium est : esse nemo negat*. Nec commenta sunt ista a cultoribus supremi Numinis adin-

adinventa: testantur id omnium temporum historiæ, moresque efferatarum quoque gentium, quæ præteritis proxime sæculis reperta fuerunt. Regiones Polo Artico proximiores: Incolæ Antillarum, Cubæ, Hispaniolæ: Populi Paraguarienses: Brasilienses: habitatores novarum Philippinarum, Carolinarum, Marianarum, Japonis, eique proxima Yedso, sicut fuse ostendit Cl. Brenna cit. ita ut possimus jure illud Plutarci contra Coloten usurpare: *si terras obeas, invenire poteris urbem muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numismate carentem .... Urbem vero Templis, Diisque destitutam, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit: sed facilius urbem sine solo condi posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata civitatem coire, atque constare.* Cum ergo & nos cum Seneca multum dare soleamus præsumptioni omnium hominum: *apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tamquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita sit: nec ulla gens usquam est adeo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos esse credat.*

906. Reliqua argumenta hujus generis solent desumi a minimo atheorum numero, ab eorum pravitate, nefariisque moribus: ac tandem ex illorum crassa, ac supina cæcitate. Hæc omnia egregie more suo Grotius complectitur *l. 1. de Veritate Religionis Christianæ cap. 2.* dicens: *paucitas ipsa, & quod statim intellectis argumentis rejecta universim est eorum opinio, ostendit, non provenire hoc ex usu rectæ rationis, quæ omnibus communis est, sed aut ex studio novitatis, quali tenebatur, qui nivem atram esse contendebat, aut ex mente corrupta, sicut vitiato palato res, non ut sunt, ita sapiunt.* Inter hæc autem argumenta, quorum nullum proprio robore destituitur, quæ validiora mihi videntur, flagitiosa est atheorum vita, & eorum obcæcata ratio; quicumque enim atheismum professi sunt, corrupti, & abominabiles facti sunt in viis suis: quidquid avaritia in rapi-

nis,

nis, crudelitas in suppliciis, superbia in contumeliis, luxuria in flagitiis efficere potest, admittere consueverunt. Et ideo quid mirum, si timentes cum nobili illo, apud *Cic. l. 1. de natura Deorum*, Epicureo *omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotii Deum*: Ipsum abnegaverint dicentes in cordibus suis: *non est Deus*, qui bonis hominibus bona largiatur, improbos autem pœnis, æternisque suppliciis vivos, mortuosque mactare possit, ac velit? Nec conjecturæ probabilitati innixæ hæc nostra sunt argumenta, sed veritates indubiæ ex veterum Latinorum, Græcorumque, necnon doctissimorum Recentum historicis monumentis depromptæ. Singulos hic testes studiose colligere supervacaneum videtur, cum integræ potius nationes, eædemque florentissimæ attestari possint (legatur Cl. Bergerius *in Exam. material. gallice edito T. 2. c. XIV. §. 2. p 422.*); ut enim testatur Spanhemius, qui magnis sese sceleribus inquinassent, *athei* ab Atticis præsertim Poetis appellabantur, quod profecto non fecissent, si probos, & honestos homines, ac virtute florentes, licet in re magni momenti deceptos, esse in atheorum numero putavissent. Hisce tamen omnibus relictis, audiamus, ut omnis scrupuli tollatur occasio, audiamus Mirabodium ipsum nostri ævi Patriarcham incredulorum, ex cujus ore veritas ipsa hæc contra illum expressit coacte. *Discipulus naturæ*, inquit itaque in systemate naturæ T. 1. cap. 13. pag. 399. *communiter a suis concivibus recipitur non secus, ac avis lucifuga, quam, statim ac e propriis latebris egreditur, ceteræ persequuntur aves diversis equidem ululatibus, sed odio communi*. Quod si hujus practicæ veritatis a me ratio exquiratur, non saniorem, credibilioremque me posse afferre arbitror ea, quam impius Auctor *Dict. phil.* Voltairius nempe hisce verbis adducit. *Nollem ego atheo Principi subdi. Si sibi arbitraretur utile me in mortario tundere, tunderer equidem. Quod si Princeps forem, aulicos atheos qui sibi utile ducerent venenum mihi propinare: antidotis quotidie mihi foret utendum. Necesse est igi-*
tur

tur indubie tum Principibus, cum subditis, quod Entis supremi, creatoris, provisoris, remuneratoris, ultoris denique idea alte sit spiritibus insculpta..... Delete ex hominum cordibus ultoris, & remuneratoris Numinis ideam, Sylla, & Marius concivium sanguine læti fœdant manus: Augustus, Antonius, Lepidus Syllanos furores longe superant: pacifice jubet Nero lætum Matri...... Atheus subdolus, ingratus, calumniator, malæ fidei, sanguinarius ratiocinatur, operaturque juxta proprium systema, dummodo tutus ab hominibus esse possit. Itaut si Deum neget, Deus sibi evadat, furoribusque suis quidquid vel non favet, vel adversatur, mactet. Quæ sunt preces magis flexanimæ, quæ orationes sunt magis robustæ tantumdem eum movent, quantum a præda famelicum, cædis, & internecionis avidum temperarent lupum. Si penes atheos regendi orbis foret potestas, jam hic captivus ab iis detineretur infernis spiritibus, qui victimas dilaniantes pinguntur. At nonne hæc manifeste ostendunt, impiam atheorum doctrinam non in quodam sterili, ut ita dicam, errore posse consistere, sed cum vitiorum, scelerumque maximorum fæda colluvie necessario fore conjunctam? Sed necessaria non sunt testimonia ex impiis ipsis congesta, ut impiam esse, nefariam, & sacrilegam atheorum vitam ostendamus: ipsorum dogmata si consulamus, incredibile nobis fiet, leges honestatis ullo pacto ab atheis servari. Si Mirabodius perlegatur *in Systemate naturæ*: si Spinoza *in Tractatu Theologico-Polit. c. 19. & 16.*: si Santevremondus: si omnes denique increduli, impiique percurrantur, ubique sceleris vestigia, & semina impressa, & sparsa reperientur. Quod profecto a ratione absonum non est; is enim, qui nullum peccatorum vindicem, nullumque bonitatis remuneratorem Deum admittit, necessario cum Mirabodio *loco cit. virtutem non aliud esse* contendet, *quam id, quod constanter est utile: vitium omne id, quod est noxium*; consequenter docebit & ista: *injuste nos esse facturos, si cupiam, ut virtutem sequatur, imperemus, quam sequi non possit, quin infelix, aut miser evadat. Quoties vitium possit eum felicem efficere,*

vitium amare debet; ita enim cum impio illo, quem loquentem Prudentius inducit Philosophiæ magis, quam carminum suorum gloria celeberrimus argumentabitur *l. 2. c. Symmachum v. 168.*

Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quidquam,
Quis mihi Regnator cœli, quis conditor orbis?
Quis Deus, aut quæ jam merito metuenda potestas?
Ibo per impuros, fervente libidine, luxus,
Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquid sine teste propinqui
Depositum: tenues avidus spoliabo clientes.
Longævam perimam magico cantamine matrem;
Tardat anus dominum, dilata morte, secundum.
Nec formido malum: falluntur publica jura,
Aut si res pateat, judex corrumpitur auro.
Rara reos justa percellit pœna securi.

Verum de hac re nihil necesse est, me scribere plura; egregie enim omnia complexus est doctissimus Antoninus Vallecchi, magnum certe ætate nostra tum ordinis Prædicatorum, cum Italiæ nostræ lumen, ac decus in opere jam citato: *De fundamentis Religionis, fontibusque impietatis l. 3. multis in locis, e. g. c. 1. 7. ubi de Diagora, Theodoro, & Evehem. cap. 9. ubi de Vaninio, c. 13. ubi de Litteratis Sinensibus, & alibi.*

907. Nec minoris ponderis nobis argumentum suppeditat inscitia, & obcæcata atheorum mens, ita ut possimus recte inferre, nullam eorum habendam esse rationem, si quam parum judicio, doctrinaque valeant, perpendere velimus. Argumenta millena præbent atheorum opera, quæ elegantia summa, ac pari vi exponit, & convellit cit. Brenna *c. 29. 30. & 31.* Ipse magnus atheorum patronus Baylius *in dict. crit. art. Charron, & des Barreaux* lumine veritatis perfusus, cui obsistere potis non erat eximii vir ingenii, manifeste fatetur, furore tantum percitos homines in atheorum propriam impie-

pietatem delabi potuisse, hisque sua dicta exemplis confirmat, ac testibus, ut nihil contra reponi posse videatur. Merito igitur Aristoteles, aut quisquis est alius *magnorum Moralium* Scriptor *l.* 1. *c.* 5.: *si a quopiam*, inquit, *ita timorem omnem excusseris, ut ne Deos quidem vereatur, non ille fortibus viris, sed furiosis erit annumerandus*. Ne infiniti simus, hæc attigisse sufficiat; reliqua enim, quæ omittimus, in reliquo *Theol. nat. Opere* luculentius patebunt. Interim, ni fallor, aurea illa Augustini sententia satis a nobis exposita est, atque probata, scilicet, *exceptis paucis, in quibus natura depravata est, universum Genus humanum Deum mundi totius fatetur Auctorem*.

908. Quid autem ad hæc athei? Rationibus validis responsiones subjiciunt adeo ineptas, & improbabiles, ut illius Oraculi veritatem nolentes demonstrent, quo de impiis dicitur: *excæcatum esse insipiens cor eorum*. Quæ igitur ab ipsis inscite simul, & impie proferuntur, proferemus & nos: at nemo a nobis expectet arctam, pressamque argumentandi methodum; nescimus enim etiam volentes in meridiana luce cæcutire.

909. Inquiunt itaque 1. contra argumentum illud validissimum a consensu humani generis petitum pro demonstranda alicujus supremi Numinis existentia. Innumeri sunt homines, qui Deum nec esse credunt, nec id ore confiteri erubescunt. Id non solum observare præstat in Veteribus, Prothagora ex. gr. Diagora, Medio, Theodoro Cyrenaico, & Epicuro, quos sine Deo fuisse auctor est Tullius *l.* 1. *de natura Deorum*: non solum, inquam, atheismum in Veteribus præstat inspicere, verum etiam in Recentibus non paucis. Sane Spinozistæ omnes, Tolandistæ, Epicurei recentes, quorum omnium non minimus adinvenitur numerus, ut testantur, quos supra citavimus, Auctores, Deum esse tam constanter inficiantur, ut nonnulli (a) mortem potius subire, quam Deum agnoscere vo-

(a) Julius Cæsar Vaninius combustus est Tolosæ ob lib. quem inscripserat *Amphiteatrum Providentiæ*. in quo latens atheismi ve-

luerint. Millena nobis exempla exhibent novi orbis historiæ, quæ unanimiter ferunt, plures Paraguariæ, aliarumque provinciarum populos fuisse a Lusitanis absque Deo & religione repertos. Ubi ergo adinvenitur, vel in quo constituitur hic generalis universorum hominum consensus?

910. Resp. *Qui ab impiis athei Philosophi plures dicuntur*, inquit Gen. *part.* 3. *Met. in sch. ad prop.* 4. *aut ex animo athei non fuerunt .... aut si ex animo fuerunt, nulla eorum habenda est ratio: alioquin si res naturæ ex furiosorum hominum judicio essent explicandæ, nullum esset absurdum, quod non auctoritate alicujus Philosophi confirmari posset.* Verissima hæc sunt: si tamen res penitius inspiciatur, patebit apertissime, nobis Baylium, impiosque ceteros perfricta fronte etiam vigilantibus imponere; ubi enim, in quonam ex historicis reperierunt tam ingentem, quem jactant, atheorum numerum? Neminem fuisse inter barbaros *atheotita* infectum, affirmat diserte, solideque probat Ælianus *Hist. l.* 2. *c.* 31. Si Græcos, Romanosque inspiciamus, paucos admodum inveniemus impietatis hujus vel auctores, vel etiam fautores, ita ut nulla prorsus eorum habenda sit ratio, si cum adversariis comparentur. Nullus in primis a Veteribus recensetur, qui fuerit celebris cujusquam sectæ princeps, vel auctor: & licet Antoninus, & Maximus Tyrius Megaricos quosdam Euclidis discipulos dictitasse narret, *curiositatis esse de Diis exose quærere, an Deus existat*, ob quod non dubitat Heinnecius, ab atheismo immunes non fuisse (*Elem. Hist. Phil. p.* 44.): ea tamen verba sensus longe diversos posse suscipere, æquus Lector facile assentietur. Si Theodorum excipias Cynicum impudentissimum, a quo *Theodoria* secta nomen accepit, nullum

venenum plurimi docti viri deprehenderunt: combustus, inquam, est, cum nondum 34. ætatis annum explesset: a Baylio *in lib. Pensées diverses &c. t.* 2. §. 174. *p.* 356. *Martyr* appellatus: elegantius tamen, magisque pie a Voetio, Mersenno, & Nicolajo *Cæsai Atheorum* nuncupatus.

lum prӕterea atheum ſcholarum principem invenies. At cum neque diſcipulorum copia, neque doctrina, neque dignitate illa floruerit, ſed brevi prorſus exaruerit, nullam ejus habendam eſſe rationem, neminem latere puto (legatur Cic. *l.* 1. *de natura Deorum*). Cotta apud Ciceronem *in l. de natura Deorum*, qui totus eſt in enervanda Velleii ratione ab humani Generis communi conſenſu circa Divinitatem deducta; ac per conſequens, qui impiorum numerum ſtudioſe adauget, quoſnam atheos enumerat? Protagoram Abderitem, Democritum, Epicurum, Prodicum Ceum, & Evehemerum. Democritum tamen, Prodicum, Evehemerumque ab atheiſmi nota excuſandos eſſe, oſtendit breviter laudatus Brenna *l.* 2. *p* 1. *c.* 7. *p.* 55. At omnes athei extiterint: hӕccine eſt ingens atheorum turba?

911. Plutarchus in hiſtoria Philoſophiӕ auctor graviſſimus, nonniſi quatuor atheos recenſet Diagoram, Theodorum Cyrenӕum, Evehemerum Tegeatem, ac demum Euripidem Poetam Tragicum. Euripidi autem ſubiratiorem Plutarchum ſcripſiſſe, tradunt communiter Eruditi; pluribus enim in locis tam pulchra de ſupremo Numine cecinit Tragicus Poeta, tamque prӕclara, ut vix Chriſtianus homo vel ſentire verius, vel magnificentius loqui potuiſſet.

912. Ӕlianus ſimiliter, quem ſupra citavimus, quinque duntaxat *atheotita* infectos nobis recenſet, Evehemerum ſcilicet, Meſſenium, Diogenem Phrygium, Diagoram, Soſiam, & Epicurum. At licet rationes Ӕlianus non expenderit, quibus pauci illi athei vel excuſari, vel defendi potuiſſent, ſed famam tantum, quӕ percrebuerat, conſuluerit, poſſunt ne cum univerſo hominum genere comparari, rationemque aliquam ſervare?

913. Sextus Empyricus *l.* 8. *cont. Mathem. p.* 317. Diagoram Medium, Prodicum Ceum, Evehemerum, Critiam, Theodorum cognomento *Atheum*, Protagoram Abderitem, & Epicurum in medium adducit. Cenſet tamen Clemens Alexandrinus, paucos ex iſtis atheiſmo infectos extitiſſe: contendit quoque Joannes Albertus Fabricius

veterum monumentorum collector studiosissimus *in Annot. ad eum Sexti locum*, id a Sexto hyperbolice dictum; nam velut monstra ex tota antiquitate pauci fuerunt, & paucissimi commemorantur athei dogmatici. Quænam igitur vetusta ætas tot atheos, aut atheorum patronos enumerat, qui numero suo quidquam valeant efficere, quominus universum ab ea impietate hominum genus abhorruisse censeatur.

914. Si ad recentes oculos convertamus, eos tamen, qui scriptis impietatem propriam patefecerint, paucos inveniemus *atheotita*, non dicam insimulatos; innumeri enim fere sunt, ac de iis opus integrum esset conscribendum: sed infectos. Mirabodius ipse in *systemate naturæ* conqueri sæpe solet, nimium paucos esse homines satis fortes, qui infaustæ superstitionis, ac maleficæ Divinitatis omne jugum excutere audeant. Quin & Baylius hoc ipsum animadvertens ingenue fatetur, se posteris potius, quam coævis suis ea scribere, præclara scilicet, ac nova, quæ scribit. Si ergo Spinozam, Joannem Tolandum, Antonium Collinum, Lodovicum Meyerum veros atheos excipias, facile cognosces, reliquos omnes aut ab inimicis, præcipue Protestantibus, eam calumniam passos esse (ut Jacobus David Peronius, Antonius Muretus, Richardus Simonius, Joannes Harduinus &c. qui optime de Divinitate sentientes, athei tamen ab adversariis suis fuerunt habiti) aut apud æquiores etiam homines in suspicionem adductos esse *atheotitos* propter errores, quos defendebant, aut propter vitia, quibus inquinabantur.

Quod vero pertinet ad incolas novi orbis, iterum proponetur argumentum, ubi de religione agemus naturali.

915. Hæc longius protuli forsan plus æquo, ut intelligeretis, quorsum evadat Baylii, ac reliquorum incredulorum impia temeritas, qui in hoc argumento extollendo veluti atheismi Achille toti reperiuntur. In reliquis brevitati studebimus; argumentorum enim infirmitas robur nostræ causæ maximum suppeditabit.

916. In-

616. Instant igitur athei causa excidentes, dum universalem consensum in Divinitate aliqua agnoscenda convellere, aut enervare conantur. In primis universalis Generis humani consensus non evincit, supremum aliquod extare Numen; si enim huic argumento sit fides præbenda, non unum, sed plura erunt Numina admittenda, id profitentibus universis antiquæ ætatis Philosophis doctissimis. Non evincit deinde hæc generalis hominum assertio, non esse atheismum amplectendum, quia metu legum ad eam impietatem profitendam segniores athei sunt redditi: exinde autem inferri potest, paucos quidem fuisse, quorum nomina antiquis ignota Auctoribus fuerint: non tamen paucos, qui in cordibus suis dixerint, non esse Deum. Neque probat 3. tantopere plenis buccis decantatus universus Generis humani consensus, aliquem extare Deum, quia, ut eleganter inquit Petronius.

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent......

Cum ergo, inquiunt uno ore sæculi nostri incommoda, *illuminati* videlicet increduli, sicuti appellari cupiunt (Spinoza *in præf. ad tract. Theologico-Pol. cap.* 1. *Contagii sacri. Speciminis præjudiciorum C.* 7. *Trium impostorum, Moyse videlicet, Christo, & Mahumede. Dissert. in Eliam & Enoch. Dict. Phil. art. Religio c.* 5. *p.* 16. *opus Volterii. In systemate naturæ T.* 2. *c.* 1. *&* 4. *Mirabodii* &c. opuscula nefaria gallico idiomate edita): cum ergo antiquissimi homines viderent, undique mala, undique calamitates ingruere, nimio timore perterriti, atque turbati, nescio quam excogitaverunt Divinitatem, quam & pœnam a sceleratis repetere, & precibus, votisque placatam piis hominibus præsto esse crediderunt. Nonne (Bayl. inquit *de sententiis diversis circa cometas* §. 46. 89.) putarunt olim omnes homines, eclypsium, & cometarum ostenta signa esse terrifica Divinitatis mini-

tantis? ita sane: & tamen nullus modo est inter Physicos saltem, qui in eclypsibus, & cometarum phænominis naturales effectus naturalium causarum non agnoscat, qui sive faventibus, sive subirascentibus Numinibus fiant: timores illi modo plane refrixerunt. Quam Astrologia judiciaria profundas jecerat radices (sequitur *p.* 32. *& alibi*) apud Chaldæos præsertim Priscilliani Discipulos, atque universum hominum Genus? Quot Ariolos, Aruspices, Augures, Vates anicula jactavit antiquitas, qui futura mentiebantur? *Quæ est Gens*, inquit Cicero Marco Fratri *in l.* 2. *de Divinat. atque Civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium: aut Augurum, aut Astrologorum, aut Sortium (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moveatur?* Idipsum ostendit Ælianus *in lib. var. Hist.* Qua superstitiosa sollicitudine, & misera credulitate clarissimæ quondam sortes habitæ sunt Prænestinæ, & Delphicæ? nonne hæc omnia sunt ab heroicis ducta temporibus, & universali hominum consensione firmata? Et tamen falsa ea esse nemo, non dicam sapiens, sed ne rudis quidem, ac bardus modo non agnoscit. Ab aliis ergo causis generalem hominum consensum, quam a natura proficisci dicendum est: sed præsertim ab inscitia, & ignorantia populorum, qui, ut inquit Lucretius.

Præterea cæli rationes ordine certo,
Et varia annorum cernebant tempora verti,
Nec poterant, quibus id fieret, cognoscere causis.
Ergo perfugium sibi habebant, omnia Divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.

917. At ista qui scribunt, ecquis non reprehensione solum, sed & convicio, & pæna quavis dignos esse non putet? Ita enim omnia permixta sunt, ita quadrata rotundis mutata, ut stupidus, & plumbeus oporteat sit, qui callidam impietatem, impiamque versutiam nullo negocio in illis non deprehendat. In primis de universali

illo

illo hominum consensu in polytheismo amplectendo sumus sufficienter loquuti n. 427. 428. & in quæstione de pluralitate Deorum fusior pertractatio redibit. Animadvertamus interim, in eam opinionem de præstantissima quadam natura, quæ merito colenda sit, tam constanter homines universos descendisse, ut non alia, quam nativa rationis virtute confirmari sint visi. At plures esse Deos ridicula opinio fuit, quam & plurimi contempsere Sapientes, & insipientes etiam aliquando deseruerunt. De hac tamen re fusius, ut dixi, in sequentibus.

918. Stomachum vero movent, quæ adversarii caussantur, dum a metu legum Divinitatem omnibus agnitam contendunt. In primis enim plurima semper ingenia fuerunt Græcos inter, atque Romanos ita fræni cujuslibet impatientia, ut nullo metu Magistratuum, aut legum in officio possent contineri. Apud alios summa erat Reipublicæ procuratio, ita ut, si eos natura ad excutiendum Divinitatis jugum tulisset, cæteros facilius, metu legum intentato, coercere, quam a cæteris coerceri potuissen: ex quo infero: eccur igitur in id omnes homines convenerunt, ut leges ferrentur, quibus aliquorum nefaria temeritas compesceretur? nonne quia natura ipsa esse vim, Numenque divinum omnibus semper dictitavit? Ac tandem, si propriis e latebris athei pestifera capita exerere non audebant, qua ratione tam multos fuisse, quam volunt, adversarii deprehenderunt? *Non igitur*, optime Tull. *l. 1. Tusc. QQ. opinionem istam collocutio hominum, aut consensus effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.*

919. Dum vero Mirabodius, & cum illo universa impiorum caterva a timore commentitium Numen essutiunt efformatum, librum, qui natura dicitur, ne a limine quidem salutasse ostendunt; si enim ad ipsum oculos convertissent, aspexissent profecto, innumera hominum millia fortissimo animo ingentia quæque pericula terra, marique & subiisse semper, & modo etiam subire. Sed observatio naturæ longam postularet orationem,

quam

quam tamen fragilitas argumenti nec cupit, nec sustinet; nondum enim attigit impietas, in quo sit totus hujusce quæstionis cardo; concesso enim, ac semper etiam dato, a timore, ut ita dicam, levissimo notionem Divinitatis esse ortam, explicandum tamen est, quomodo timor ille ad posteros omnes tam longe, lateque manaverit: *atque*, ut inquit Brenna *lib. 1. p. 2. c. 6. tam alte mortalium omnium animos occupaverit, ut nulla unquam vi, nulla ratione ab eorum, qui modo se homines esse meminissent, pectoribus quamvis plus æquo fortibus exterminari potuerit. Etenim quam multa fuerunt, quæ timidi majores tradiderunt, nec tamen posteri receperunt? Nam & olim populos quosdam politioribus nondum disciplinis excultos terruisse videtur & ille triceps apud inferos Cerberus, & Cocyti fremitus, & transvectio Acherontis, & saxum sudans nitendo Sisyphus, & mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus: quæ tamen, ubi homines Philosophiæ præceptis imbui ceperunt, adeo deliravisse censes, ut ista crederent?* Quia nimirum verum est Ciceronianum illud: *opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*. Si ergo omnes homines Divinitatem aliquo modo timent, non id efficitur, quod vult cum suis Mirabodius (licet ipsum etiam id aliquando agnovisse, probet Bergerius *in Exam. Material. T. 2. c. 1. p. 7.* &c.) omnes homines inani fuisse timore deceptos, sed revera Divinitatem existere, quæ nobis timenda sit; non enim aliam timor ille humano Generi communis potuit habere causam, nisi quæ in ipsa hominum natura sit constituta.

920. Hospes autem, & peregrinus in Philosophiæ historia sit oportet, qui commentitiam non agnoscit Mirabodii, & Baylii impietatem, dum naturali, ac firmissimo de Divinitate agnoscenda consensui alterum similem objicit de fucato, ac levissimo timore, qui olim omnes homines invaserat in eclypsium, & cometarum intuitu. Quis enim iste universalis hominum consensus est, quem jactat quidem, at nullimode probat Baylius? Nonne Thales astronomiæ secreta rimatus solis defe-

ctus,

ctus, conversionesque prævidit, ut narrat apud Laertium *in Thaletis vita l.* 1. Eudemus in ea, quam de astrologia scripsit historia? Referente quoque Diogene apud eumdem Laertium l. 8. universi, & quidem unanimi consensu, Stoici docuerunt, deficere solem, cum ante illum ex ea parte, qua terras respicit, sese opposuerit luna, ut *in libro de Universo* scribit Zeno. Quidquod? ita omnibus Tulliani temporis Philosophis erat eclypsium causa nota, ut idem M. Tull. *in 2. de Divinatione* hæc consideratu dignissima protulerit dicens: *solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos ab his, qui syderum motus numeris persequuntur. Ea prædicunt enim, quæ naturæ necessitas perfectura est.*

921. Plurima ex Aristotele, Plutarcho, Maximo Tyrio, aliisque innumeris Auctoribus describere possemus; at nolumus in re satis explorata longius immorari: hæc enim ostendunt manifeste, nullos fortassis idiotas eo ignorantiæ devenisse, ut crederent, effectus esse eclypses alicujus indignati Numinis.

Similis est responsio ad ea, quæ Baylius de cometis jactat; falsum enim est, Sapientes, & Philosophos aliquid a cometis pertimuisse: quinimo docuerunt omnes, effectus ipsas esse causarum naturæ vires non superantium. Et licet in diversa abierint in hujus explicatione phænomeni ob astronomiæ ignorantiam, & observationes non recte institutas, ita tamen illis exploratum erat, terrificos non esse cometas, ut Seneca, quasi divinans hæc proferre non dubitaverit *lib.* 8. *nat. QQ. Veniet tempus, quo ipsa, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia. Ad inquisitionem tantorum ætas una non sufficit. Veniet tempus, quo posteri nostri, tam aperta nos nescisse, mirentur:* quasi, inquam, divinando hæc protulit Seneca; ut enim Edmundus Halleyus *in carmine præfixo Newtoni lib. cui tit. Phil. nat. Principia Matehematica cecinit.*

Quæ

Quæ toties animos veterum torsere Sophorum

. . . .

Obvia conspicimus, nubem pellente mathesi,
Quæ superas penetrare domos, atque ardua cæli
Newtoni auspiciis jam dat contingere templa

922. Apud quos autem de Ariolis, Aurufpicibus, & Vatibus ifta Vir impius difputat, aut fumit potius, & jactat? Agnofcite vefani fpiritus impudentiam. Nempe apud Chriftianos, qui SS. Patrum, atque Doctorum libros manibus quotidie verfant. Quis aut Catholicus, aut Hæreticus ita cum Chaldæis, aut Prifcilliani difcipulis delirat, ut putet, vim illam in orbe fignifero, feu zodiaco adeo efficacem effe, ur quandocumque ftellæ aut accedant magis, aut recedant: modo hoc, modo illo modo vertatur, muteturque cœlum, pro diverfo cœli ftatu diverfæ in tellure hac noftra publicarum, ac privatarum rerum converfiones fiant? Imo quis Ethnicus fuperftitiofam Ariolorum artem illam non femper putavit? Infiniti effemus, fi omnium veterum cachinnos, quibus hæc delirantium phantafiarum monftra exceperunt, vellemus in medium proferre. Tacitus pro omnibus fufficiat, qui Mathematicos, feu *Aftrologos judiciaros* (Sic enim appellabantur) ita vocat l. 1. *hift. Genus hominum potentibus infidum, fperantibus fallax, quod in civitate noftra & vetabitur femper, & retinebitur*. Non diffimilia habet Cicero *l.* 2. *de Divinatione*, qui poft Chaldæorum confutatas rationes, in hanc graviffimam exclamationem erupit: *o delirationem incredibilem! Non enim omnis error ftultitia dicendus eft*. Sed ad quid fingulorum fingula teftimonia? Ipfa decreta eorum, qui Rempublicam procurabant, fatis oftendunt, artem hanc Mathematicorum vaniffimam ab omnibus effe repertam, mendaciifque fuffultam ab omnibus quoque habitam fuiffe. Quot in Mathematicos univerfos S. C. prodiere? quot promulgatæ a Cæfaribus leges, quibus fæpe Roma Chaldæos, eorumque artes exterminavit? Poffent & hæc decreta

pro-

proferri: at vereor, ne id testimoniis potius possim omnibus suadere, quam confessione ipsius Baylii, qui *in l. opiniones variæ de cometa &c.* §. 18. *p*: 32. fatetur, Astrologos Romæ substitisse, *contra Cæsarum edicta, quæ illos interdum damnabant*. Ubi ergo hic generalis universorum hominum consensus in errore Astrologorum judiciariorum amplectendo? Poteftne nonnullorum inscitia, & levitas idiotarum illi opponi opinioni, quæ ab antiquissimis deducta temporibus omnium hominum, nationum, atque ætatum consensu fuit semper, semperque erit firmata? Vide quantum impietas deliret.

923. Sequitur, ut de Divinatione videamus. Duo itaque, ut animadvertit Brenna *p.* 2. *l.* 1. *c.* 13. sunt contra Baylium subtili consideratione secernenda: unum est, quod vetustissima opinio sit omnium gentium consensione firmata, a quibusdam ope Divinitatis intelligi, ac prædici posse futura, quod & *Divinationem* appellabant. In hoc autem nullus error est, nulla falsitas, nulla deceptio. Alterum est, quod bonæ, atque utiles artes illæ essent, quibus id assequi posse Arioli, Aruspices, Augures, Vates apud Ethnicos mentiebantur. In hoc autem humani generis unanimem fuisse, concordemque sententiam, jactare potest, non vero demonstrare Baylius; quotquot enim Philosophiæ aliquam operam dederunt, semper professi sunt, artes illas vanas, futiles, inutilesque fuisse. Quinimo ii ipsi, qui in Augurum collegium erant cooptati, tantopere hæc deridebant, ut *mirari se* Cato dixisset, *quod non rideret Aruspex, Aruspicem cum vidisset*. Cicero ipse de Sybillinis loquens versibus per Augures tanta superstitione custoditis, non Divino afflatu fusos, sed callida quadam arte compositos contendit, & *plus ad deponendas, quam ad suscipiendas religiones valere*. Eadem sæpe Tullius idem profert *l.* 2. *de natura Deor. l.* 1. & 2. *de Divin.* & *l.* 2. *Legum*, & Pacuvianus ille *in Chryse* Physicus palam eos ridet dicens.

Qui

. . . , Qui linguam avium intelligunt,
Plus ex alieno jecore sapiunt, quam suo.

Ennius etiam ille ingenio maximus, arte rudis, populo ipso plaudente, hæc cecinit:

Non habeo denique nauci marsum Augurem.
Non vicanos Aruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos conjectores, non interpretes somnium;
Non enim sunt ii aut scientia aut arte Divini,
Sed superstitiosi Vates, impudentesque Arioli,
Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat.
Qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cætera.

924. Ex Tulliana vero illa sententia, quam protulit Baylius, colligi quidem potest, Divinationem ab omnibus fuisse gentibus receptam, & celebratam, non vero universa Divinationum genera singulis gentibus: sed singula solummodo quibusdam fuisse probata; quamobrem si eodem Quinti argumento uti voluerit Baylius ad Divinationem ab Ethnicis veneratam probandum, reponere nobis licebit, in tanta opinionum varietate illam esse amplectendam, quæ Judæis placuit, Deum scilicet per Sanctorum hominum vaticinia non semel futuros rerum exitus aperire voluisse.

925. Sortes etiam aliquando non Prænestinas illas, aut Delphicas, verum omnino alias Dei monitu adhibitas non sine magna utilitate fuisse, nemo Catholicorum ignorat. At quod pertinet ad Sortes, quibus Ethnici crediderunt, imponit nobis Baylius, dum contendit, humanum Genus ratione, atque consilio, non vero temeritate potius, & casu illas regi putavisse. Audiatur ipse Cicero, cujus verba rem totam pene conficiunt. *Fani pulchritudo*, inquit, *& vetustas Prænestinarum etiam nunc retinet Sortium nomen, atque id in vulgus. Quis enim Magistratus, aut quis vir illustrior utitur Sortibus? Cæteris vero in locis Sortes plane refrixerunt*. Non igitur il-

illustriores viri Sortibus fidem præbuerunt, sed vulgus tantum, cujus quænam sit auctoritas in iis, quæ evidentissima non sunt, superfluum modo esset indigitare.

926. Inscitiam tandem arrogantiæ maximæ in Mirabodio copulatam aspicite. Ex ignoratione causarum naturalium Divinitatis ortam in hominibus notionem contendit. Major igitur erit scientia, eruditioque Mirabodii: majus Spinozæ acumen, similiumque Scriptorum tota Hebræorum, Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum, Phænicum, Græcorum, Romanorum, Sinarum prudentia? Majorne illa erit Christianarum gentium tot, atque tantarum sapientia? reliquarum quoque nationum perspicaci solertia, atque doctrina? At videant, quæso, Impii quonam modo insanum Genus hominum ad Divinitatis cognitionem assequendam pervenerit. *Notionem*, Plutarchus inquit *de Plac. Ph. l. l. 1. c. 5. Dei suggessit primum conspecta eorum, quæ in mundo insunt, pulchritudo. Nil enim pulchri temere, & fortuito nascitur, sed ab arte aliqua efficitur. Mundum pulchrum esse, figura, color, magnitudo, & astrorum varietas arguunt.* En ignorantiæ argumenta. At infra: *Id quoque nos ad Dei cognitionem deduxit, quod cum Sol, Luna, & reliquæ stellæ infra terram deferuntur, eadem rursus magnitudine, colore, locis, temporibusque iisdem oriuntur.* Istæne bardorum, stupidorumque sunt rationes? Prosequitur tamen. *Homines enim ceperunt Deum agnoscere, cum viderent, stellas tantam concinnitatem efficere, ac dies, noctesque, æstate, & hyeme suos servare statos ortus, atque obitus, indeque terram, animalia, & fructus proferre.* Sunt ne hæc perfugia ad Divinitatem ex ignorantia profecta? At patientia nostra abutuntur impii; satis enim, superque constat, ex prætensa aliorum inscitia incredulorum ostendi cum intollerabili superbia, atque arrogantia cæcitatem conjunctam. Exemplum potius vaticinii illius Isaiæ admiremur in istis, qui ita reperiuntnr obcæcati, *ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant.*

Sor-

Solvuntur cavillationes atheorum.

927. Ob. itaque 1. Non est certa existentia mundi; ergo neque existentia Dei.

Resp. transf. antec. & neg. consequ. In primis argumenta non desunt, quibus existentia mundi probetur: nolumus tamen modo inutilem instituere disputationem. Transeat itaque, certam non esse existentiam mundi: certa tamen est existentia contingentium (num. 809.) ab ipsa autem eruimus demonstrationem existentiæ Dei; ergo hæc sufficit, ut evidentissime ostendamus, supremum Numen existere. Deinde qui ita argumentantur, aut cum Scepticis omnia inficiantur (n. 355.) aut cum Accademicis plura (n. 355.) aut cum Idealistis corporum denegant existentiam (n. 803.) Cum Scepticis, fatuis nempe, & delirantibus, nulla nobis res est. Academicos jam confutavimus (n. 360.) Idealistæ autem nullum in propria cæcitate queunt perfugium adinvenire; debent enim saltem concedere, ideas extare; ac per consequens etiam earum causas, si contingentes sint (n. 503.) si vero sint necessariæ, fateri coguntur, ens aliquod existere necessarium.

928. Inst. 1. Existentia entis contingentis non est cum ente necessario necessario quoque conjuncta, alias ens etiam contingens esset necessarium; ergo potest existere ens contingens absque ente necessario.

929. Resp. dist. antec. *non est &c. necessitate absoluta*, conc. *hypothetica* neg. Non ita certe ens contingens cum necessario conjungitur, ut hoc posito, & illud quoque sit necessario ponendum. Si autem hypothesis fiat existentiæ alicujus entis contingentis, necessario quoque est cognoscenda a nullo dependentis, necessarii, & perfectissimi entis existentia, ut ex demonstratione patet.

930. Inst. 2. Res omnes creatæ fortuitæ sunt: atqui per fortuitum nequit, quod est necessarium, cognosci; ergo &c. prob. min. Ut unum cognoscatur per aliud, debent ista proportionem aliquam ad invicem servare: atqui nulla proportio inter fortuitum, & necessarium reperitur; ergo &c.

931. Resp.

931. Resp. neg. min. ad prob. dist. maj. *Requiritur proportio, ut ajunt Scholæ, entitativa*, neg. *objectiva*, concedo: seu, quod in idem recidit, *requiritur proportio, quæ reperitur inter affectum univocum, & causam univocam*, nego: *inter causam æquivocam, & effectum æquivocum*, concedo. *Proportio entitativa* in prædicatorum similitudine est constituta: *objectiva* vero in actione, & passione, seu in vi, qua causa debet esse prædita, quæ sit proportionalis effectui. Non ergo semper requiritur, ut causa sit univoca (n. 661.), alias sequeretur, architectum ex. gr. non posse domum construere non præditam intelligentia. Sufficit ergo &c. Hæc autem proportio Deum inter, & creaturas reperitur; ille enim est infinitus: hæ autem finitæ; igitur &c.

932. Inst. 3. Ut unum per aliud cognoscatur, necesse est, ut unum in altero repræsentetur: atqui proportio, quæ inter causam æquivocam, æquivocumque effectum reperitur, non efficit, ut causa repræsentetur in effectu; ergo &c.

933. Resp. *Debet in illo exprimi veluti in speculo, & in ænigmate*, concedo: *perspicue, & intuitive*, nego. Ut causa per effectum cognoscatur, sufficit, quod illa in isto eo modo repræsentetur, quo præstatur, ut causa queat per effectum cognosci. Atqui Deus potest obscure, & ænigmatice in creaturis cognosci, ut ostendimus; ergo hæc espressio sufficiens est.

934. Inst. 4. Non potest ullo pacto res alba cognosci per rem nigram: neque spiritus per corpus: neque id, quod est, per id, quod non est; ergo a pari neque poterit agnosci ens necessarium per ens fortuitum.

935. Resp. trans. antec. & neg. conseq. &c. Neque enim res alba, neque spiritus, neque id, quod est, causæ possunt esse rei nigræ, aut corporis, aut nihili. At ens necessarium potest esse causa, imo sola potest esse causa entis contingentis. Posita ergo existentia contingentium, necessario devenimus in cognitionem entis a se. Dixi *transeat antecedens*; certum enim est, aliquando oppositorum unum per alterum cognosci.

936. Inst. 5. Ens simplex aut nullo pacto cognosci-

tur, aut omnino cognoscitur: atqui Deus debet esse simplicissimus; ergo &c. Atqui nequit a creaturis omnino cognosci; ergo nullimode cognoscitur.

937. Resp. dist. antec. *Ens simplex, quod non valeat exprimi per multiplicia connotata*, concedo: *secus*, nego: in sensu datæ dist. nego min. &c. Nihil quidem in Deo est duplex, nihil mixtum, nihil concretum: at utpote infinitus omnia connotat, & loca, quia immensus: & tempora, quia æternus: & creaturas, quia omnipotens: & notiones, quia omniscius &c. Sicut ergo potest aut sapientia, aut tempus cognosci, reliquis non cognitis, ita poterit unum Dei attributum intelligi, aliis non intellectis.

938. Ob. 2. Si existeret ens infinitum, deberet omnia continere, quæ sunt in creaturis; ergo in creaturis nulla esset perfectio &c. Atqui plures in creaturis &c. ergo &c.

939. Resp. *Eminentialiter*, concedo: *formaliter*, nego. Eminentialiter continere idem est, ac talem habere virtutem, qua possint ea omnia præstari ab ente supremo, quæ efficerentur ab inferioribus in illo contentis: continere autem formaliter non aliud indicat, nisi omnes omnino, & quidem numero perfectiones propria essentia complecti, quibus in illo contenta donantur. Aliquæ igitur sunt in creaturis perfectiones, quæ Deo inesse possunt tantum virtualiter, cujus generis sunt omnes perfectiones, quas diximus *secundum quid* (n. 603) aliæ vero insunt Deo formaliter, illæ scilicet, quas *simpliciter simplices* ibidem nuncupavimus. At non omnes, quæ in creaturis habentur, in Deo quoque reperiuntur eædem numero; non enim Deus est aliqua quantitas extensa, aut compositum aliquod, quod vel ex partibus, vel ex diversis gradibus queat consurgere; Ipse enim est infinitus (n. 898.): infinito autem neque partes, neque diversi entitatis gradus queunt adjudicari (n. 788.). Quæ igitur in creaturis numericæ sunt perfectiones, has Deus continet non numero, sed specie secundum perfectissimum, ac infinitum gradum; hoc enim sufficit ad Ens infinitum consti-

ſtituendum, quod nempe omnia, quæ in reliquis finita reperiuntur, & limitata, infinito Ipſum complectatur modo.

940. Inſt. 1. Si quantitas infinita exiſteret, omnem aliam excluderet quantitatem; ergo ſi ens perfectiſſimum extaret, nulla alia reperiretur in entibus reliquis perfectio.

941. Reſp. diſparitas ex ſuperiori reſponſione fit manifeſta; ſi enim exiſteret quantitas infinita, (quam tamen impoſſibilem eſſe evicimus n. 786.) partibus conſtaret; adeoque, ſi aliqua reperiretur pars extra ipſam, poſſet illi ſuperaddi; ac per conſequens prima quantitas non eſſet infinita. At ens infinitum, & perfectiſſimum, cujuſmodi Deum eſſe jam oſtendimus, ſimpliciſſimum quoque, non concretum, non duplex, non copulatum eſſe debet; ac per conſequens omnes quidem, quæ in creaturis reperiuntur, debet continere perfectiones, ſed in ſpecie tantum, non in numero, alias compoſitum, non ſimplex eſſet.

942. Inſt. 2. Ideo corpus infinitum non compateretur ſimul corpus alterum finitum, quia ſi finitum illud infinito adderetur, infinitum majus evaderet: atqui eadem ratio valet de ente perfectiſſimo, & illi addito ente finite tantum perfecto; ergo &c.

943. Reſp. conc. maj. & diſt. min. *Eadem ratio &c. quatenus finita perfectio infinitæ addita perfectioni augeret numerum*, conc. *perfectionem*, neg. In primis animadvertendum eſt, in argumento iſto proponendo laborare ſemper atheos falſa ſuppoſitione; ſupponit enim argumentum, poſſibile eſſe corpus actu infinitum, quod nos improbavimus n. 789. falſa autem ſtatuta hypotheſi, quænam nequeunt abſurda deduci? Admiſſa tamen tamquam vera adverſariorum hypotheſi, dicimus, optimam eſſe propoſitionis majoris cauſalem: at quod valet de corpore infinito, non idem valet de ente perfectiſſimo; corpus enim infinitum conſtitueretur per additionem partium, & ideo ſi ulteriorem ſuſciperet additionem, majus evaderet. At ens perfectiſſimum non efficitur tale per numerum perfectionum, ita ut ſi numerus augeatur, & ipſum ens perfectius evadat: ſed perfectiſ-

S 2 ſimum

(n. 833.) ac per consequens quandocumque velit, nec teneatur (sicuti revera non teneri infra ostendemus) mala potest permittere; nihil ergo mirum, si bono Deo existente mala adsint in mundo; adsunt enim, quia Deus iste libertate summa donatur.

948. Inst. Si summum in mundo malum existeret, evincit contra Manichæos Augustinus, nullum futurum in mundo bonum; ergo a pari &c.

949. Resp. conc. antec. & neg. conseq. &c. Si adesset summum malum, quænam in eo posset reperiri perfectio? perfectio sane est bonitas; ens igitur tali præditum perfectione non esset summe malum: at libertas perfectio est; ergo hac deberet summum malum destitui, & ideo merum esset agens naturale; responsio ergo in idem recidit, quod supra innuimus.

950. *Schol.* Posset argumentum istud magis urgeri: at iterum cum proprio robore instituetur, ubi de malorum origine agemus.

ARTICULUS II.

De unitate Dei.

951. QUicumque plures in orbem Deos aut invexerunt, aut adorarunt, *Polythei* dicti sunt, & nunc etiam dicuntur: quicumque vero, quos corde Deos colebant, sculptis etiam imaginibus exprimentes sunt venerati, *Idololatræ* appellantur. Longum esset polytheismi, & idololatriæ originem, incrementum, & finem investigando, historiam modo contexere. Ita præterea de idololatriæ, & polytheismi origine variæ, ac discrepantes sunt Eruditorum sententiæ, ut plures istæ reperiantur, quam capita. Possunt itaque perlegi P. Berti, Eminentissimus Gotti, P. Ferrari *in Theologia*, Tournely, Witasse, & D. de Pluche *in Historia Cæli, & Gentilium Theogonia*, ut cæteros omittamus. Quidquid igitur de origine sit polytheismi, & idololatriæ, hoc certum est, simulacrorum, pluriumque veneratione n Deo-

rum in universum ferme orbem ante Christi tempora irrepsisse. Præter Ethnicos etiam, post latam quoque Evangelii legem, in ipso Christi grege plures enati sunt lupi rapaces ejusdem ovili callide insidiantes. Omittimus *Ophitas*, sic dictos, quia serpentem adorabant, pluris etiam illum facientes, quam Christum: *Carpocratianos* omittimus, qui teste Augustino imagines Jesu, Pauli, Homeri, & Pythagoræ adorabant, incensoque thure adolentes venerabantur. His videlicet omissis, *Gnostici* in primis occurrunt, sic dicti propter sublimem, eminentemque scientiam, qua se præditos jactabant (*Gnotis* enim græce, latine scientiam reddit). Hi Deorum, quos *Æonas* vocabant, conjugationes in Deitate fingebant, minoresque Deos 369. Valentinus quoque (unde *Valentiniana* originem habuit secta) 30. *Æonas*, 15. masculos, totidemque fæminas confinxit. Eodem vertente tempore, circa medium scilicet sæculum post Christum natum secundum, Cerdon, ejusque discipulus Marcion binos Deos, malorum unum, & visibilium, bonorum alterum, & invisibilium constituerunt Auctorem: eique licet insanissimæ sententiæ utroque pollice Apelles subscripsit, ex quo *Apellitæ* sunt enati. Hæc tamen secta usitato nunc nomine Manichæorum dicitur, quia circa annum 277. Marcioni Cubricus Persa adhæsit, qui *Manetis* nomen apud Persas virum designans eloquentem assumpsit: sed cum Græcos inter hominem furore percitum *Manes* significet, illud in Manichæum commutavit. Ab hoc nefaria, ac fæcunda *Manichæorum* secta erupit. Hi *Manichæi veteres* dicuntur: qui autem *recentes* appellantur, ii sunt, qui sæculis 8. (*Albanenses*) & 12. (*Albigenses*) labentibus opinioni de principiis duobus, bono uno, altero malo nomen dederunt: cujus sententiæ originem vetustissimam habet Cl. P. Berti, eamque, teste Plutarcho, ex Iside, & Osiride ab Ægyptiis adoratis erudite, ut assolet, demonstrat inceptam. Modo igitur quærimus, utrum naturalis rationis vis innuat nobis, plures, aut unum esse Deos agnoscendos.

PRO-

952. PROPOSITIO

Unus duntaxat Deus existit.

953. PRob. Deus est Ens infinite perfectum (n. 898.): atqui duo Entia infinita ne sunt quidem possibilia (n. 794.); ergo non existunt.

954. Prob. 2. Si possibiles statuantur plures Dii, possibiles quoque erunt infiniti Dii (n. 718.): atqui hi debent esse necessarii (n. 893.); ergo existunt (n. 895.): atqui hoc adversarii non concedunt; ergo neque plures existunt Deitates.

Solvuntur polytheorum argumenta, & de malorum agitur origine.

955. Obj. 1. Plura reperiri i. mundo mala, ipsa experientia docemur. Hoc autem posito, ita Epicurus, Marcion, Celsus, ac Baylius argumentantur. Aut Deus vult mala tollere, & non potest: aut potest, & non vult: aut neque vult, neque potest: aut vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit: si potest, & non vult, est invidus, quod æque est alienum a Deo: si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, adeoque nec Deus: si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit?

956. Antequam ad solutionem accedamus argumenti, in quo extollendo toti fuerunt antiquissimi Hæretici, ac Epicurei, & cui tantopere increduli recentes confidunt, explicanda aliquo pacto est malorum origo, ut eorum existentia cum bonitate Dei non pugnare ostendatur: sicque ad argumentationes istas responsio est altius repetenda. Tria igitur cum Leybnitio, & Wolfio sunt mala distinguenda: alia, quæ *metaphysica*: alia, quæ *moralia*: cetera, quæ *physica* dicuntur. *Malum metaphysicum* est positum in limitatione perfectionum essentialium. *Mala moralia* sunt contra legem vel dicta, vel con-

cupita, vel facta. *Malum* tandem *physicum vocatur*, ait Wolfius *Theol. nat. p.* 1. §. 373. *quod statum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere censetur, quam foret, si alii essent*. Duplex itidem malum cum eodem Wolf. *l. cit.* §. 271. est probe secernendum: *malum in se, & malum in relatione ad aliud. Malum in se appellari debet aliquid, cui aliqua imperfectio (vel essentialis, vel accideutalis) inhaeret. Ast malum erit in relatione ad aliud, quod ad imperfectionem alterius quid confert, vel ejusdem signum est*. His positis, en quomodo videtur nobis malorum origo a propriis causis deducenda, quin ulla in Deum aut imperfectionis, aut invidiae nota recidat.

957. Malum metaphysicum non posse ne per miraculum quidem ab hac rerum universitate auferri, solide demonstrant Wolf. *loco cit.* §. 381. & Genuensis *in Met. part. 3. in appendice ad prop.* 24. §. 9. iisque omnibus hanc veritatem patere puto, qui perpendunt, quod evidens omnino est, nec hebetis quoque acumen ingenii valet aufugere, creaturam scilicet infinitam a Deo minime condi potuisse: cujus axiomatis modo demonstrationem contexere, quam superfluum foret, nemo non videt; sufficit enim animadvertere, quod etiamsi possibilitas concedatur creaturae infinitae absolute, & in se spectatae, si tamen perpendatur existentia Creatoris infiniti, impossibilis statim talis creaturae existentia evaderet (n. 794.); tunc enim duo possibilia forent Entia infinita. Malum igitur metaphysicum a quacumque rerum serie auferri nequibat.

958. Videamus modo, quid de malo *morali*, & *physico* sit dicendum. Cum creatura infinita esse non potuerit, necessario laborare debebat & finito intellectu, & voluntate finita: cum vero ad felicitatem fuerit ordinata, sicuti debebat, necessaria ipsi erat mediorum cognitio, & electio, quibus eamdem consequi valeret. At media ista possibilia infinita propemodum erant; aut igitur infinitus intellectus, quibus omnia cognosceret, & inter cognita ea duntaxat eligeret, quibus finem conse-

qui

qui, & ea vitaret, a quibus remorari poterat, necessarius erat: aut immensus pene labor in horum finium electione, forsan sine spe ulla fructus, impenderet oportebat. Cum ergo Deus bonus non possit creaturarum felicitati invidere, imo illas debeat adjuvare, quo facilius finem suum consequantur, necesse erat, ut eis scientiam hanc communicaret. At nequibant homines essentialiter imbui hac sapientia infinità, utpote limitibus circumscripti. Supererat igitur, quod eam sapientissimus Deus per modum legis præberet. Aspexit vero Deus, ita naturam hominis esse comparatam, ut metu persæpe, & dolore: voluptate vero, ut plurimum, & gaudio determinetur; igitur utpote providentissimus debebat pænali sanctione legem munire ad hoc, ut præmium homo aspiciens, & pænam, ad propriam beatitudinem capessendam totis viribus contenderet. Hucusque igitur nonnisi boni, sapientissimi, providentissimi quoque Numinis signa conspiciuntur: nihil, vero, quod maleficam Divinitatem ostendat. At prædito homini lege directrice, pænali confirmata sanctione, non debebat aut libertatem, aut rationem adimere, alias hominem non perfecisset, sed destruxisset, ut Basilius animadvertit; ergo potis semper homo erat, & legi obsequi, & illi refragari. Si ergo ei non paret, quid ad Deum? perditio ex ipso, non a Deo proficiscitur.

959. Hucusque vestigia pressimus Ab. Genuensis *lo. cit.* qui sæpe contendit, non potuisse Deum peccatum impedire, nisi aut creaturam infinitam condidisset, quod erat impossibile: aut legem illi non contulisset, quod a bono Deo abhorrebat: aut libertatem ei abstulisset, quod mali, non boni Dei signum fuisset. Sed quod absurdum est, quodque Genuensis licet peracutus non inspexit, est, finitis limitibus sapientiam, potentiamque Dei hoc systemate coarctari: quod profecto vidit Paschalis Magli in opusculo cui tit. *dissert. filos.* contra Genuensem exaratæ *dissert.* 1. vidit enim inelegans, at subtilis homo, posse ita ab impiis, & Baylio præsertim reponi: potuisse Deum hominem sub gratia constituere efficaci, sub qua positus nec infinitus fuisset, nec legem amisisset,

nec

nec libertate fuisset expoliatus in omnium Catholicorum sententia: & tamen nunquam legem læsisset. Ab hac porro responsione quantumcumque, & quocumque Genuensis se vertat, numquam se valebit expedire, utpote contendens, non potuisse Deum, nisi aliquod ex recensitis sequutum esset absurdum, malum morale impedire.

960. Nos itaque libenter damus, potuisse, & posse Deum fœdam vitiorum omnium auferre colluviem, ipsi homini gratiam tantum efficacem tribuendo. At non dedit. Ita sane: quid igitur? ergo malus fuit. Ne unius quidem syllogismi homo hanc inscitam conclusionem intulisset unquam. Non quæritur modo, quid a bono Deo posset effici, ut malum vitaretur, & indubie vitaretur: sed quid ab Ipso foret præstandum, ne malus diceretur, & esset. Quousque igitur non evincant impii, necessario debuisse Deum, nisi vellet malitiæ nota inuri, hominem tali gratia donare, nunquam ex eo, quod poterat, quid deberet, poterunt inferre. Qui autem fieri potest, ut ostendant, munus fuisse Dei, etiam providentissimi efficaci gratia hominem insignire? Nonne Catholici ostendunt (quoniam ad Theologiam revelatam nos provocat impietas) Gratiam efficacem esse donum Dei supernaturale, prorsus gratuitum, ad quod nec natura, nec lex ullum jus habet, aut ullam repetundi rationem? Nonne consentiunt omnes, vel nulli denegari media ad salutem sufficientia: vel, sicui non concedantur, non concedi nisi in pænam præcedentis peccati? Sicut Fidei dogma est illud, quod profert Baylius, ita omnium communis opinio est, quam nos exposuimus. At quoties homo & natura, & gratia adjutus potest felicitatem consequi, nonne Deus, ut propriam bonitatem & exerceret, & ostenderet, quantum in se erat, est operatus? Si ergo labitur homo, & deficit, & peccat, non Dei, sed ipsius malæ voluntatis est vitio vertendum. Patet igitur, in malo morali permittendo, nec malum fuisse Deum, nec proprio bonitatis muneri ulla in parte defecisse.

961. De *malo physico* restat modo, ut aliqua dicamus. Quatuor malorum physicorum genera arbitror esse di-

distinguenda: prima, quæ a rebus naturalibus inanimatis, & animatis, rationis tamen expertibus: secunda, quæ ab hominibus: tertia, quæ a Deo irrogantur: quarta tandem, quæ ab ipsa hominis natura originem trahere conspiciuntur. Prima sunt *mala* tantum *relativa*, quæ ad imperfectionem totius aliquid conferre, nunquam impii demonstrabunt: innumeris vero exemplis citati Nieuvventitius, & de-Rham augere admodum hanc mundi perfectionem, ostenderunt. Si ergo penset homo, non a se tantum universum constitui, sed se esse potius minimam illius compartem, animadvertet equidem, quod sicut unitatis, dispositionis, ordinisque ratio requirit, ut lapides, quibus constructa est domus, in se mutuo agant, & a se mutuo patiantur, ita quoque tota universitatis ratio expostulat, ut quandiu vivimus, non dulces tantum, atque suaves, sed etiam graves, molestasque sensationes experiamur. Legatur S. Augustinus *l.* 1. *de Gen. contra Manich. n.* 25. *&* 26. Legatur quoque Spinoza ipse apud Genuensem *p.* 3. *p.* 177. qui hanc veritatem fatetur.

962. Malorum, quæ ab hominibus irrogantur, causa nequit dici Deus; quando enim contra hominem homo operatur, tunc profecto peccat: atqui peccati nec auctorem esse Deum, nec ullam in Ipsum ex peccati permissione refundi malitiam, jam supra n. 958. ostendimus; ergo neque ullum ex hisce robur desumit Impietas.

963. Pænas vero, quibus a Deo homines plectuntur, nullam Deo malitiæ notam inferre, breviter quidem, sed dilucide ostendit Augustinus, dum inquit: *aut juste puniunt propter peccata, aut utiliter exercent propter patientiam.* Inspiciamus primas duntaxat; de reliquis enim infra sermo redibit. Omnes igitur homines aliqua peccati labe esse infectos, stultus tantum poterit denegare. At quodnam in hoc malitiæ, aut invidiæ signum, si propter peccata Deus homines puniat? Nonne juste & Reges, & Principes quicumque justas a legum transgressoribus pænas expostulant? Quod igitur Dei ministros non dedecet, Deum Principem summum, omnium Dominum, & quidem infinite erga homines, si ita loqui fas est, be-

beneficum dedecebit? Videte quantum deliret Incredulitas; non enim homines illuminatos efficere satagit, sed lateres vellet crudos. Neque igitur ex his malis potest quis Optimum, Providentem Deum ullimode carpere.

964. Tandem, quæ in ipsa hominis natura sunt posita, vel ad animi, vel ad corporis passiones possunt omnia commode referri. In primis tamen hic ea secernenda sunt, quæ sibimet proprio vitio comparat homo, ab iis, in quæ necessario incurrit, quæque nolens etiam necessario patitur. Quæ sibi volens homo conflat, vitio suo vertat: quæ vero in ipsa hominis natura sunt constituta, & ad animam pertinent, passiones scilicet, miramur primo, eas ab adversariis nobis opponi, cum Baylius æque, ac omnes impii contendant, eas innocuas esse, nec meriti, vel demeriti capaces. Deinde per se omnes innocuæ vere sunt; sunt enim effectus naturales animæ humanæ. Quando vero iis libertas utitur, bonæ, si in bonum, malæ evadunt, si in malum eis utatur. Dum vero male iis utimur, non est Deus ex demonstratis vituperandus. Ex his igitur nostra causa non corruit. Quæ tandem passiones corporis dicuntur, Deum non ostendunt mali cujuspiam auctorem; per ipsas enim tendit corpus ad solutionem, ad quam est ordinatum: ad solutionem autem ordinatum esse corpus, bonum maximum est; tunc enim pervenit anima ad eam, quam petit, felicitatem. Vel si in cælum nolint increduli oculos elevare, animadvertant, creationem hominis esse opus Dei liberum, ad quod nulla adigebatur Deus necessitate. Quis vero tam arrogans erit, & procax, ut contendat, in libertate non esse situm donantis, elargiri quantum ipsi libuerit?

965. En detecta malorum origo: hanc veram esse, mihi confidenter suadeo: sicui autem non placeat, meliorem inveniat: animadvertat tantum, esse cum impiis dimicandum: ac per consequens esse naturali rationis lumine expendendam. Ob hoc apposite abstinuimus ab altera recensenda causa, imo potissima malorum physicorum, peccato nempe originali; communis enim Theolo-

go-

gorum ſententia fert, primo homine ſtante, nullas paſſuros cæteros fuiſſe pænas, & mala, ſed poſt temporalem vitam hic feliciter tranſactam omnes in æternam fuiſſe recipiendos.

966. Inſt. tamen impii, & increduli. Quæ a Deo mala irrogantur, juſtæ per vos peccatorum ſunt pænæ; qui plus ergo peccaverit, plus quoque torquebitur: qui vero minus, minus. Atqui contrarium potius aſpicimus; impii enim videntur perſæpe felicitate floreſcere, nullis ærumnis, nec ulla affici triſtitia: e contra vero boni, & juſti viri deprimuntur perſæpe, illos rerum abundantia non fulcit, non dignitatum gloria honorabiles oſtendit; ergo licet concedamus, peccatorum eſſe pænas, quæ homines mala patiuntur, ſemper tamen certum erit, Deum eſſe injuſtum, aut ſaltem hominibus non providentem; ac per conſequens malum.

967. Hoc eſt argumentum illud, cui in providentia, aut bonitate Dei impetenda primas ſemper increduli dederunt: ad iſtud vero convellendum nec Scripturis, nec SS. Patribus, nec Chriſtianis uti volumus Philoſophis: Ethnicus tantum, Seneca nempe, licet fidei lumine deſtitutus tales afferet reſponſiones, quales a Chriſtiano viro vix aliquis ſperaret: ut ſcilicet exinde aſpiciant *illuminati* iſti, quantum cæcutiant, dum a fidei præjudiciis veluti exortis, non a rectæ rationis lumine derivatis reſponſionibus noſtris irrident. Animadvertendum in primis eſt, non eſſe tam pronum, tamquam facile, ſicuti adverſarii putant, de hominum vel flagitioſa, vel honeſta vita rectum ferre judicium; perſæpe enim qui boni exterius videntur, magnis intus ſceleribus inquinantur: quapropter nec queunt impii tam præcipitanter afferere, bonos malis angi: malos vero bonis locupletari. Diſtinguenda deinde ſunt ea malorum genera, quæ ſuperius inſpeximus; ab iis enim, quæ ab hominibus, quæ a cauſis naturalibus tum externis, cum intimis boni patiuntur, non tenetur Deus eos liberare; & boni enim compartes ſunt hujus univerſi. Quæ autem a Deo irrogantur, quis unquam niſi in malis conſpexit? Sed concedamus, bonos & honeſtos homines malis in hac vita aſ-

assidue a Deo affici, numquid igitur malus est Deus? Non ita Seneca argumentatur *in lib. de Providentia*. *Nunquam natura patitur*, inquit, *ut bona bonis noceant. Inter bonos viros, ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? imo etiam necessitudo, & similitudo: quoniam quidem bonus ipse tempore tantum a Deo differt, discipulus ejus, æmulatorque, & vera progenies, quem Parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor sicut severi patres durius educat.... Cogita, filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liquet: bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat*. Ita c. 1. *Et c.* 4. *Hanc itaque rationem Dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.... Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos, & lacerat fortuna? patiamur: non est sævitia, certamen est: quo sæpe adierimus, fortiores erimus*. Nec dissimiles sensus nutrit, quicumque in virtutis exercitio athleta fortis adinvenitur: mala, quia bonus, pro bonis accipit: & *quemadmodum*, iniquit Seneca loco cit. c. 2. *tot amnes, tantum superne delectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum: manet in statu, & quidquid evenit, in suum colorem trahit; est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico non sentit illa: sed vincit, & alioquin quietus, placidusque contra incurrentia attollitur: omnia adversa exercitationes putat*. Nec bonus mala, quæ patitur, credit tantum bona, sed ea revera bona esse, ostendit *loco cit. c.* 3. postquam enim sibi objecerat veluti absurdum, bonum esse in exilium projici, in egestatem deduci, ignominia affici, debilitari &c. sic respondet. *Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis, quosdam ferro, & igne curari, nec minus fame, ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam ossa*

&.

& legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ sine totius pernicie corporis hærere non poterant: hæc quoque patieris, probari tibi, quædam incommoda pro his esse, quibus accidunt; perpendunt enim, ignem aurum probare, miseriam fortes viros: & sciunt, quod humilis, & inertis est tuta sectari: per alta virtutem ire. Quapropter *eodem cap.* sic post plura prosequitur. *Ignem experitur* (fortuna) *in Mucio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Infelix est Mucius, quod dextera ignes hostium premit, & ipse a se exigit erroris sui pœnas? quod Regem, quem armata manu non potuit, exusta fugat? quid ergo? felicior esset, si in sinu amicæ foveret manum?* Sic omnibus ostendit non pœnas, sed dona fuisse a Diis in tormentis data: *quia quanto plus fuit tormenti, tanto plus erit gloriæ.* Concludit igitur. *Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & æquo animo ferre, quæ non sunt mala, nisi male sustinenti.*

968. At interim impii bonis omnibus affluunt: ubinam ergo Deus vindex? Impii bonis affluunt? At si tormenta bona pro bonis sunt, voluptates mala pro malis erunt. *Prima tamen hæc est ultio*, inquit Juvenalis Satyra 13. *quod se judice, nemo nocens absolvitur*: scilicet sibi contradicens inquiebat optime Mirabodius *in systemate naturæ*: *non datur impius, quem sui moris non pudeat, quique sit suipsius contentus*. Et alibi: *non inficiamur, delicta occulta, scelera secreta nos nobis reddere viles, atque ad nostrum ipsorum erubescendum cogere.* At concedamus, nulla pœna in hac vita malos homines plecti; ultor igitur criminum non erit Deus? Catholica Dogmata non respiciant increduli, Ethnicum audiant. *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim, siquem judicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.* Ita Seneca sæ-

sæpe cit. *cap.* 4. Sed perlegendum est totum illud opusculum *de Providentia*, ita enim omnia sunt aurea, atque egregia, ut facile non sit meliora ex iis excerpere. Plura n. 958. sumpsimus veluti certa, quæ adhuc demonstrata a nobis non sunt: sufficiat tamen habere interim ideam quamdam illius responsionis, quam ducimus afferendam: habebitur deinde omni ex parte ipsa eadem doctrina confirmata.

969. Ob. 2. Aut Deus non est, aut plures sunt Dii; si enim universo hominum consensui sit fides aliqua præbenda, ex ipso eruetur quidem, Deum existere, non tamen esse unum; Ethnicos enim, eos videlicet, qui vel a Judæa, vel a Christiana Religione abhorruerunt, polytheos fuisse, omnis docet historia; cum ergo primum sit falsum, firmum remanet secundum.

970. Resp. Mirum nobis videtur, sic a Baylio, atheisque, aut polytheis ceteris argumentum efformari, potius cum Zenone Cittico erat instituendum: *aut unus Deus, aut nullus Deus*. Perpendamus tamen hujus objectionis robur, quod maximum potest iis omnibus videri, qui aut in veterum Philosophorum historia hospites plane sunt, vel rem in cortice tantum contemplantur. Nihil vero aliud modo præstabimus, nisi eam responsionem exponere, quam pro hoc argumento n. 427. veluti in nucleo exhibuimus. Et primo quidem animadvertendum est, ita incredulos recentes (si Baylium, aliosque paucos excipias) unitatem Dei ab Ethnicis agnitam contendere, ut quæ Faustus Manichæorum propria quidem ætate facile princeps Augustino objecerat, eadem impudentissimus Bulangerus Christianis opposuerit: temeritatem videlicet eorum esse, quod præclaram de uno Deo doctrinam suæ tantummodo religionis propriam esse jactaverint, cum tamen non modo Moyses, sed & sapientes Ethnici eamdem semper probaverint. Mirum proinde est, Baylium polytheorum doctrinam modo nobis objicere. Ad responsionem tamen descendamus.

971. Concedamus modo, quod impii sumunt, (quod tamen falsum esse infra demonstrabimus) omnibus nempe

pe

pe gentibus, non unum, sed plures Deos fuisse probatos: perpendendum tamen est, utrum sententia ista ab ipsius voce naturæ, an a præjudiciis potius dimanaverit; universalis enim consensus, dum evidentiæ innititur, ineluctabile præbet argumentum, non vero dum commentis fulcitur, ut n. 415. ostendimus. Quod si ad originem falsæ hujus assertionis oculos convertamus, aspiciemus statim, nonnullos quidem patriæ consuetudini, cum quid agerent, quodammodo nescirent, nonnullos vili cuidam plebis, aut Sacerdotum timori serviisse: plerosque vero libenti animo iis Numinibus litasse, quibus similes evadere, aut adulteria, aut furta, aut alia scelera perpetrantes tam facili, tamque jucunda ratione poterant: nullos tamen ipsi naturæ aurem præbuisse, quæ vel aperte clamabat, vel certe insusurrabat, maximum illum religionis cultum non esse præstandum nisi maximo, atque supremo Deo: illi tantummodo templa statuenda, illi adolenda thura, victimasque mactandas. Fatentur hoc iidem ipsi Gentiles, quoties naturæ voci amant eloqui consentanea. Tullius *lib.* 2. *de natura Deorum c.* 23. *&* 24. *utilitatum magnitudine*, inquit, *constituti sunt ii Dii, qui utilitates quasque gignebant.* Et Plinius *l.* 2. *hist. nat. c.* 7. *fragilis*, inquit, *& laboriosa mortalitas in partes istas digessit infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret.* Seneca tandem, quem tantopere redarguit Augustinus *de Civ. Dei lib.* 7. *c.* 10. *omnem istam*, ait, *ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad mores, quam ad rem pertinere.* Licet igitur concederemus, universas ferme omnium ætatum Nationes plures Deos adorasse, inspecta tamen superstitiosi cultus origine, apparet statim, quantum sit argumento fidendum.

972. Rem tamen penitius contemplemur. Plures Deitates, pluraque Numina Ethnicorum arriserunt ætati. Optime quidem: at dicant increduli, amabo, Deitates istæ nomine, an vero re Deitates apud Ethnicos erant?

Si supremi Numinis a polytheis definitionem traditam inspiciamus, patebit statim, unum ab ipsis fuisse Deum, quod ad rem pertinet, admissum, cæteros vero nomine tantum fuisse receptos. Audiantur Cleanthis versus, quos Clemens Alexandrinus servavit, ac Justus Lypsius latinos ex græco reddidit.

Si quale sit bonum rogas, ita accipe.
Est ordinatum, justum, & est sanctum, pium,
Sui potens, commodum aliis, pulchrum, decens,
Rectum, atque constans, semper autem conferens.
Expers metu, dolore, curis omnibus,
Juvans, benignum, stabile, amicum, amabile,
Honore dignum, confitendum .....
Et gloriosum, non superbum, quod gerit
Curam omnium, placens, & viribus valens.
Ævi vetus, culpæ inscium, semper manens.

En igitur ab Ethnicis & recepta, & tradita Dei definitio. Ille est Deus ex Gentilium sententia, ut inquit Augustinus *de Doctrina Christiana l. 1. c. 7. quo nihil melius sit, atque sublimius.* Vel igitur cæteræ, quas superstitiosi homines agnoscebant, Deitates tales erant, ut nihil ipsis melius, atque sublimius esset, vel non? Si primum Baylius ostenderet, demonstraret quoque, non nomine tantum, sed & re, Gentes omnes polytheas fuisse. At ut istud impius homo evincat, universam Gentium Theogoniam debet immutare; quæ enim apud Ethnicos de Diis enarrantur, ostendunt omnia, & finitas, & creatas, & dependentes, imo aliquas etiam nefarias fuisse ab ipsis Divinitates agnitas. Remanet igitur, quod nomine tantum polythei extiterint. At quid contra nos? plura impossibilia habenda esse Numina, quibus veri Divinitatis competant characteres, contendimus: non vero plura, quibus nomina tantum inscite tribuantur. In Scripturis etiam Divinis plures appellantur Dii: *in psalmo 49.* hæc leguntur: *ego dixi, Dii estis vos, & filii Excelsi omnes*; numquid igitur etiam Christiani habendi sunt polythei?

973. Ve-

973. Verum Ethnici (possent impii respondere) hisce Deitatibus *latriæ* cultum præstabant; ergo illas non nomine tantum, sed etiam re veros Deos habebant. At quid inde? nolim putetis, in hac nos esse sententia, ut veros numquam polytheos extitisse credamus; concedimus enim, imo contendimus, veros polytheos in praxi extitisse. Sed non in hoc quæstionis cardo versatur; non enim quærimus, quid obcæcata Ethnicorum voluntas præstiterit, sed quid eis natura dictitaret; quoties enim ostendit Baylius, in contraria sibimetipsis Ethnicos abiisse, ostendit simul, pluralitatem Deorum non vocem esse naturæ, sed voluntatis nefariæ: quod acute, ne dicamus modo divine, Apostolus advertit de Ethnicis in *epistola ad Romanos*, dicens: *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Vitium ergo erat voluntatis polytheorum religio: ab intellectu autem, non a voluntate est naturæ vox repetenda.

974. At injuriam profecto maximam Ethnicis inferremus, si omnes inscitia illa, ac crassa, & supina cæcitate detentos crederemus, quæ pluribus entibus vim, honoremque divinum esse tribuendum miserrime sibi persuadet; ita enim Philosophorum luculenta, & evidentia sunt testimonia, quibus evincitur, numquam fuisse polytheismum universali consensione suffultum, ut, nisi velimus Ethnicis imponere, fateri cogamur, universalem potius in unitate Dei, quam in polytheismo profitendo hominum fuisse consensum. Ut vero rem istam numeris omnibus, quantum fieri potest, absolutam reddamus, afferemus sectarum plurium de Divinitate judicium.

975. Neminem in primis latet, Hæbreos omnes unum duntaxat Deum adorasse. Hæbreorum natio & florentissima fuit, & adeo gentibus multiplicata, ut posteri Abraham dicantur *veluti arenæ maris*. Quod vero robur maximum argumento adjicit, est, nulli aliæ nationi in

ſcientia excolenda, in Theologia manuverſanda ipſam fuiſſe ſecundam, ut etiam ipſi Gentiles hiſtorici fatentur. (Videantur Brukerus, & Stanlejus *in hiſtoria Philoſophiæ*.) Non igitur ita eſt deſpicienda, ut ipſius ſententia nihil univerſali polytheorum aſſertioni obeſſe credatur.

976. Sapientiores tamen Ethnicos inter inſpiciamus: & primo quidem antequam ad Romanos, Græcoſque deſcendamus, oſtendemus, barbaros haud ita paucos optime hac in re graviſſima & vidiſſe, & ſentiiſſe. Ille quidem Zoroaſtres, qui Dario Hyſtaſpis filio favente novis inſtituit Perſas præceptis, ita ſupremum Numen perfectionibus omnibus cumulatum delineat, ut nihil aliud illi poſſit comparari: ac per conſequens unum duntaxat conſtituit. *Ipſe etiam Deus*, inquit, *eſt inter bonos Optimus, inter prudentes maxima prudentia præditus. Pater etiam eſt æquitatis, atque juſtitiæ. Omnia idem novit, cum a nemine tamen didicerit, & ſapientia, & natura perfectus. Sacram naturæ ſcientiam Ipſe ſolus invenit*. Hæc omnia de Zoroaſtre narrat Euſebius Cæſarienſis *Præp. Evang. l.* 1. *c.* 10. quæ ab Anquetilio teſtimonio oculari quoque narrantur, ac Theodoro Mopſueſteno viro certe hac in re magnæ, & intemeratæ auctoritatis Nec diſſimilia, imo & ipſiſſima referunt Oſtanis libri, ac præſertim carmen illud celebre *Sadder* appellatum, in quo præter alia multa hæc notatu digniſſima legebantur. *Scias primum, Dominum Deum tuum eſſe unum, Sanctum, Cui non eſt compar, eſt etiam Dominus potentiæ, & gloriæ*. Hæc vero omnia non illos tantum Perſas, qui Zoroaſtris doctrinam venerabantur, ſed eos quoque, a quibus aut ignorata, aut neglecta illa fuit, docuiſſe, ipſi etiam Græci memoriæ prodiderunt: (legatur *Herod. l.* 2. *Eubulus apud Porphyrium de Antro Nimpharum: Dio Chriſoſtomus Orat. Boryſtenorum* 36. *Diog. Laert. in Proœmial. aliique plures*.)

977. Æthiopum gentem, multitudine innumerabilem, ac regionibus infinitam Divini Numinis unitatem aliquo modo cognoviſſe, diligens auctor nobis eſt Strabo, qui *l.* 17. ait: *Putare* (illos) *Deum eſſe unum immortalem*, *alte-*

alterum mortalem: immortalem quidem Eum, qui rerum omnium causa sit: mortalem vero apud eos esse incertum, & nomine carere, sed frequentius eos, a quibus beneficia acceperunt, & Reges pro Diis habere. Mortalem hunc vero Deum eumdem ipsum esse, quem sub *Typhonis* nomine malorum principii Ægyptii reformidaverunt, putat Brukerus *T. 1. hist. crit. p. 309.* Cum vero tradiderint Æthiopes, hunc malum Deum esse a bono vincendum, patet, soli bono Numini, quæ Divinitatis sunt, fuisse tributa.

978. Idem Strabo de Celtiberis agens, unum ab illis Numen, inter omnia scilicet maximum, ac præstantissimum coli memorat. Chaldæos quoque, Indos, aliosque perantiquissimos populos in eadem fuisse sententia, pluribus ostendit P. Brenna in opere sæpius cit. *de gener. hominum consensu &c.*

979. Ne tamen longior, quam ego vellem, hæc pertractatio evadat, de illis distinctius non agimus, qui Græcos inter, atque Latinos ingenii, atque doctrinæ, præsertim vero Philosophiæ laude claruerunt. Quænam omnium ferme Philosophorum fuerit sententia circa unitatem Dei, aspici poterit in Minucio Felice *in Octavio* apud Fort. a Brix. *Metaph. part 3. prop. 2. n. 3.* & apud Petavium de *Unitate Dei*; omnes enim una voce confessi sunt, aut unius, aut nullius esse Dei existentiam agnoscendam.

980. Quî tamen factum est, possent increduli reponere, ut unitatem Dei agnoscentes Philosophi, plures tamen sæpe dixerint &c. Quia videlicet, ut doctissimus observat Ficinus *præf. in Catylum Platonis*, Plato ipse, qui plures Deos nominaverat non semel, *unicum per seipsum in Parmenide, atque Timæo probat esse Deum: cæteros vero angelicos, cælestesque Dei ministros cum Deos nominat, non tam Deos, quam Divinos appellat.* Audiatur tamen Onatus nobilissimus e Pythagoræ schola Philosophus clarius eadem proferens, a Joanne Stobæo diligenter servata. *Neque mihi unus videtur Deus rerum Universitatem gubernans, alii autem præterea multi diversis virtutibus præditi. Imperat autem omnibus Deus is,*

qui robore, magnitudine, virtute præstat. Hic ille Deus est, qui universum mundum arcet, moderatur, & continet. Reliqui vero Dii sunt, qui per cælum eodem, quo tota rerum universitas, motu decurrunt, primum, & intelligibilem illum Deum ordine sequentes. Hæc Pythagorici: nec dissimilia, imo eadem de Deo Plato pronunciavit, velut cum *l.* x. *de legibus Conditorem* (vocat illum) *universi orbis, ac Patrem, qui cælum, qui terram, qui Deos, qui omnia quæcumque in cœlo sunt, aut tartareis sedibus, aut in ipsa tellure produxerit.* Alii cum Aristotele, *unus*, dicebant. *Deus cum sit, pluribus nominibus appellatus est, ab iis utique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet.* Hæc Aristoteles habet in *lib. de mundo c.* 7. quod opus Aristotelis esse fœtum, demonstrat solide Fabricius *Bibliot. Græcæ l.* 2. *c.* 10. §. 17. quidquid in contrarium senserint M. Antonius Muretus, & Daniel Heinsius. Alii tandem, quos inter eminet Cicero, ut populo deliranti obsequerentur, linguam ex alieno jecore moventes, quod ipsis falsum erat, & vanum, hoc sæpe protulerunt, plures nempe extare Deos.

981. Inst. Baylius *cit. Contin. des pensées p.* 20. Licet plures ex Veteribus Deum dixerint unum, non tamen exinde conficitur, ab ipsis Dei unitatem ita agnitam fuisse, quemadmodum a nobis; Deum enim unum dicebant ea ratione, qua domus, qua exercitus, qua reliqua ejusdem generis unum dici solent: unum scilicet, ut in scholis loqui solemus, *logicum*, non *physicum*, aut *metaphysicum*; ergo &c.

982. Qui autem ita disputat, furore potius correptus, quam recta ratione ductus demonstrationem a nobis usurpatam non bene intelligit; vis enim illius omnis non in eo est, quod vocem *Deus* in singulari numero Ethnici non raro usurpent: at in eo, quod iidem Ethnici, cum ex animo, ac naturæ ipsius quodam instinctu loquuntur, eodem ferme modo, quo Christiani de Deo loquantur; ut enim inquit Lactantius *l.* 2. *de Divin. Instit. cap.* 1. *cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non*

Jo-

Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, ab invitis pectoribus erumpit; non igitur in sola voce ab Ethnicis usurpata, imo nullum in ipsa robur nostræ causæ constituimus: sed ex sententiis sub voce illa latentibus, ac persæpe ab Ethnicis declaratis, palamque prolatis optime inferimus, universalem potius Sapientum consensum in unitate Dei, quam in polytheismo amplectendo semper fuisse.

983. Inst. idem Bayl. *Resp. c. 90. sub init.* Ethnici ferme omnes, ac præsertim Philosophi Deum aut mundum ipsum, aut mundi animam ut plurimum dicentes, corporeum fingebant. Igitur tot erant Dii, quot erant partes; singulæ enim illæ partes Divinæ naturæ sunt: quælibet autem Divina natura Deus dicenda est; ergo ipsum Deum unum dicebant *logice* tantum, non vero *physice*, aut *mataphysice*.

984. Resp. Licet argumentum istud ita urgeri possit (quod contra Varronem Augustinus egregie præstitit *de Civitate Dei l. 7. c. 6. & seqq.*) ut Stoici, ac reliqui Ethnici subtilissimam quamdam naturæ Divinæ materiam immiscentes, cum Deum unum esse dicunt, sibi contradicere videantur: non tamen efficitur, Deum ab illis unum non fuisse positum: quemadmodum neque ex eo, quod unum Deum tam aperte ponant, concludi licet, quod materiam Divinæ naturæ non immiscuerint, licet eodem modo cum natura infinita, & unitate ipsius naturæ illa manifeste pugnet. Aliud igitur est aliquid negare: aliud pugnantia loqui. Si velimus Auctoribus eas duntaxat sententias tribuere, quæ cum aliis eorumdem cohærere possunt, erit nobis asserendum, animam hominis non fuisse ab Epicureis tum recentibus, cum veteribus vel materialem statutam, vel cogitatione præditam; utrumque enim asserere idem est, ac contradicentia loqui: & tamen neutrum fatui isti unquam repudiarunt. Sicut igitur materialis per incredulos tum quoad animam, cum quoad corpus homo, unus tamen est, ita Ethnicis, etsi materialis, unus Deus erat, non ut domus, & exercitus, sed quemadmodum unus est Epaminondas, Zeno,

Alcibiades, Cæsar, & Cato, aut alius quilibet homo,

985. Inst. Bayl. *Contin. des Pensées* §. 26. Qui Dei unitatem veteribus Ethnicis notam fuisse docent, probant ad summum, paucis quibusdam Philosophis illam innotuisse.

986. Resp. Mendacium istud Baylii vix confutatione indigeret; nam primo quidem, ut diximus, inter Ethnicos, & Persas, & Æthiopes, & Chaldæos, & alios Philosophos plurimi homines id sunt assecuti, ut unum Ens summe perfectum, hoc est, unum Deum esse cognoscerent. Deinde si Plato, si Aristoteles, si Zeno, si Sophocles, si cæteri, quorum verba laudantur, pauci erant: non tamen pauci erant ii, qui Platonis, qui Aristotelis, qui cæterorum græcæ Sapientiæ principum sententias incredibili quadam animorum contentione defenderent. Quapropter Cyrillus vir doctissimus contra Julianum ea scribere potuit. *Manifestum est etiam græco more philosophantibus unum censeri, & inconfesso esse Deum Universi conditorem, & natura omnes superantem, a quo facti sunt, & producti ad generationem alii deinceps Dii sub imaginationem, & sensum, ut ipsi loquuntur, cadentes.*

987. Quæ cum ita sint, manifestum est, Baylium in hoc argumento roborando nil minus efficere, quam quod vult, totum scilicet humanum genus in turpissimo polytheismi errore per multas etiam ætates fuisse versatum,

Sectio II.

De præcipuis Dei attributis.

988. De præcipuis dicimus nos acturos attributis, non quod unum altero majus in Deo reperiatur, quippe in Deo sunt omnia æqualia, sed ratione libertinorum, qui, ut a fundamentis Religionem nostram everterent, in unum potius, quam alterum arma strinxerunt. Quæ vero præcipua ducimus incredulorum con-

convellendæ insaniæ, sunt libertas, immutabilitas, æternitas, omnipotentia, sanctitas, sapientia, simplicitas, immensitas, veracitas, affectus, & providentia.

ARTICULUS I.

De libertate Dei, ac de fato.

989. QUæcumque tradiderunt Stoici de fato dubium ingerunt, quod Divinam libertatem de medio abstulerint. Altius rem ipsam repetamus. *Quid intelligis fatum?* inquiebat Seneca *QQ. nat. l. 2. c. 36. Existimo necessitatem rerum omnium, causarumque, quam nulla vis rumpat*. Scilicet fatum Stoicum, siquid intelligo, in hoc est positum, quod tulerit ab æterno Deus quædam decreta, quibus omnia infallibiliter regantur. *Irrevocabilis enim*, iquit idem Seneca *l. de Prov. c. 5, humana pariter, ac Divina cursus vehit. Ille ipse omnium Conditor, & Rector scripsit quidem fata, sed sequitur: semper paret, semel jussit*. Veritas, vel falsitas hujus opinionis videtur mihi pendere ab explicatione illius necessitatis, qua omnia juxta præordinationem fatorum sequuntur; si enim illa sit tantum *moralis*, seu *hypothetica*, profluens nempe ab immutabilitate Dei, nihil absimile tradunt cum S. Thoma Theologi cordatiores: si vero ipsi quoque decretorum, seu fatorum emanationi ita subditus dicatur Deus, ut non potuerit decreta illa non ferre, en falsa, impia, & sacrilega opinio Deo libertatem tollens, & hominibus. Cum ergo nondum potuerint unanimi criterio ex Stoicorum libris deducere Eruditi, quonam in sensu foret illa necessitas a Stoicis accepta, mirum non est, si in diversa, imo & contraria abierint. Justus Lypsius *in Phisiol. Stoic. l. 1. Disser. 11.* putat, fatum Stoicorum ne latum quidem unguem a Christianornm providentia differre: e contra vero defendit Thomasius, ab hoc fato non posse atheismum distingui. Nihil forsan, meo saltem judicio, reprehensione dignum in hisce Criticis adinvenietur, si diversi

versi Stoici inspiciantur. Cum Seneca loco superius cit. manifeste tradat, fatum cum libero hominis arbitrio posse salvum consistere: cumque præterea *l. 1. QQ. nat.* asserat, *Deum esse sibi necessitatem suam*, videtur Lypsio præbere rationes, quibus proprium tueatur assertum. E contra vero cum alii ex eadem schola, quos perlegere fas est apud Ciceronem *in l. de Fato*, & Deo, & creaturis libertatem abstulerint, opinionem Thomasii non reddunt improbabilem,

990. Verumtamen fatum ineluctabile, necessitatem absolutam entibus quibusque inferens humanis, Democraticos agnovisse, Epicureos, & Spinozistas, nemini dubium esse potest; Democritus enim, & Epicurus nonnisi materiam in mundo agnoverunt (n. 804.): materiæ nec concesserunt, nec concedere libertatem potuerunt; quæcumque igitur in universo eveniunt, necessitate eveniunt physica, & absoluta. Sed fatum istud creaturas quidem, seu entia mundana, Deum vero, ut patet, nullimode respicit.

991. Deum simul & creaturas invincibili necessario fato subjecit Spinoza, ut ex ejus constat expositione systematis (n. 808.); quidquid enim a Deo esse agnoscit hic impius, omne tuetur factum per emanationem essentialem naturæ Divinæ, seu necessitate essentiæ ipsius.

992. Nos ergo hoc in articulo eos tantum Stoicos, qui doctrinam fati, quod etiam Deo necessitatem inferat, defendebant, impetimus. Contra Democritum, & Epicurum jam invincibilem cum Metaphysicis cæteris demonstrationem attulimus (n. 826.): Spinoza vero jam nutat ex n. 829. corruet autem omnimode in seqq.

993. PROPOSITIO

Deus est summe liber.

994. DEus est Ens necessarium (n. 893.). Sed siquod Ens necessarium existat, summa debet in iis, quæ operatur ad extra, libertate gaudere (n. 834.); ergo

ergo Deus est summe liber. Deinde quidquid Deus vult, ita vult, ut a nullo dependeat (n. *896.*): sed ubi nulla est dependentia, ibi a fortiori nulla est determinatio; ergo Deus a nemine ad volendum determinatur; est igitur liber. Sed liber est etiam a necessitate intrinseca circa ea, quæ extra semetipsum vult; omnia enim quæcumque vult, sunt finita: atqui Infinitum, nempe Ens a se non valet ad finitum necessitate rapi propriæ naturæ; alias sibi non esse sufficientissimum; ergo &c. Deinde, rem ipsam penitius considerando, omnia, quæ sunt finita, facta sunt ab ipso Deo (n. *826.*); ergo in Dei vi continebantur; quomodo igitur valet essentialiter pendere ab iis, quæ sua sunt, tamquam forent aliena? Tandem, ideo Deus in quorumdam Stoicorum sententia non est liber, quia subditur suis decretis; semel enim fata scripsit, semper sequitur. At illa Decreta non absolutam, sed hypotheticam tantum, ortam scilicet a summa Dei perfectione, inferunt necessitatem. Cum ergo libere decreta sint lata, *liber*, ut inquiunt, *absolute* erit Deus.

995. Ob. 1. Deus sua decreta non valet mutare; ergo non est liber. Prob. cons. Libertas in hoc est posita, quod quis ex duobus contradictoriis possit unum, vel alterum eligere. Atqui Deus nequit eligere, quod est contrarium decreto; ergo non est liber.

996. Resp. conc. antec. & neg. conseq. ad prob. dist. maj. *Libertas &c. antequam voluntas ad aliquid se determinet*, conc. *post emissum libere a voluntate decretum*, subdistinguo: *est signum libertatis imperfectæ*, conc. *perfectæ*, neg. maj. &c. *Cavendum est*, optime inquit ad rem nostram Genuensis *met. part.* 3. *prop.* 12. *in Sch. Cavendum est Philosopho, ne ex notionibus voluntatis, & libertatis nostræ de voluntate, & libertate Dei disserat. Meminerit egregii illius Augustini dicti: multa Divina iisdem nominibus appellantur* (ac humana), *cum incomparabili diversitate sejuncta sint. Sunt autem voluntatis nostræ quidam defectus, qui longe absunt a Dei natura perfectissima*. Quod itaque nostra voluntas sæpe fe-

feratur in ea, quæ contraria omnino sunt jampridem a se decretis, hoc provenit vel ab ejus imbecillitate rationis, qua nonnisi successive valet plura cognoscere; vel ab aliis quampluribus caussis. Cum ergo hæc omnia sint a Deo arcenda veluti meræ imperfectiones, earum quoque effectus, libertas nempe immutabilitati opposita est ab ipso eliminanda. Essentia itaque libertatis in hoc est posita, quod possit quis, nulla interna, externaque accedente coactione, ad utrumlibet ex contradictoriis semetipsum determinare: decretorum vero jam latorum mutatio non ad libertatem, quæ est perfectio, sed ad imperfectionem est referenda. Cum ergo Deus libertate summa leges, decretaque tulerit, liber est: cum vero ab iis nequeat recedere, est summe perfectus.

997. Inst. 1. Atqui decreta non sunt libere a Deo lata; ergo &c. prob. subs. Si Deus libere fata ista scripsisset, potuisset illa non ferre; ergo potuisset in statu constitui a presente diverso; ergo esset mutabilis.

998. Resp. neg. sub. ad prob. conc. antec. & distinguo conseq. *in iis, quæ sunt ad extra*, concedo: *secus*, neg. conseq. Duplex in Deo est status considerandus, intrinsecus nempe, & extrinsecus (licet & externus sit tantum externus propter relationem, quam habet ad creaturas). Cum Deus semetipsum cognoscit, ac diligit, tunc profecto necessario agit necessitate orta a natura perfectissima, quæ in objectum perfectissimum ferri debet necessario: & amor iste cum cognitione conjunctus *statum* constituit Deo, ut ajunt scholæ, *intrinsecum*. Quando vero creaturas producit, aut vult, licet etiam actiones hujusmodi a Dei substantia profluant, ac per consequens, proprie loquendo, non sint quid Deo extrinsecum: tamen quia ad creaturas referuntur, sunt libere a Deo productæ; cum enim creaturæ præsertim possibiles nullas habeant perfectiones, quæ Deum necessario alliciant, non habent aliquid, quod Deum necessario determinet ad actum aliquem exercendum, & ideo ipsæ dicuntur statum Dei extrinsecum constituere. Neque inde valet inferri: ergo Deus erit mutabilis sal-

tem

tem extrinsece; non enim in hoc est constituenda mutabilitas, quod possit quis unum potius, quam aliud amplecti: sed tota ratio mutabilitatis ab eo pendet, quod agens aut novos producat actus, aut prioribus, quos emisit, contrarios eliciat.

999. Inst. 2. Atqui nullus est status ille extrinsecus Dei; ergo &c. prob. subs. Satus ille constituitur per relationem, quam habent actus Divini ad creaturas: atqui hæc connotatio, seu relatio nulla est; ergo &c. prob. min. Vel relatio illa est Deo intrinseca, vel extrinseca: primum nequit esse, alias necessario condidisset Deus creaturas: repugnat vero secundum, quia hoc supposito determinaretur Dei libertas a creaturis; ergo &c.

1000. Resp. relationem illam esse Deo intrinsecam ex parte Divini actus: esse vero extrinsecam respectu termini, seu objecti. Omnis itaque actus ex parte Dei est ipsi intrinsecus, quia omnis ejus actus est ab ejus natura realiter indistinctus, alias non simplex esset Deus, sed concretus, copulatus, & duplex: relate vero ad creaturas, quas habet pro objecto, est Deo extrinsecus. Sicut ergo non repugnat, actus providentiæ, præscientiæ &c. esse Deo internos ex parte ipsius actus, & externos respectu ipsarum creaturarum: ita &c.

1001. Inst. 3. Saltem igitur status externus per relationem ad creaturas constitueretur. Atqui nulla Dei perfectio potest per externum aliquod, & creatum determinari; ergo &c.

1002. Resp. *Nulla Dei perfectio &c. connotans creaturas*, neg. *secus*, conc. min. subs. Necessario itaque respectu termini perfectiones Divinæ creaturas connotantes per aliquod externum debent determinari, alias connotarent simul, & non connotarent creaturas, ut patet. Sicut ergo providentia est maxima Dei perfectio, & tamen a creaturis determinatur, quia Deus libere quidem semetipsum determinavit ad providendum creaturis, at non poterat creaturis providere, quin simul terminaret suam actionem ad creaturas, alias provideret simul, & non provideret creaturis, ita &c.

1003. Ob.

1003. Ob. 3. Dei actiones non distinguuntur a Dei substantia: atqui substantia Dei est necessaria; ergo etiam actiones illæ sunt necessariæ.

1004. Resp. conc. maj. & dist. min. *Dei substantia est necessaria quoad existentiam*, conc. *est necessaria, quatenus necessario operatur*, subdist. *ad intra*, conc. *ad extra*, neg. min. & conseq. Dei substantia est necessaria quoad existentiam: non tamen necessitas existentiæ infert necessario necessitatem operationum. Deus itaque, quia est necessarius existentiæ, & cum sua existentia conjungitur necessario sui amor, & intellectio, ideo necessario semetipsum intelligit, & amat: quia tamen cum existentia non necessario unitur creatio, decretum &c. ideo hæc necessario non elicit.

1005. *Coroll.* Igitur nullum est fatum Stoicorum; cum enim prima Causa sit libera, non est necesse, quod reliquæ causæ sint necessariæ. Insuper decreta a Deo lata libere sunt scripta; ergo aliter exarari poterant; igitur series ista causarum, & effectuum non est necessaria, nisi hypothetice: absolute vero est contingens.

ARTICULUS II.

De immutabilitate Dei.

1006. Immutabilitas est perpetua rei permanentia in eodem statu. Duplex autem distingui debet status, substantialis, & accidentalis. Immutabilis primus dicitur, quando idem semper permanet subjectum quoad propriam substantiam, essentialia scilicet, & attributa. Secundus vero immutabilis nuncupatur, quando ea etiam, quæ veluti accidentia considerantur subjecti, semper eadem sunt. Contendunt aliqui, Stoicorum hanc fuisse sententiam, Deum scilicet mutabilem esse in sui decretis: si tamen Seneca consulatur in his, quæ protulimus n. 989. Stoicos inter nemini secundus, patebit apertissime, libertatem Dei in ancipiti a Stoicis fuisse positam, non vero immutabilitatem. Quæ vero putamus, Stoicos non præ-

præstitisse, docuerunt Sociniani tum veteres, cum recentes, impietatem Socini Senensis amplectentes, qui sæculo storuit *16*. Contra istos itaque hæc sit

1007. PROPOSITIO

Deus ita est immutabilis, ut nec unquam ceperit existere: nec unquam ejus sit desitura existentia: nec ejus valeat mutari natura, neque attributa, neque decreta.

1008 QUod per singulas partes breviter ostenditur. D igitur 1. *pars*. Si cepit Deus aliquando existere, fuit prius mere possibilis: sed Deus mere possibilis repugnat (n. 895.); ergo &c.

1009. D. 2. *pars*. Si aliquando Dei deficiat existentia, aut ab alio ea destruetur, aut ab ipso Deo: sed non ab alio, quippe Deus a nullo dependet (n. 896.): non a Seipso, quia ad destruendum Infinitum vis requireretur opposita, & infinita: at hoc in casu nullus sequeretur effectus, ut patet; ergo &c. Deinde si Deus aliquando destrueretur, aliquando etiam non existeret; ergo non foret Ens necessarium. Atqui est Ens necessarium (n. 893.); ergo &c.

1010. D. 3. *pars*. Si Entis a se mutaretur natura, neque prima, neque secunda esset necessaria; aliquando enim alterutra non existeret: sed natura solo nomine ab ente distinguitur, cujus dicitur natura; ergo non esset necessarium Ens a se: sed hoc est falsum (n. 893.); ergo &c.

1011. D. 4. *pars*. Si Divina mutarentur attributa, ea vel crescerent, vel minuerentur: atqui utrumque est impossibile; Deus enim est infinitus (n. 898.): sed Infinitum neque augeri, neque minui valet (n. 790.); ergo &c.

1012. D. tandem 5. Decreta Dei non distinguuntur postquam sunt lata ab ipsius natura, alias foret Deus compositus. Atqui natura Dei est immutabilis ex de-

demonstratis; igitur & decreta sunt immutabilia:

1013. *Coroll.* Igitur Deus est æternus; æternum enim est illud, quod neque principium, neque finem agnoscit (n. 767.): talis est Deus ex modo demonstratis; ergo &c.

1014. *Schol.* Quæ a libertate Dei, & ipsius temporariis operationibus possunt objectiones desumi, solutæ jam sunt, ubi egimus (n. 854. & seqq.) de mundi æternitate.

Articulus III.

De Omnipotentia Dei.

1015. Omnipotentia est vis omnia solo nutu faciendi, quæ intrinsecus non sunt impossibilia. Duplex ea debet distingui, *absoluta*, & *ordinaria*, ut diximus n. 572. Quicumque creationem ex nihilo impossibilem statuerunt (qua in sententia fere omnes Ethnicos Philosophos fuisse, animadvertimus n. 804.): ii etiam omnes, qui vel cum Petro Abaleardo potentiam Dei ad ea tantum extenderunt, quæ facta sunt: vel etiam cum Wiclesso, & Calvino ad illa solum, quæ in decretis futura esse, jam legit: hi, inquam, omnes omnipotentiam Dei de medio sustulerunt.

1016. Propositio.

Deus est omnipotens.

1017. Dei natura est infinita (n. 898.); ergo vim habet infinitam. Atqui in hoc consistit omnipotentia (n. 1015.); ergo &c.

1018. *Schol.* Licet in Deo non distinguatur ab intellectu voluntas, non tamen inde sequitur, omnia, quæ intelligit, decrevisse; quemadmodum enim, licet non distinguatur in nobis intellectus a voluntate realiter, tamen certum est, voluntatem esse potentiam liberam distin-

stinctam, aliquo pacto a potentia naturali, seu necessaria ipsius animæ, distinctam videlicet ab intellectu: ita in Deo &c. Ex eo deinde, quod nequeat Deus mori, peccare, mentiri, non recte quis inferret, omnipotentem Ipsum non esse; non enim est perfectio vis, quæ in imperfecta dirigitur, aut tendit; cum ergo omnipotentia summa Dei sit perfectio, nulla laborare debet imperfectione.

ARTICULUS IV.

De sanctitate Dei.

1019: PErpetuum, atque efficax consilium volendi, quod propriam naturam decet, & nihil præter id volendi, summa Divinæ virtutis est, seu absoluta, & cumulata Dei sanctitas. Nemo, quem sciam, Deum sanctitate sua conatus est orbare; licet enim tradiderint ex. gr. Manichæi, Deum posse, & reapse mentiri: licet docuerit Calvinus, posse Deum physice homines ad peccatum impellere: putaverunt tamen, actus hujusmodi non esse Divinæ naturæ contrarios: quapropter in vera errarunt quidem notione stabilienda mendacii, & impulsus ad peccatum, sanctitatem tamen Deo non abstulerunt. Sed quia hac veritate in seqq. indigemus, ideo hæc a nobis statuitur

1020. PROPOSITIO

Deus est summe sanctus.

1021. D. Deus est infinitus (n. 898.); ergo est summe bonus physice; alias cum malitia quælibet sit defectus, aliquid Deo deesset; ergo non foret infinitus. Atqui si sit summe bonus physice, talis est etiam moraliter; etenim si posset operari contra id, quod ipsum decet, posset operari contra proprium aliquod attributum, ergo eo in casu actu privaretur illo attributo; tunc igitur non bonus foret physice; non foret ergo

go infinitus. Sed hoc est impossibile (n. 898.); revera igitur ea tantum valet agere, quæ sunt attributis suis consentanea: in hoc sanctitas est posita; igitur &c.

ARTICULUS V.

De omniscientia Dei.

1022. Omniscientia est perfecta cognitio omnium possibilium, præteritorum, existentium, & futurorum. Scientia, qua Deus possibilia contemplatur, *scientia* dicitur *simplicis intelligentiæ*: ea vero, qua existentia considerat, *visionis scientia* appellatur: illa tandem, qua res futuras aspicit, *præscientia* a Theologis nuncupatur.

1023. Plures ex veteribus Philosophis, quos inter adnumeratur Cicero, verentes, ne præscientia Dei semel statuta, libertas homini adimeretur, illam Deo denegarunt: *sicque ut homines facerent liberos, sacrilegos effecerunt*, ut inquit Augustinus *l.* 5. *de Civitate Dei c.* 9. Contra istos, aliosque fatuos hæc sit

1024. PROPOSITIO

Deus omnia possibilia, præterita, præsentia, & futura uno tantum simplicissimo conspicit intuitu.

1025. D. 1. *parf.* Deus est omnipotens (n. 1016.): atqui nemo producere valet, quod non cognoscit, ut patet; ergo Deus omnia possibilia intuetur.

1026. D. 2. 3. 4. *parf.* Quæcumque vel existunt, vel prætererierunt, vel futura sunt, existentiam a Deo diversis temporibus recipiunt (n. 826.): atqui nemo dare valet, quod non cognoscit; igitur &c.

1027. Ob. 1. Si hæc propositio ex. gr. Petrus cras ambulabit vera a Deo determinate cognosceretur, rueret Petri libertas: hoc sacrilegum, & impium est; ergo &c. prob. maj. Illa Petri actio necessario eveniret: quod

vero

vero sit necessario, illud aufert libertatem; ergo &c.

1028. Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. *necessario eveniret necessitate absoluta*, neg. *hypothetica*, conc. Ex quo Deus cognoscit Petri voluntatem ad aliquod determinatam, non sequitur, ejus voluntatem ad illam actionem cogi, aut necessario determinari. Quare actio Petri necessario quidem eveniet, at ob id duntaxat, quia inspexit Deus determinationem ipsius Petri: seu, quod idem est, sequetur necessario necessitate hypothetica, non absoluta. Cum vero necessitas actionis hypothetica liberam voluntatis determinationem supponat, libertatem non aufert.

1029. Inst. 1. Petrus cras certo deambularet ex suppositione Divinæ præscientiæ: atqui quæ fiunt ex suppositione antecedenti: ea necessitate fiunt absoluta; ergo &c.

1030. Resp. conc. maj. & dist. min. *quæ fiunt ex suppositione antecedenti causalitate, ut inquiunt Scholæ, fiunt* &c. con. *quæ duratione tantum*, neg. Divina præscientia non est causa futuræ liberæ actionis, & ideo in ipsam actionem nihil influit: præcedit quidem ipsam, sed hoc tantum in sensu, quia actio Petri est temporaria, præscientia vero æterna.

1031. Inst. 2. Præscientia Dei omnem Petro adimit indifferentiam ad oppositum; ergo præcedit causalitate operationem Petri. Prob. antec. Si Petrus posset cras non ambulare, Deus posset falli: atqui hoc non conceditur; ergo præscientia Dei &c. prob. antec. Si Deus præsciret Petrum cras deambulaturum, & Petrus cras non deambularet, Deus actu falleretur; ergo si posset Petrus non ambulare, Deus posset falli. Prob. conseq. Sicuti se habet actus non ambulandi ad actum errandi, ita potentia non ambulandi ad potentiam errandi: atqui actualiter Petrum non ambulare inducit actualem in Deum errorem; ergo posse &c.

1032. Resp. neg. antec. ad prob. neg. antec. ad hujus prob. neg. conseq. ad istius prob. neg. maj. Etenim falli est opinari rem esse, quando non est: aut non

 esse;

esse, quando est; ergo pro errore actuali præscientiæ deberent simul componi hæc duo, prescientia nempe actus cum suo opposito, seu præscientia deambulationis crastinæ cum perpetua crastina sessione. Ad possibilem vero præscientiæ errorem deberent hæc duo simul esse componibilia, præscientia nempe illius actus cnm suo opposito. Oppositum autem præscientiæ Dei non est potentia Petri ad non ambulandum, vel ambulandum, sed negatio deambulationis; si enim Deus non actus voluntatis, sed potentiam tantum respiceret, nullum esset Ipsius determinatum objectum, adeoque nulla certa cognitio; ponamus enim, Deum intueri duas hasce propositiones: *Petrus valet cras peccare: potest Petrus cras non peccare*; cum ergo ambæ sint veræ, numquam Divina scientia erit subjecta errori. Ad possibilem igitur errorem in Deo requiritur, quod possint hæc duo simul componi, prescientia actus, & non actus: at hoc fieri nequit; ergo præscientia Dei est infallibilis. Quoniam vero præscientia simul cum præcognito uniuntur semper, non quia Deus præscivit, sed quia homo ad illud se determinavit, nullum libertas hominis detrimentum capit.

1033. Inst. 3. Atqui posset simul componi negatio deambulationis cum præscientia Dei, si Petrus posset cras non deambulare; ergo &c. prob. subs. Potest Petrus executioni mandare potentiam suam;ergo &c. prob.antec.Possibili posito in actu,nullum sequitur absurdum;ergo si Petrus &c.

1034. Resp. neg. subs. ad prob. neg. antec. ad ejus prob. dist. antec. *Si non sit facta prior contraria suppositio*, conc. *secus*, neg. antec. In sensu itaque diviso præscientiæ Dei potest quidem Petrus executioni mandare potentiam oppositam præscientiæ Dei: non vero in sensu composito, quia tunc operaretur simul Petrus, & non operaretur: operaretur, quia Deus actum illum præscivit, nec præcognoscit Deus, nisi quod nobis est futurum, sibi vero præsens: non operaretur autem in hypothesi ab Adversariis statuta. Quid sit sensus compositus, quidve sensus divisus, tradidimus in Logica n. 333.

1035. Inst. 4. Atqui potentia illa in sensu diviso non

suf-

ſufficit libertati tuendæ ; ergo &c. prob. ſub. Si Petrus vi aliqua ſuperiori, & inſuperabili vinculis conſtringatur, licet poſſit ambulare in ſenſu diviſo vinculorum, quia tamen idipſum præſtare nequit in ſenſu compoſito, liber nec eſt, nec dicitur ad ambulandum ; ergo a pari &c.

1036. Reſp. neg. ſubſ. ad prob. conc. antec. & neg. conſeq. Quotieſcumque enim neque ſenſus diviſus in poteſtate ſit illius, qui non eſt liber in ſenſu compoſito, quinam libertati locus relinquitur? At licet Petrus in ſenſu compoſito præſcientiæ ea nequeat agere, quæ Dei præſcientiæ contraria ſunt, tamen quia in poteſtate Petri eſt talem ponere determinationem, quæ eſt conditio, ſine qua non habetur præſcientia, ideo ſemper Petrus & eſt, & dici debet liber. Ponamus ex. gr. hominem ſedere: in ſenſu compoſito ſeſſionis libertate non guadet ad ambulandum: quia tamen in ejus fuit poteſtate ſedere, vel non ſedere, ſive ponere ſenſum diviſum, ſeſſio Petri jure libera cenſetur.

1037. Inſt. 5. Atqui præſcientia Dei non pendet a determinatione voluntatis humanæ; ergo &c. Prob. antec. Si penderet, penderet Deus a creaturis : hoc eſt abſurdum ; ergo &c.

1038. Reſp. *penderet a creaturis veluti ab objecto motivo*, nego : *tamquam ab objecto terminativo*, conc. Dependentia, quæ ab alio dicitur veluti ab objecto motivo, imperfectionem præſefert ; præſefert enim limitationem eſſentiæ propriæ, quæ tanta non eſt, ut in ipſa omnia videantur intelligibilia. At dependentia ab alio veluti ab objecto terminativo nullam imperfectionem ſapit, ſicuti diximus n. 1002. Deus autem a creaturis ſecundo, non primo modo dependet.

1039. Ob. 2. Scientia exigit objectum determinatum : atqui objectum præſcientiæ non eſt determinatum ; ergo &c. prob. min. loquendo de actibus liberis. Quod eſt liberum, non eſt determinatum : atqui futurum aliquod eſt liberum &c.

1040. Reſp. *non eſt determinatum ea determinatione, quæ potentiam afficit*, concedo : *ea, quæ re-*

spicit actum, nego. Potentia alicujus agentis potest esse ad aliquod determinata, cujusmodi sunt omnes naturales potentiæ: sic potentia gravitatis ad descensum est necessario determinata. Hæc determinatio libertatem tollit; non enim adest ad utrumque ex oppositis indifferentia aliqua. At quotiescumque actus determinetur, & quidem libere ab eadem potentia determinetur, tunc aut non tollitur libertas, aut nullæ erunt in mundo causæ liberæ; quæ enim liberæ dicuntur, actus suos determinare conspiciuntur. Quod igitur est liberum, non primo quidem, sed secundo modo est determinatum: hoc autem objecto cognitionis certo sufficit constituendo; ergo &c.

1041. Inst. 1. Ut habeatur actus determinatus, requiritur ejus determinationis causa: atqui actionum futurarum, & quidem liberarum nulla est causa; ergo &c.

1042. Resp. *non est præsens*, concedo: *non est futura*, nego. Determinatio itaque actionum liberarum præsens non est, est tamen certo futura: hoc autem sufficit, ut ejus determinatio in essentia repræsentetur Divina, & a Divino intellectu cognoscatur.

1043. Inst. 2. Causa effectus præsentis debet esse præsens; ergo si nunc habetur determinatio actionis futuræ, voluntas actionem illam determinans erit præsens: atqui præsens non est; ergo &c.

1044. Resp. dist. *causa physica*, conc. *causa intentionalis*, neg. Voluntas humana præsens est intentionaliter essentiæ Divinæ, in qua intellectus Divinus ea omnia contemplatur, quæ voluntas illa est effectura. Sicut igitur vera est hæc propositio: *Adam peccavit*, licet Adam non sit præsens: ita vera est ista: *Antichristus peccabit*, licet ipse modo non adsit.

1045. *Schol.* Quo in medio cognoscat Deus futura, num scilicet in *Decreto antecedenti* Thomistarum: vel in *concomitanti* Scotistarum: vel tandem in *scientia media* Jesuitarum, Theologis discutiendum relinquitur.

1046. *Coroll.* Quæcumque Deus agit, quæcumque decrevit, decrevisse, & agere certum est ob finem optimum, cumque sapientissimum; etenim Deus summe sanctus

ctus est, & ideo nihil agit contra sua attributa (n. 1020.); quidquid igitur operatur, ob finem optimum operatur. Sed est quoque summe sapiens, ex demonstratis; finis igitur idem, quem intendit, optimus, sapientissimus sit oportet. Quod siquis a me exquirat, quem sibi Deus proposuerit finem in hoc universo condendo, reponam cum Augustino *l.* 11. *de Civitate Dei c.* 12. *ut nempe a bono Deo bona opera fierent*: seu ut perfectionem sua creaturis a se faciendis communicaret. Quod ex aliorum quoque SS. Patrum sententia certissimum esse, pluribus ostendit Tournely *in Tractat. de oper. 6. dierum* Q. 4. *art.* 2. *concl.* 2. Cum vero Deus utpote perfectissimus in objectum perfectissimum possit solum tendere, nec quidquam præter Ipsum perfectissimum sit, ideo omnia propter Semetipsum condidit.

ARTICULUS VI.

De simplicitate Dei.

1047. Simplicitas est negatio compositionis. Quotuplex ergo est compositio, totuplex esse potest simplicitas. Non quærimus modo, utrum Deus sit compositus compositione logica; hanc enim inquisitionem Theologis relinquimus: sed tantum utrum ulla in ipsum vel physica, vel metaphysica compositio cadere valeat (egimus de compositione n. *616.*, & seqq.). Deo simplicitatem denegant physicam quicumque cum Ethnicis quibusdam, & Spinozistis vel materiam quamdam, vel corporea membra Ipsi adjudicant, sicuti Monachos quosdam Ægyptios *Antropomorphitas* dictos præstitisse scimus. Quicumque vero cum Gilberto quodam Porretano (de sententia tamen hujus Theologi non conveniunt Critici) realem distinctionem inter Divina attributa, & essentiam constituunt, ii metaphysice compositum supremum Numen effutiunt. En nostra, & totius Christianæ Fidei sententia.

1048. PROPOSITIO

Deus omni caret concretione sive physica, sive metaphysica.

1049. D. 1. *pars.* Deus est Ens infinitum (n. 898.) atqui Ifinitum neque ex partibus valet consurgere, neque ex variis entitatis gradibus (n. 788.) ergo &c.

1050. D. 2. de simplicitate metaphysica. Essentia facta eadem est, ac existentia (n. 560.) : atqui in Deo non datur essentia mere possibilis (n. 895.) ; ergo essentia, quæ est in Deo, ab existentia non distinguitur.

1051. Sed nec Atrributa ab ipsa Divina Essentia, saltem realiter, distinguuntur; aut enim ea sunt finita, aut infinita? Finita nequeunt esse, alias non componerent Ens infinitum (n. 786.). Ergo unumquodque erit Deus; erit enim Ens a se (n. 892. & *seqq.*). Ergo non unus, sed plures erunt Dii. Sed Deus unus est (n. 952.); ergo &c.

1052. *Schol.* Argumenta non afferimus ex Scripturis desumpta, quæ videntur Deo tribuere manus, pedes, oculos &c. pertinent enim ad Theologiam revelatam, ac facilis quoque est eorum solutio; Scripturæ enim alleggorice loquuntur, transferentes in Deum, quæ hominis sunt, occasione ab effectibus Divinitatis desumpta, similibus alquando humanis operationibus.

ARTICULUS VII.

De immensitate Dei.

1053. IMmensitas illud dicitur attributum, quo ens est ubique per suam essentiam, scientiam, & potentiam. Plures ex Judæis, Samaritani omnes, ac Sociniani Deo immensitatem denegarunt, ipsum ubique præsentem fatentes quidem quoad potentiam, non ve-

ro

ro quoad essentiam, sive substantiam. Antropomorphitæ quoque corporis humani limitibus Deum circumscriptum sibi effingentes, immensum non agnoverunt.

1054. PROPOSITIO.

Deus est immensus.

1055. DEus est infinitus (n. 898.). Sed talis non esset, nisi ubique per suam essentiam reperiretur; extaret enim aliquid, cui præsens non foret. Ergo per suam essentiam est ubique. Sed est quoque omnipotens (n. 1016.): & omniscius (1024.); ergo est ubique per essentiam, potentiam, & scientiam; ac per consequens est immensus.

1056. *Schol.* Quomodo autem Deus simplex cum sit, possit tamen esse immensus, non intelligo: ab Augustino tamen moneor (*ep.* 37.) quod in eo ipso, *quod dicitur: Deus est ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens a sensibus corporeis avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi sicut fumus, aut aer, aut lux ista diffunditur; omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in parte, quam in toto. Sed ita potius, sicut est magna Sapientia, etiam in homine, cujus est corpus parvum.* Dum vero tradunt Scripturæ, Deum de cælo descendisse, de loco ad locum motum fuisse, omnia allegorico in sensu sunt accipienda, sicuti diximus n. 1052.

ARTICULUS VIII.

De Veracitate Dei.

1057. QUid sit veritas jam vidimus n. 185. vidimus quoque, duplicis eam esse generis, scilicet formalem, & objectivam (*ibidem*). Utramque Dei esse propriam, ita ut neque possit errare in objecto cognoscendo, neque ideas suas aliter exprimere,

ac

ac sunt in se, dogma est Catholicorum omnium, recteque philosophantium. Huic tamen contradixisse Manichæos, ex historiis accepimus. Contra istos hæc sit

1058. PROPOSITIO.

Summe verax est Deus, ita ut neque falli, neque fallere possit.

1059. D. 1. *pars.* Si Deus posset falli, posset aliquid non cognoscere. Atqui Deus omnia cognoscit (n. 1924.). Ergo &c.

1060. D. 2. *pars.* Si Deus posset fallere, posset aliquid pronunciare contra id, quod cognoscit; posset igitur operari contra suam Sapientiam; posset ergo non esse Sanctus (n. 1091.). Sed hoc est impossibile (n. 1050.). Igitur &c.

1061. *Schol.* Plura proferunt Manichæi contra n. 1058. ex Scripturis desumpta, ut ostendant, Deum non solum posse, sed & aliquando mentitum fuisse. Hæc uberrime confutantur a Theologis, qui revelatione utuntur: sed ubi Scripturis hanc veritatem nituntur confirmare, eam mihi videntur enervare; si enim negant Adversarii, Deum veracem esse; unde igitur probabunt Catholici, ea esse vera, quæ ab ipso Deo pro suæ assertionis confirmatione desumunt? Hæc igitur ea est thesis, quæ sola propugnari debet naturali ratione.

ARTICULUS IX.

De affectibus, qui Deo tribuuntur.

1062. EGimus hucusque de præcipuis supremi Numinis attributis: pauca forsan attigimus, quippe naturam Dei fatemur, nos ignorare, cum Ipsi uni semet pernoscere sit datum: quæ diximus tamen, rei, de qua agimus, sufficiunt demonstrandæ, & possunt cetera facillime ex præcedentibus deduci. Reliquum modo est, ut

ut nonnulla breviter indigitemus de iis affectibus, qui a Philosophis, & Christianis Theologis Deo solent tribui, ne videlicet, cum videamus, nomina Divina non raro cum humanis convenire, decipiamur credentes, ea, quæ sunt Dei, hominibus: vel ea, quæ sunt hominis, Deo posse adjudicari,

1063. Nomine itaque affectus actum intelligimus infinitum voluntatis Dei, quo rem aliquam vult, aut non vult. Hic sane actus defæcatus ab iis imperfectionibus est, quibus infici solent affectus nostri; quamvis enim nonnulli affectus Deo interdum tribuantur, qui sine imperfectione nobis non insunt, id ortum ducit a nostra intelligendi ratione. Quare sicuti cum Deo tribuimus oculos, & manus, significamus, Eum & omnia cognoscere, & omnia posse efficere: ita cum Deum pænitere dicimus, non intelligimus, Eum aliquando male egisse, sed tantum, nonnullas res ab Eo conditas ita deficere propria culpa a consequendo fine ipsis a Deo præstituto, quemadmodum a felicitate comparanda deficiunt turpes, & inutiles actiones, quæ in causa sunt, cur tristitia is aliquando corripiatur, qui sese male gessisse cognoscit.

1064. Est autem 1. in Deo amor, tum quatenus amat se summum Bonum: tum etiam quatenus benevolentia prosequitur res contingentes, quas produxit, & conservat. 2. Amorem excipit gaudium; placet enim ipse Sibi ob infinitas perfectiones, quibus est præditus,& quia cognoscit, res alias a se conspirare in suas perfectiones declarandas. 3. Spem, & desiderium non concedimus Deo ratione sui, quandoquidem iis affectibus amamus bona absentia: nihil vero abest a Deo. Potest tamen Deus aliqua desiderare entibus contingentibus, quatenus vult, ea mediis, quæ illis suppeditat, uti pro comparando sibi optimo statu. 4. Odit Deus malum morale, quia illud omnino non vult: male vero agentes odit, atque vult mala physica, seu pænas iis, qui de lege sunt male promeriti: & hinc oritur Dei *justitia*, quæ dicitur *punitiva*. 5. Irascitur vero Deus, quatenus pænam vel minatur, vel infligit merenti. 6. Est etiam in Deo pæniten-

tentia, quemadmodum diximus *num. prac.* 7. Abest vero ab illo fuga, timor, desperatio, audacia, quia nullo malo potest Deus vel lædi, vel tentari. Tantumdem dicite de tristitia, nisi hæc accipiatur pro pænitentia, quæ metaphorice Deo tribuitur.

Atque hæc dicta sint satis de affectibus Divinitatis. Qui plura cupit, Theologos adeat Christianos.

SECTIO III.

De Deo ad actiones concurrente creaturarum, iisque providente.

1065. INnumera sunt, quæ relate ad creaturas Deus agit, ita ut quot actiones numericæ sunt creaturarum, totuplici respectu actus ille unicus infinitus, quo Deus omnia operatur, possit à nobis considerari. At hoc ipso, quod innumeræ creaturarum sunt actiones, nequit actus ille Dei, considerata etiam relatione, quam habet ad creaturas, nequit veluti in omnia sua frustula concisus a nobis perspici. Ob id igitur effectum est, ut totum simul contemplarentur, qui de Dei operationibus ad extra peragunt: atque hæc omnia veluti in nucleum contracta considerantes, Providentiam dixerunt. Sed quoniam ad recte, solideque Providentiam ipsam firmandam necessaria est notio, & demonstratio illius relationis, qua actus Dei concipitur determinatus ad agendum simul cum creatura, ideo prius de Divino hoc concursu oportet, differamus.

ARTICULUS I.

De Divino concursu ad creaturarum actiones.

1066. VEtustissima eorum est opinio, si credimus August. *l.* 5. *de Gen. ad litt. n.* 40. *alias c.* 20. qui arbitrantur, mundum a Deo esse conditum: cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut Ille ordinavit, & jussit: Deum autem ipsum nihil operari. Modo igitur

erit

erit nobis discutiendum, an Deus ad omnes concurrat craturarum actiones, ita ut non possit principium creatum quidquam agere, non dicam Deo non permittente, verum etiam non agente. Ut vero clarius, solidiusque nostra assertio ostendatur, aliquot lemmata præmittenda esse censemus.

1067. LEMMA I.

Nulla creatura valet sibi existentiam conservare.

1068. PRob. Ponamus, si fieri potest, ens contingens existentiam illam, quam a Deo in creatione recepit, virtute propria sibi posse continuare; necesse est igitur, ut post creationem ea ipsi insint, per quæ intelligi possit, cur existat potius, quam non existat (n. 503.); quamobrem cum id, per quod intelligitur, cur quid potius sit, quam non sit, ejus dicatur ratio sufficiens (n.476.), contingens post creationem rationem in se habebit sufficientem existentiæ suæ; post creationem igitur convertetur in Ens a se (n. 558.): atqui hoc est absurdum; ens enim istud fuisset prius mere possibile: quod fieri non posse ostendit n. 895. Igitur &c.

1069. *Coroll.* 1. Conservatio non differt a creatione; per creationem enim existentiam possibilia recipiunt: per conservationem vero eadem semper iis continuatur.

1070. *Coroll.* 2. Optime igitur, inquiunt Philosophi omnes post S. Thomam, conservationem esse continuatam creationem. Dicitur vero *continuata*, quia, ut inquit Wolf. *Ontol. annot. ad* §. 845. *Conservatio rerum non fit a Deo per aliquam novam actionem, sed per coninuationem actionis, qua dat esse, hoc est creationis.*

1071. *Schol.* Ut vero percipiatur, quomodo substantia jam e nihilo educta dicatur assidue creari, audiendus est D. Lemmonier *Met. part.* 1. *p.* 229. *Sic*, inquit ipse, *conservatio concipi debet, substantia possibilis est pro momento quovis determinato. Jam vero supponatur producta*

cta pro momento A: *hoc supposito, quoniam momenta immediate subsequentia ipsi sunt contingentia, ideo nisi pro singulis ejusmodi momentis extrahatur e statu meræ possibilitatis, non magis existet pro his momentis, quam extitisset pro momento* A, *si extracta non fuisset a nihilo pro momento* A.

1072. L E M M A II.

Nulla creatura valet alteri existentiam conservare.

1073. PRob. Nullum contingens valet alterum creare, seu educere ex nihilo, ut patet: sed conservatio non differt a creatione (n. 1069.); igitur &c.

1074. *Coroll.* Igitur Deus est, qui contingentibus existentiam conservat. Contingentia enim nequeunt sibi existentiam conservare (n. 1067.): neque idipsum ab altero contingente obtinere queunt (n. 1072.); remanet igitur, quod Deus hunc effectum producat; alias foret sine ratione sufficienti, quod est impossibile (n. 503.)

1075. L E M M A III.

Deus vires agendi creaturis conservat.

1076. PRob. Quæcumque in ente reperiuntur, ab essentia dependent facta (n. 564.): atqui Deus existentiam, seu essentiam factam creaturis continuat (n. 1074.); ergo etiam vires agendi.

1077. P R O P O S I T I O.

Deus concurrit ad omnes, & singulas creaturarum actiones.

1078. DA. Quælibet creaturarum actio ab existentia pendet, & a vi actuali agentis, ut patet: sed existentia, & vis actualis a Deo tribuitur,

&

& conservatur (n. 1075. 1075.); ergo Deus concurrit &c.

1079. *Coroll.* Quælibet igitur creatura in agendo a supremo Numine pendet essentialiter. Etenim in hoc sita est dependentia essentialis, quod nequeat intelligi, cur unum sit, nisi alterum, a quo dicitur pendere, intelligatur: atqui, nisi Deus ad creaturæ cujuslibet concurrat actionem, non potest intelligi, cur operatio illa extiterit potius, quam non extiterit (n. 1078.); ergo creatura quælibet &c.

1080. *Schol.* Hunc Dei concursum ad creaturarum actiones immediatum esse, ex demonstratis satis per se patet; Deus enim est, qui per se, non aliud agens præficiendo, existentiam creaturis conservat, & vires (n. 1074. 1075.): in hoc autem concursus Dei immediatus totus consistit, igitur &c. At duplicem distinguunt Philosophi Divinum hujusmodi concursum, alium immediatum dicunt *immediatione virtutis*, alium appellant immediatum *immediatione suppositi*, ut verbis utar P. Fort. a Brix. *Metaph. part. 3. sect. 2. in defin.* Immediatum immediatione virtutis eum dicunt, quo Deus eam vim creaturis contulit, & conservat, qua operantur, suosque effectus producunt. Immediatus vero immediatione suppositi ille censetur, quo Deus ita cum creaturis agentibus agit, ut productionem effectus sua & Ipse actione immediate attingat: Deum hoc pacto concurrere ad omnes, & singulas creaturarum actiones fere omnes defendunt Metaphysici. Fateor, id posse optime, & abunde ex Scripturis deduci, & revelatis Dogmatibus: at si rem velimus agere, atque definire solo consulto naturalis rationis lumine, asserere ferme auserim, nullam me adinvenisse hucusque rationem, quæ veræ demonstrationis apicem dici possit attingere. Si vigeret adhuc Peripateticorum systema defendens, actiones entium esse vera entia, starent quidem domonstrationes, quod non possit a creatura ullum ens proprie dictum produci sine concursu, de quo agimus: at hæc opinio juremerito jamdudum refrixit. Quapropter siquis apud Metaphysicos argumentum reperiat sen-

ſententiæ hujus vere demonſtrativum, eam defendat: ſin autem, ſciat, nullum infirmari philoſophicum dogma a præſenti pendens tractatu, licet omittatur theſis, quæ Dei concurſum immediatum immediatione ſuppoſiti tuetur: ſalva ſcilicet ſemper remanet eſſentialis creaturæ a Creatore ſuo dependentia (n. 1079.): neque corruit erga creaturas omnes providentia, ut in ſeqq. articulo demonſtrabimus,

ARTICULUS II.

De Supremii Numinis Providentia.

1081. PRovidentia eſt actio illa, qua Deus omnia videt, omnia conſervat, & ad finem ultimum dirigit: ſeu, ut inquit Boetius *l. 4. de Conſol. proſa 6. eſt ipſa illa Divina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit.*

1082. Providentiam creaturis a ſe conditis Deo ii omnes denegarunt, qui vel ipſius exiſtentiam inficiati ſunt, vel eum non curare opinantur, quid agat humanum Genus. Omnium propterea Democriticorum, atque Epicureorum cauſam agens Lucretius ſic impudentes proprios ſenſus exprimit *lib. 1. v. 57.*

Omnis enim per ſe Divum natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur
Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

In eadem quoque ſententia ii fuiſse videntur, quos retulimus n. 1066. ne quid de iis addam, qui circa majora entia mundana providentiam quidem agnoverunt, at circa minima, ut inquiebant, & viliora veluti Deo indignam curam denegarunt. Impietatis hujus veſtigia prefſerunt iterum plures ex noſtris recentibus incredulis,

ac

ac præfertim Petrus Baylius, quem omnibus defendendis abfurdis natum optime dixeris.

1083. PROPOSITIO

Deus est providentiffimus.

1084. D. Deus omnia videt (n. 1024.): omnia confervat (n. 1074. 1075.) : omnia dirigit ad finem ultimum fapientiffimum (n. 1046.); eft ergo providentiffimus. (n. 1080.)

1085. *Schol.* Argumenta, quæ contra Dei Providentiam impii afferunt, ad duplex genus reducuntur: nonnulla defumuntur a malis tum phyficis, cum moralibus: reliqua ex eo, quod indecens Deo videtur hæc circa minutiffima, & vilia accurata providentia, quæ profecto Deo eidem beatitudinem adimeret; implicitus enim effet moleftis negotiis, & operofis, ut apud Ciceronem 1. *de nat. Deor.* inquit Lucilius. Primum argumentum fatis, fuperque fuit folutum n. 958. *& feqq.* ubi de malorum egimus origine, nec neceffe eft de ipfo nos plura fcribere. Secundum autem puerile omnino eft, & Philofopho prorfus indignum; fi enim non puduit Deum minutiffima, & vilia creare, eccur pudebit iis providere? At quæ a nobis abjecta habentur, & vilia, ea, fi abfolute fpectentur, ita fublimia funt, ut totam omnipotentiam expoftulent ad confervationem propriam, & creationem, unde optime afferere potuit Auguftinus, *creaviffe Deum in cælis Angelos, in terra vermiculos: nec majorem fuiffe in illis, nec minorem in iftis.* Quinam vero hic conftituitur Deus, qui, ut creaturis provideat, beatus effe non poteft? Equidem fi ita Deum nobis imaginemur, ab Ipfius idea toto cælo aberrabimus; Deus enim, qui unico intuitu omnia videt, qui folo nutu omnia peragit, ut omnibus provideat, plenus debet effe negotii? At quando ad exiftentiam omnia perduxit, defiit ne effe beatus? Non ita fane, alias creare non potuiffet, ficuti optimus non effe nequit, & ta-

men in creatione & scientia rerum omnium, & eductio ex nihilo, & ordinatio eorum ad finem sapientissimum fuerunt omnino necessaria: in hisce autem actibus providentia quoque consistit; ergo sicuti beatus esse non desiit in creando, ita quoque summe felix remanebit in providendo. Non est igitur cur ob nugas istas providentia Deo negetur.

APPENDIX.

De Pantheismo.

1086. Vidimus jam n. 808. quot impia pepererit commenta æquivoca, quam tradidit Spinoza, substantiæ definitio: vidimus quomodo creaturam impie immiscuerit Creatori. Licet igitur systema illud fuerit (n. 677.) suis in principiis, & fundamentis impetitum, juvat tamen modo idem ex omni, ut ita dicam, facie contemplari. Quapropter cum in eo natura determinetur Dei, & eorum, quæ a nobis creata dicuntur, ideo postquam vidimus, quænam mundanorum sit constitutio, quænam Deo sint adjudicanda attributa, utile admodum erit hoc monstrum nunc penitus jugulare. Sit itaque

1087. PROPOSITIO

Spinozisticum systema cum supremi Numinis, tum mundanarum rerum naturæ est prorsus adversum: & purum, putumque Atheismum involvit.

1088. Prob. quod est extensum, nequit esse infinitum (n. 789.): atqui in systemate Spinozæ Deus est extensus (n. 808.); ergo nequit esse infinitus. At reapse est infinitus (n. 898.); ergo &c.

1089. Prob. 2. Quod coalescit ex partibus physicis, est physice compositum (n. 616.): Deus per Spinozam constat ex partibus physicis; ergo nequit esse simplex. At-

Atqui simplex est (n. 1048.); ergo &c.

1090. Prob. 3. Quæcumque in mundo existunt, sunt contingentia (n. 819.): atqui Deus est Ens necessarium (n. 893.); ergo &c.

1091. Prob. 4. Deus est liber (n. 993.): atqui si creaturæ essent necessario productæ, Deus liber non esset, ut patet; igitur &c.

1092. At nonne hæc sufficiunt, ut me pæniteat deridiculum hoc monstrum hucusque delineasse?

1093. *Cor.* 1. Igitur Spinozisticum systema supremi Numinis naturæ adversatur. Scilicet si ille sit Deus, quem Spinoza confinxit, Deus non erit Deus: non erit liber, non erit sanctus, non immutabilis, non omnipotens, quippe cum entibus naturalibus, cum peccantibus, cum perpetuo mutabilibus, cum infirmis Deus iste confunditur: *& Socrates, & Galilæus*, salse simul, & lepide in maledictum hunc Hebræum argumentatur celeb. Antoninus Valsecchi *in cit. opere de fundam. Relig. &c.* l. 3. p. 2. c. 2. §. 4. *Balaami asinus, & Benedictus Spinoza, Urbs Amstelodami, & Lunare corpus non sunt nisi una, eademque individua substantia*, scilicet Deus. Hæccine idea Divinitatis?

1094. *Cor.* 2. Contrarium quoque est creaturarum naturæ; quæ enim demonstrationes ostendunt, Deum non esse mundum, eæ quoque conficiunt, mundum non esse Deum.

1095. *Cor.* 3. Cum pariter ens finitum, concretum, contingens, necessario agens Deus esse non possit, *ex demostratis in tota Theol. nat.* ita autem se habeat iste a Spinoza excogitatus Deus, manifeste patet, Deum quemlibet de medio Spinozam sustulisse: ac per consequens purum, putumque atheismum in mundum invexisse.

1096. Qui tamen, dicet forsan aliquis, fieri potuit, ut opus mathematica confectum methodo tot impia pepererit absurda? Sed qui ita reponit, animadvertat, quæso, in una tantum substantiæ definitione Scholasticorum verbis subdole exposita, sed impie deinde accepta sumpsisse Pseudo-Philosophum hunc totum suum

systema veluti demonstratum. Substantiam prius definiit (n. 808.) *ens per se subsistens*, scilicet non quidem per se subsistens tamquam sine subjecto, cui inhæreat, sed per se subsistens, hoc est a nullo productum: quæ definitio sic explicata soli Deo, ut patet, valet adjudicari. Facile ergo hinc erat, unius tantum substantiæ existentiam deducere, si falsæ illi definitioni omnes superstruxisset infidus homo propositiones suas. Sed ita revera se gessit loc. cit. (n. 808.) a prop. 1. usque ad 7. quæ principia continent universi Pantheistici systematis; *quapropter*, concludit idem Vallecchi l. 1. c. 3. §. 12. *Spinozæ opus totum sophismatibus contexitur, geometrica methodo quorum unum ab altero nascitur: & ideo quæ duo tantum geometrice ostendunt, subdolam nempe auctoris impietatem, & miseram discipulorum ejus cæcitatem.*

1097. Ob. Apostolus Paulus *Act.* 17. Athenis concionem habens aperte dixit, Deum dare omnibus inspirationem, & omnia: ac Illum ipsum esse, in quo vivimus, movemur, & sumus; ergo &c.

1098. Resp. *tradit Apostolus, nobis Deum conferre inspirationem &c. tanquam causam liberam: & in Deo vivimus &c. tanquam in causa conservante, & adjuvante*, conc. *Deus dat omnibus &c. necessaria, intrinseca emanatione: ac in Deo vivimus, tanquam modi in subjecto*, neg. Distinctio patet ex dictis. Quantum vero a Pantheismo abhorreant Scripturæ, supervacaneum est ostendere.

1099. Inst. 1. Apostolus ea verba: *in ipso vivimus &c.* eo sensu protulit, quo ab Ethnicis Philosophis fuerunt usurpata; nam immediate subdit: *sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt*. Atqui Ethnici Philosophi eo sensu præfata verba usurparunt, quo Spinoza; ergo &c.

1100. Resp. transeat maj. & dist. min. *Ethnici Philosophi admittebant &c. aliqui*, conc. *omnes, ac illi præsertim, de quibus loquitur Paulus*, neg. Licet aliqui ex Ethnicis Philosophis ita fuerint loquuti, ut Spinozæ

præi-

præivisse sint visi (etsi æque ac ille impii non fuerint) nunquam tamen probare poterit vesanus homo , omnes Ethnicos Poetas in Pantheismum fuisse prolapsos. Quapropter cum S. Paulus in sensu tantum Christiano, seu Scripturarum ea verba protulerit, cumque ex Scripturis nihil pro Pantheismo queat desumi, patet manifestissime, eos tantum citasse Apostolum Poetas, qui sub illis verbis Deum duntaxat adjuvantem, conservantem , & concurrentem posuerant. Verum ideo omisimus majorem , quia licet dixerit Apostolus: *sicut* &c. non tamen sequitur, eodem plane sensu præcedentia verba usurpasse, quo fuerunt a Gentilibus prolata: sed potest tantum inferri, a quibusdam Ethnicis Poetis quidpiam simile olim dictum fuisse, aut etiam, si lubet, quoad verborum corticem plane idem, eo ferme modo, quo Christus blasphæmiæ a Judæis accusatus, & ferme lapidibus impetitus, eo quod se Deum nuncupasset, ut ab hac calumnia semetipsum purgaret, respondit: *Nonne scriptum est in lege vestra , quia ego dixi : Dii estis? Si ille dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est , & non potest solvi Scriptura , quem Pater santificavit , &, misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum? Joannis c.* 10. Quo tamen ratiocinato testimonio probaret tantum propriam adoptionem in Filium Dei, si eo vere usus fuisset ad refellendos Hebræos non autem usurpasset solum verborum corticem perpendens.

1101. Inst. 2. Apostolus post ea verba immediate subdit: *Ipsius enim & Genus sumus*. Igitur tradit Apostolus, nos vera, & essentiali emanatione esse a Deo genitos; ergo &c.

1102. Resp. Eo in sensu nos genus esse Dei, inquit Apostolus, quo ceteræ res creatæ genus Dei dici non possunt; inquit enim v. 29. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare , auro, & argento , aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominum Divinum esse simile*. Atqui per Spinozam aurum quoque , argentum, & lapides, & quæcumque conspiciuntur per essen-

tialem emanationem a Deo ſunt genita; ergo nunquam in ſyſtemate Spinoziſtico ea Poetarum verba uſurpavit: ſed ex poſteriori ejus ſententia, quinam fuerit Apoſtolici ſermonis ſenſus, manifeſte deducitur; ſi enim reliquæ res non ſunt genus Dei, quia Deo non ſimiles; nos igitur Dei genus ſumus, quia imaginem Ejus in tabernaculis fictilibus gerentes ad ſimilitudinem Ejus ſumus efformati.

Finis Theologiæ naturalis.

ME-

METAPHYSICÆ

PARS IV. PNEUMATOLOGIA

PROLEGOMENA.

1103. Heologia naturali absoluta, iisque traditis, quæ de Dei natura rationis lumen Philosopho patefacit (saltem quantum humana patitur imbecillitas): reliquum est, ut ad inferiora gradum facientes, cetera quoque entia, quæ sensus quidem existere non attingunt, ipsa tamen humana ratio invicte demonstrat, modo breviter contemplemur. Et primo quidem Angelorum obversatur nobis existentia, quorum aliqui supernas occupantes sedes, vel simpliciter *Angeli*, vel *Angeli boni*, vel *Spiritus cœlestes* nuncupantur: reliqui vero diris devoti suppliciis, æternisque pœnis mactati ob amissum sponte principatum, vel *mali Angeli*, vel *Spiritus Tartarei*, vel *Dæmones*, aut *Cacodæmones* appellantur. Verum etiamsi a miris aliquibus effectibus possit horum existentiam probabiliter humana ratio commonstrare, quoniam tamen verum demonstrationis apicem non tangunt, consultius ducimus pertractationem istam Theologis relinquere fusissime discutiendam, quibus redundanti alveo Revelatio ipsa demonstrationes suppeditat: quædam vero nos breviter historica potius, quam demonstrativa ratione indigitare. Intueamur itaque iis quasi omissis, quod in nobis operationum nostrarum quarum conscii sumus, principium adinvenitur. Principium istud *Anima* dicitur, & quia in homine residet, *Anima humana* appellatur. Non est cur longa Vos præfatione detineam, ut intelligatis, quænam voluptas, utilitas quanta ex hujusmodi inquisitione in nos profluat; si enim quæ extra nos sunt, quæque ad nos aut mediate tantum, aut nullimode pertinent, summo cum oblectamento investigamus, quis unquam addubitare poterit, quominus gaudium superabundet, atque superfluat in no-

ſtri ipſius diligenti contemplatione ? Quæ enim inculcatur nobis noſtrum cognitio, non corpus inſtat, ſed animum, ut egregie obſervat Tullius 1. *QQ. Tuſc. c.* 22. corpus enim eſt quaſi vas, aut aliquod tantum animi receptaculum: quidquid vero ab animo agitur, id agitur a nobis. Non igitur opus eſt, quod cum Wolfio *Pſych. Empir.* §. 10. voluptatem, qua animus ſciendi cupidus hoc in ſtudio perfunditur, geometrice demonſtremus; quæ enim nobis natura dictitat, obſcurantur, ratiocinio, non demonſtrantur. *Quicunque vero animi proprii naturam noſcit Divinam, & immortalem, non poteſt*, ut inquit Genuenſis *præf. ad part.* 2. *Met. non præſentia, & circumjacentia bona contemnere, veluti infantium crepundia vana, & fugacia: ſpectare vero ſempiterna, & ſecundum ea vitam longe nobiliſſimam inſtituere. Quanti illud eſt Africani* (apud Cic. in Somn. Scip.), *ſic habeto, non eſſe te mortalem, ſed corpus hoc; nec enim tu is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſque, non ea forma, quæ digito demonſtrari poteſt. Nempe duo maxime ſunt, quæ perpetuo homines miſere miſeros habent, metus mortis, & circumpoſitorum bonorum nimia admiratio. At utrumque ſi non omnino demit, maxima ſaltem ex parte extenuat animi noſtri intima contemplatio, efficitque non modo in mortis coſpectu alacriores, verum etiam in adverſa fortuna tranquillos*; perpendendo enim in nobis eſſe, quæ nec perdi, nec auferri unquam poſſunt ab hominibus, omnibus his externis potentiores efficimur. Scientiam itaque omne ferentem punctum, quia miſcentem utile dulci, forti animo, Tyrones optimi, adgredimini, ſed meditatione potius, quam librorum lectione; quæ enim in nobis ſunt, a nobis æque, ac ab aliis, imo facilius a nobis queunt ſemper adinveniri. Quatuor in partes rem totam diſpeſcimus, quatuor diſſertationibus rem abſolutam facimus. Animam noſtram abſolute, & in propria tantum natura inſpectam contemplabimur in 1. In 2. eamdem corpori copulatam intuebimur. In 3. facultates ejus, & operationes inveſtigabimus. 4. Tandem de Angelis pertractabit.

bit . Et quoniam belluarum animam spiritualem (licet præ reliquis Spiritibus inferioris ordinis) censemus, appendicem adjungemus , in qua hæc quæstio dirimatur .

SECTIO I.

Psychelogia.

1104. PRimo igitur, ut in præfatione diximus, pertractandum statuimus de anima: & licet animam , & quidem spiritualem , ut nobis persuasimus , bruta quoque habeant , de hac tamen in calce quartæ hujus partis agemus. Hic ergo animam duntaxat humanam consideramus , & sermonem de eadem instituimus, seu, ut Græci inquiunt, de *Psychelogia* loquimur; *Psyches* enim animam significat . Hujus tractatus divisio ea erit, quam exhibuimus in fine præfationis.

CAPUT I.

De natura, & origine animæ humanæ

1105. DUo circa humanæ mentis naturam solent a Philosophis expendi : sit ne in ipsa quid mixtum, atque concretum, vel ex terra natum, atque fictum : vel potius quid solutum ab omni concretione materiali. Quæritur secundo , utrum sit natura sua immortalis, an vero ita comparata, ut informando corpori ordinata cum corpore ipso pereat , & destruatur . Hæc & nos prosequemur, tertiam adjungentes inquisitionem, quæ de mentis dicitur origine.

ARTICULUS I.

De animæ humanæ spiritualitate.

1106. DEfin. Animam hominis dicimus principium illud, quod vel producit, vel, situti Cartesia-

sianos juvat, in quo ideæ producuntur, judicia, & syllogizationes, quorum omnium nobis conscii sumus, quodque modo corpus nostrum informat, & regit.

Hypothesis I.

1107. Certam sumimus animorum humanorum existentiam; aliud enim est quærere, utrum anima existat: aliud vero quid ipsa sit. Discordantes circa secundum reperiuntur Philosophi: at *animum nos habere, cujus imperio & impellimur, & revocamur, omnes fatebuntur*, inquit optime Seneca *l.* 7. *QQ. nat. c.* 24. Et licet Dicæarcus, deliciæ Ciceronis, eodem Tullio referente *lib.* 1. *QQ. Tusc. nihil esse dixerit animum, & hoc esse nomen totum inane .... nec in homine inesse animum, vel animam, nec in bestia*: tamen cum vim quamdam admiserit per omnia viventia corpora æqualiter fusam, qua vel agamus quidquam, vel sentiamus, licet non recte de anima fuerit opinatus, esse tamen aliquam non denegavit.

Hypothesis II.

1108. Plures nobis inesse ideas: eas comparare simul, atque ex notis ignota deducere: seu *intellectione, judicio, & ratiocinio* nos gaudere, nonnisi fatuus inficiabitur. Ut enim acute ostendit Wolfius *Psych. Emp.* §. 12. ipsa nostra dubitatione, vel negatione veritas hæc confirmatur; *si enim dubitat*, egregie Wolfio præiverat S. Augustinus *lib.* 10. *de Trinit. n.* 14. *alias c.* 20. *unde dubitet, meminit: si dubitat, dubitare se intelligit: si dubitat, certus esse vult: si dubitat, cogitat: si dubitat, scit se nescire: si dubitat, judicat, non se temere consentire oportere.*

H y-

HYPOTHESIS III.

1109. QUidquid est, aut spiritus, aut corpus est; vel enim qualitatibus donatur corporeis, & corpus, seu materia est: vel hisce caret, & spiritum dicimus. Sed inter contradictoria non datur medium. Ergo &c.

1110. *Schol.* Hic tamen materiam sumimus pro principio aliquo in suo genere jam completo, quod nempe vel actionis, vel passionis est capax, nullo alio extrinseco principio ipsum adjuvante, cujusmodi esse animam nostram, ipsa intima conscientia, semper quidem, hac vero in re præcipue magnum veritatis argumentum manifeste ostendit. Ideo autem scholion istud præmisimus, quia haud nos latet, materiam fuisse a Scholasticis agnitam omnibus destitutam corporeis qualitatibus, quam *primo-primam* dixerunt, nec spiritualem esse statuerunt unquam. At præterquamquod materia ista iners, & otiosa ab ipsis Scholasticis admittebatur, agere præterea nequibat, nisi forma nescio quæ *substantialis* fuisset ab ejus potentia educta: quibus nihil simile in materia animæ, si quæ daretur, reperitur.

1111. *Quid sit animus*, inquiebat Seneca *l. 7. QQ. nat. c. 24. ille rector, dominusque nostri, non magis quisquam tibi expediet, quam ubi sit. Alius illum dicet esse spiritum, alius concentum quemdam, alius vim Divinam, & Dei partem, alius tenuissimum aerem, alius incorporalem potentiam: non deerit, qui sanguinem dicat, qui calorem*. Si tamen hæc omnia in classes referantur, duplicem duntaxat constituent; quidam enim vim quamdam esse ajunt, naturamque, in qua nihil sit mixtum, nihil duplex, nihil quod non sit solutum ab omni concretione mortali. E contra vero rentur alii, materiam quidem subtiliorem, quæ tamen vera materia sit, particulam illam formare *Auræ Divinæ* (sic animam humanam appellat Horat. *l. 2. Sat. 1. v. 70.*). Veteres inter *Materialistas* Democritici desipuerunt, & Epicurei; cum enim nihil apud eos sit, quod *atomorum*

tur-

turba non conficiat, ex minutissimis aqueis, igneis, & aereis, atque rotundissimis particulis animam hominis concretam esse, confinxerunt: quibus quartum addiderunt *innominatum*, quod sensum produceret, quoque nil tenuius foret, atque mobilius. Impie systema istud, sed eleganter more suo exponit *Lucr. l. 3. de rerum nat. v. 178. & seqq.*

His tibi nunc animus, quali sit corpore, & unde
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.
Principio esse ajo persubtilem, atque minutis
Perquam corporibus factum constare: id ita esse &c.

Et *v.* 204. ita concludit.

Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie, perquam constare necesse est
Corporibus parvis, & levibus, atque ita rotundis.

Versu deinde 233. explicat, quænam sint elementa, seu componentia animæ.

Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est;
Tenvis enim quædam moribundos deserit aura
Mixta vapore: vapor porro trahit aera secum:
Nec calor est quisquam, cui non sit mixtus & aer
. . . .
. . . .
Jam triplex animi est igitur natura reperta:
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum:
Nil horum quoniam recipit mens, posse creare
Sensiferos motus quædam, quæ mente volutat.
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur: ea est omnino nominis expers,
Qua neque mobilius quicquam, nec tenvius extat:
Nec magis e parvis, aut levibus ex elementis:
Sensiferos motus, quæ dedit prima per artus.
. .

1112. Ferme eadem renovarunt increduli recentes, Tolandus (*Lett. 3. sur le mouvement*) Gildonus (*Oracles*

cles de la Raison pag. 186.) Voltairius (*Lett. Philosoph.*) Hobbesius (*Leviathan c.* 34.) Mirabodius (*Syst. nat. pag.* 93.) & Lockius, quorum animas ideo spirituales esse oportebat, ut æternis devoverentur cruciatibus. Deridicula hæc sunt : quis vero sibi temperet ab ira, dum Helvetii librum percurrit, cui titulus *l'Esprit*, in quo hominem a belluis statuit diversum ob solam extimam corpoream configurationem, itaut, *si natura*, dixerit, *manuum, & pedum loco sonipedem adjunxisset, quis dubitat &c.* nos jumentis insipientibus similes fuisse futuros ? quæ fuit etiam opinio Auctoris libri, cui tit. est *Hist. Philosoph. e Politiqu. des Etablissem. des Europeens dans les Indes. Tom.* VI. *livr.* XV. *pag.* 97. Sed liberales hi censendi sunt in humana exornanda natura, si cum Lucilio Vaninio comparentur, qui, in *Dial.* 37. hominis animam ex simiarum, porcorum, ranarum stercore fingit enatam. *O miser, ægrota putruit cui mente salillum!* Hisce ad nauseam delibatis, incredulorum tandem convellamus insaniam.

1113. LEMMA.

Materia nequit cogitare.

1114. Prob. Ut brevitati simul, & claritati consulamus, uno tantum, vel altero argumento thesim hanc confirmabimus. Sit ergo primum a S. Thoma desumptum, qui *l.* 2. *contra Gent. c.* 49. inquit: *Nullum corpus invenitur aliquid continere nisi per commensurationem quantitatis: unde etsi se toto totum aliquid continet, & partem parte continet: majorem quidem majore, minorem autem minore. Intellectus autem non comprehendit rem aliquam intellectam per aliquam quantitatis commensurationem, cum se toto intelligat, & comprehendat totum, & partem: majora in quantitate, & minora. Nulla igitur substantia intelligens est corpus.* Argumentum hoc ab unitate desumptum cogitationis, & divi-

visibilitate materiæ, illud est, quod, quantumvis adlaborent increduli, numquam poterunt enervare. Ne vero reponant nobis cum Auctore libri *Examen de la Religion*, qui *pag.* 60. irridendus Catholicis irridet dicens: *S. Thomas? Is ne est auctor hoc sæculo citandus, & quidem Philosopho?* audiant, quæso, quid de hoc argumento incredulorum senserit facile princeps Baylius, cujus dum verba exscribimus, lucem simul afferimus allatæ auctoritati. Inquit itaque *in Diction. Hist. Art. Leucippe Remar. E. Hoc argumentum proprie unitatis veræ ideæ innititur, quæ entibus cogitantibus necesse est conveniat; si enim substantia cogitans non aliter esset una, quam unus est globus, ipsa nunquam cerneret totam arborem. En demostrandæ hujus veritatis idea. Pictas super globo vobis imaginemini quatuor terraquei orbis partes. Nihil hoc in globo cernitis, quod totam complectatur Asiam, imo nec integrum flumen. Quæ pars exhibet Persiam, non ea est, quæ Regnum refert Siamum: partemque dextram a sinistra vos distinguitis in tractu Euphratis. Hinc ergo sequitur, quod si globus hujusmodi figuris, quibus ornatur, foret intelligendis idoneus, nihil in seipso haberet, quod clamare posset: ego totam Europam, universas Gallias, integrum Amstelodamum, cunctam Vistulam cognosco. Quælibet globi pars eam solum figuræ partem posset cognoscere, qua tangitur. Et quoniam adeo parva hæc foret pars, ut nullum integrum referret locum, sic frustra omnimode inesset globo cogitandi facultas; nullum enim cogitationis actum ab ea hauriret: aut saltem hujusmodi intellectionis actus ab iis toto cælo differrent, quos perpetuo nos experimur, cum hi totum, integrumque objectum repræsentent: argumentum evidens, in nullas dispesci posse partes, quod in nobis objectorum imaginibus afficitur; & ideo corpoream, vel materialem, vel ex pluribus compositam entibus hominis non esse partem, quæ cogitat.* Insolubilia hæc sunt. Quid vero si consideremus, nos eodem tempore, & eadem mente res dissimillimas comprehendere, ut colorem, saporem, odorem, sonum, *quæ*, ut optime inquit Tull. *l.* 1. *Tusc. QQ. nunquam quinque nuntiis*

tiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, & is omnium Judex solus esset? Quid si perpendamus & inertiam materiæ, & earum rerum perceptiones, quæ nihil habent duplex, nihil concretum? Quid si contemplemur libertatem nostram, quam nunquam materiæ convenire posse, ipse etiam perditissimus Russojus (*Discours sur l'inegalitè des homines* 1. *pag.* §. 19.) libenter fassus est?

1115. Ob. 1. cum Lockio. Non potest unquam demonstrari, materiæ cogitationem repugnare; ergo &c. Ut hæc contradictio nobis evidens fieret, deberet pariter esse nobis perspecta intima materiæ essentia: atqui hæc nota nobis non est; ergo &c. Omnia egregie expressit Eminentissimus de Polignac in suo *Anti-Lucr. l.* 5. *v.* 1011. dicens ex Lockii sententia.

Protinus hic autem non est mihi cognita, dices,
Materiæ natura, satis comprensaque virtus,
Ut circumscribam verbis, quid possit apisci,
Quid nequeat............

v. 1021. *Quidni materies, cui dotem adscribimus unam,*
Ut triplici protensa modo concreverit, hanc vim
Possideat quoque, ut velit, atque intelligat?.......

1116. Resp. neg. antec. ad prob. neg. maj. Non enim necesse est, ut intima materiæ essentia nobis innotescat ad hoc, ut sciamus aliquid, quod ipsi competit: cetera vero, aut saltem plurima, quæ illi adversantur. Optime ad rem nostram responsionem affert idem doctissimus Polignac *v.* 1146.

At si cuique rei, quæ dotes funditus insunt,
Haud scimus, plerumque licet cognoscere saltem
Queis careat. Nos forte latent primordia flammæ:
Ast ea compertum est, aqueis distare figura,
Inque figuratum solo discrimine poni
Quidquid aquæ, aut ignis proprium est. Miracula nondum
Omnia magnetis perspeximus: at mihi certum est,

Ma-

Magnetem non esse animal, nec amoris ab æstu
Ferratas trahere, ac secum vincire catenas.

v. 1160. . . . . *Quadrare rotundum*
Nemo potest, at quadratum differre rotundo
Id norunt omnes, quidquid ex utroque sequatur.

Optima profecto responsio ad futile, & inane argumentum. Etsi nos lateat essentia materiæ, tamen hoc scimus, ipsam videlicet extensam esse, & mobilem: nec ullam reperiri materiam his orbatam proprietatibus, quia si extensionem a materia subduxeris completa, nihil remanebit profecto: in ea prius est nihil, inde sequuntur omnia. Cum hisce autem corporum proprietatibus essentialibus cogitatio, ut demonstravimus, manifeste pugnat; ergo

v. 1162. *Sic a materia mentem sejungimus, etsi*
Non omnes liquido vires utriusque patescant.

1117. Inst. Atqui nulla est contradictio, quod materia cogitet; ergo &c. Contradictio universa repetitur ex eo, quod si cogitatio proprietas dicatur materiæ, in motu debet consistere: divisibilis, & extensa sit oportet. Atqui potest cogitatio nec extensa esse, nec divisibilis, nec motu peragi; ergo &c. Prob. maj. ex Voltairio in *Dict. Phil. portatili*: en ejus verba ex gallico idiomate latina reddita. *Materia, quam tamen perfecte non novimus, qualitatibus gaudet neque materialibus, neque divisibilibus. Ipsa centrum versus sibi a Deo præfixum a gravitate urgetur. Gravitas vero ista non est quid ex partibus compositum. Vis vegetandi in organicis corporibus, horum vita, & instinctus entia non sunt, quæ partibus gaudeant, quæ possint dividi..... Pulchrum ergo, quod ab individua cogitationis natura sumitis, argumentum nil prorsus probat.*

1118. Resp. Cum opus istud fuerit a Voltairio recen-

centibus hisce temporibus exaratum, aliquid profecto emunctæ naris a viro senio confecto erat expectandum: verum ex eo intelligitur, præjudicia in ipso in ratione directa crevisse annorum: doctrinam vero, & perspicaciam in inversa tantum fuisse auctas, sicuti facete simul, & falſe observat Valsecchi *l.* 1. *c.* 4. Brevis itaque sit responsio ad argumentum, cujus nos merito pudet. Vel contendit Voltairius, cogitationes perfici legibus corporeis, vel non? Si primum, prima quoque redibit demonstratio: si secundum; non ergo erit anima substantia corporea; philosophandum enim nobis est ex ideis, quas habemus: nec una, eademque substantia potest contradicentibus esse prædita qualitatibus. Materia autem quæcumque vel motu tantum actionem perficit, vel materia non est; ergo hoc pacto pariter debet anima operari, si materialis dicatur. Quænam vero sunt istæ vires rerum materialium, quæ materiales non sunt? Nempe gravitatio, vegetatio, vita, instinctus, motus &c. At hæc materialia non sunt? Quis unquam hoc dixerit? Non sunt divisibilia. Falsum omnino. Nonne gravitatio & est, & dicitur semper massæ proportionalis? Aucta vero massa, vel minuta, nonne vel crescit, vel minuitur ipsa vis? Divisibilis est igitur. In communicatione motus nonne deperdit corpus tantum motus, quantum alteri impertitur? Divisibilis est ergo motus, qui a corporibus derivatur. Quid vero vita est, vegetatio, instinctus animalium? Sunt omnes modificationes, proprietates, affectiones corporum organicorum, quæ solo motu perficiuntur; vegetatio enim in sola est posita evolutione seminis, dilatatione, & augmento partium. Instinctus animalium, quantum ad corpus attinet, in serie constanti, & imperturbata operationum, & motuum ad normam legum a naturæ Auctore præfixam constituitur. Vita tandem in motu æquabili, & perenni solidorum, fluidorumque corpus componentium est sita. At hæc omnia motu peraguntur, qui profecto divisibilis est ex demonstratis; igitur & hæc omnia divisibilia sunt: ac per consequens materialia cum sint, nihil agunt, quod substantiæ corporeæ ullo pacto

adversetur. Non ruit igitur, sed erigitur argumentum nostrum ex Poeta hoc impudentissimo.

1119. Inst. 2. ex eodem Lockio. Atqui possunt cogitationes haberi absque motu, quin tamen eorum activum principium desinat esse materiale; ergo &c. prob. Potest Deus creare substantiam extensam, & solidam quacumque alia orbatam qualitate, quæ nihilominus erit vera substantia: sicuti potest substantiam condere immaterialem quacumque agendi vi destitutam, quin desinat esse substantia. Quid igitur obest, quominus materiæ illi inerti potentiam tantum tribuat Deus cognoscitivam, & non motricem? At eo in casu perficerentur cogitationes absque motu; ergo &c.

1120. Resp. neg. subs. ad prob. dist. *potest* &c. *quacumque agendi vi destitutam*, *hoc est orbatam proprietatibus essentialibus*, neg. *accidentalibus*, conc. Si per vim agendi intelligat Lockius proprietates essentiales materiæ, puta soliditatem, figuram, mobilitatem &c. non potest Deus materiam ullam sine illis proprietatibus condere; erit enim simul materia, & non materia. Si vero intelligat qualitates accidentales, miramur, ipsum Scholasticis, quos cachinnis olim excepit, modo adhærere, & concedimus simul, hisce qualitatibus destitutam posse a Deo materiam creari. At cogitatio pugnat ex demonstratis cum proprietatibus illis essentialibus, quibus nequit materia orbari; ergo nunquam Deus potest inerti materiæ vim cogitandi conferre. Sit exemplum: proprietas est accidentalis trianguli, quod unum producatur latus, angulusque externus efficiatur; potest igitur Deus triangulum absque angulo externo creare: at latere producto, nequit efficere, quod angulus externus æqualis non sit duobus internis, & oppositis: ita pariter potest quidem Deus substantiam quamcumque absque proprietatibus condere accidentalibus, at si eas velit eidem conferre, tales debet tribuere, quales essentialibus non adversentur, sicuti nequit angulum externum in triangulo constituere vel majorem, vel minorem duobus internis, & oppositis, quia hæc accidentalis proprie-

tas

tas est manifeste insociabilis cum essentiali, quod duobus rectis angulis triangulum quodque coalescat. At ex demonstratis pugnant cogitatio cum proprietatibus essentialibus materiæ; ergo &c.

1121. Inst. 3. Atqui potest Deus proprietatem materiæ tribuere accidentalem, quæ adversetur proprietatibus essentialibus; ergo &c. In eodem corpore vis attractrix reperitur, & repellens: spiritus in systemate Dualistarum movet corpus, cum tamen impressio motus solis conveniat corporibus: corpus physice unitur animæ. Atqui hæc omnia sibimet contradicunt; poterit igitur quoque materia cogitare, licet proprietatibus ipsius essentialibus videatur id repugnare. Ita Lockius *in Met.* 1. *parte c.* 6. & Voltairius *epist.* XIII. *de Lockio*.

1122. Resp. neg. subs. ad prob. conc. maj., & dist. min. *sibimet hæc omnia contradicunt apparenter*, conc. *vere*, *&* *realiter*, neg. Quæ veram, & realem involvunt contradictionem, ea sunt impossibilia (n. 533.): ac per consequens nequeunt a Deo effici (n. 542.): quæ vero contradictionem chimericam tantum, & apparentem agnoscunt, possunt optime ab ipso Deo simul conjungi, ut patet. Veram adesse contradictionem materiam inter, & cogitationem, jam demon vimus: videamus modo, utrum apparens, an realis inter recensitas a Lockio proprietates intercedat. Vires porro attractrices, & repulsivæ reperiuntur quidem in eodem corpore, at non sunt in primis corporibus essentiales, sicuti quidam putant a Newtoni mente toto cælo aberrantes. Deinde non exeruntur nisi diversis temporibus: neque una per alteram habetur; non enim dum corpus *A* repellit *B.* idem quoque simul attrahit: neque per repulsionem attrahit, quæ attractioni manifeste adversatur. At proprietates recensitæ sunt materiæ essentiales: eodem tempore, quo materia cogitat, est extensa, & movetur: imo ipsa cogitatio non habetur, nisi per motum; cum ergo extensio, motus, & cogitatio sint vera contradictoria, patet &c.

1123. Ad 2. Declarabimus in seqq. quomodo ab

anima moveatur corpus. Interim animadvertamus satis est, quod Deus licet spiritualis corpora movit, & movet aliquando; ergo licet sit nobis impervius istius motionis modus, non tamen ulla in hoc vera adinvenitur contradictio.

1124. Ad 3. Quæro ab Adversariis, quid nomine physicæ unionis intelligant? Si eam unionem accipiant, qua fit, ut partes unius correspondeant partibus alterius, negamus, physice animam corpori copulari. Si vero, quemadmodum nos id accipimus, intelligant præsentiam unius alteri, & quidem ut unum in aliud agat, demonstrandum ipsis est, impossibilem esse unionem hujusmodi; ego enim perspicio quidem difficultatem maximam in hoc mihi repræsentando, at ob id duntaxat, quia vellem media imaginatione, quod sensus omnes fugit, contemplari: non vero quia in eo ullam adinveniam contradictionem; Deus enim, quem spiritualem ostendimus, demonstravimus quoque omnibus præsentem: & ita quidem, ut possit, si velit, sicuti aliquando voluit, motum corporibus impertiri.

1125. Ob. 2. cum Lockio. Nondum detecta fuit veri nominis contradictio cogitationem inter, & materiam; quæ enim demonstratio affertur sumpta ab extensione materiæ, ea valet commode solvi. Sicut enim per Leybnitianos omnes statuitur materia in indivisibilibus, inextensis, simplicissimis, ac infiguratis elementis: ita eadem poterit esse materia animæ, ac valebit per consequens ideas producere.

1126. Resp. utrum hæc sit solutio, & vera nostrarum probationum confutatio, sapiens perpendat Lector: paucis tamen omnia expediamus. Non hic opus est, ut quæstionem instituamus de primis corporum elementis, utrum scilicet gaudeant extensione, vel careant; sint enim inextensa: extensum tamen constituunt; ergo licet talis sit materia animæ, extensa tamen erit, & prior redibit iterum demonstratio.

PRO-

1127. PROPOSITIO.

Anima hominis est spiritualis.

1128. PRob. Anima cogitat (n. 1108.) : materia nequit cogitare (n. 1113.) ; ergo spiritus est (n. 1109.)

1129. *Schol.* Quæ attulimus contra nostrum lemma argumenta, dicuntur *negativa* ; siquid enim probarent, evincerent tantum meram possibilitatem animæ materialis. Afferamus modo argumenta *positiva*, quibus nituntur Adversarii ostendere, adesse in anima humana veros characteres substantiæ alicujus materialis. Prima argumenta referuntur passim a recentibus : posteriora vero a veteribus allata sunt Epicureis.

1130. Ob. itaque 1. cum Lucretio *de rer. nat. l.* 3. Anima corpori unitur; ergo corporea sit necesse est;

Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum est
Corporibus nostris extrinsecus insinnatas :
Quod fieri totum contra manifesta docet res.
Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur.

1131. Resp. conc. antec. & neg. conseq. Duplicem reperio Philosophorum sententiam in explicando, quomodo anima corpori societur ; quidam enim arbitrantur, esse ipsam per totum corpus ita diffusam, ut tota existat in toto, & tota in qualibet organici corporis parte : ceteri vero propriam sedem animæ tribuunt, licet discrepent de loco. Utraque sententia, fateor, ambagibus plena reperitur : at utraque consentit, non esse animam ad modum corporis per corpus nostrum diffusam. Obscurum itaque est, & valde arduum explicare, *quod plenum fuit miraculo, quomodo tam diversa, & divisa ab invicem, ad invicem potuerint conjungi*, inquit optime Auctor libri *de Spir. & Anima c.* 8. At clarum om-

nifeste patebit, cum animæ immortalem naturam vindicabimus. Hoc tamen prætermisso, non potest quidem anima absque corpore semper cogitare, sed hoc a lege duntaxat mutui oritur commercii, qua decrevit Deus, ut moto corpore, moveretur anima, imperio autem animæ corporis responderent motiones. A lege, inquam, ista hæc oritur animæ a corpore dependentia, non vero ab ejus natura. Quod profecto ita evidens est, sicuti perspicuum est cuique, aliquando se illa percipere, quæ sensus percellere nullo pacto valent, sicuti in efformandis ideis bonitatis, justitiæ, entis &c. perpetuo evenire, experientia nobis ostendit: quod porro fieri non posset, si natura sua esset anima dependens a corpore.

1135. Inst. 2. *cum Lucr. ibidem*. Atqui a natura animæ profluit, ut pendeat in agendo a corpore; ergo &c. prob. Si a natura animæ hæc dependentia non nasceretur, ea tantum anima corpori unita experiretur, quæ in agendo a corpore dependentiam ostenderent: atqui præter hæc plures patitur affectiones, quæ nonnisi corporibus competunt; ergo &c. Prob. min. *cum Lucr.*

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem;
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenvis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Post pauca sic prosequitur.

Huc accedit, uti videamus corpus ut ipsum
Suscipere immanes morbos, durumque laborem,
Sic animum curas acreis, luctumque, metumque

Quare potest optime concludi cum eo, quod antecedenter dixerat: hæc omnia asseruntur.

Ut videas, quoniam conjuncta est causa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.

1136. Resp. Quoniam argumentum apparenter tantum a superius allato differt, ideo dissimilis non erit responsio. Idcirco videtur anima crescere in pueris, vigere in juvenibus, & in senibus consenescere, quia quo perfectiores sunt sensus, & spirituum vitalium motio vivacior est, eo perfectiora sunt phantasmata, quæ anima contemplatur. Cum ergo in adolescentibus & instrumenta corporis validiora sint, & promptiores spirituum motiones, quam sint in senibus, ideo melius fiunt ab illis, quam ab istis operationes mentis, & corporis. Deinde mirum non est, adolescentibus auctiorem esse animi vim, quam sit in pueris; ideæ enim non sunt nobis innatæ: & si innatæ statuerentur, deberent prius evolvi. In senibus autem plerumque major est sapientia, quam sit in juvenibus: & eæ duntaxat mentis operationes languidiores sunt, quæ a phantasmate pendent corporeo, vel a memoria, quæ a Philosophis materialis statuitur. Quapropter potius cum Augustino *l. de Quant. animæ n.* 38. *alias c.* 22. ita ratiocinandum, & concludendum est. *At si crescere animam putamus, cum additur viribus, minui putanda est, cum demitur. Demitur autem in senecta, demitur in labore studiorum, atque his temporibus aggeri, atque extrui solet: neque ullo modo eodem tempore simul augeri quidquam, & minui potest. Nullum igitur crescentis animæ argumentum est vires in majori ætate majores.*

1137. Inst. 3. Atqui ita anima crescit cum corpore, ut partibus auctis corporeis, partes etiam animæ adaugeantur; ergo &c. Quando moritur corpus, partes animæ aut minuuntur, aut saltem contrahuntur in unum; ut enim inquit Lucr. ibidem: *in moribundis cernitur,*

In

In pedibus primum digitos livescere, & ungueis,
Inde pedes, & crura mori, post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti

Scinditur igitur animi natura, nec uno tempore sincera existit. Deinde divisibilem revera esse animam, ex iis patet, *quibus*, ut inquit Lucr. ibidem *falciferi currus membra subito abscindunt*; etenim

Sæpe ita de subito permixta cæde calentes,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Decidit abscissum, cum mens tamen, atque hominis vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem.

1138. Resp. neg. subs. ad prob. neg. antec. quia in effectibus a Lucretio recensitis nulla animæ aut motio, aut contractio, aut divisio conspicitur: sed sunt omnes effectus corporeæ substantiæ, cujus organa jam disrumpi, aut non amplius vegetari incipiunt; cum enim omnes motus corporei a corde originem sumant, quod per motiones illas ab Anatomicis *systolis*, & *diastolis* nomine appellatas sanguinem assidue recipit, & ad corpus universum transmittit, nequit vita amitti nisi sanguinis cesset circulatio: cum vero hæc incipit desinere, partes ab ipso corde remotiores debent prius motu destitui, ac gradatim tandem proximiores. Quapropter prius pedes, & manus, artus deinde ceteri motum vitalem amittunt. Dum vero subitaneo ictu partes aliquæ abscinduntur, mirum non est, si videantur, quæ jam abscissæ sunt, subsultare aliquantulum, donec contractio cesset fibræ, quæ ob maximam, qua pollere ostendit Cl. Hallerus, irritabilitatem debet repente abscissa plures itus, & reditus alternare. Non ergo est anima, quæ dividitur, abscinditur, contrahitur, sed corpus ipsum, quod horum motuum est capax.

1139. *Schol.* Hæc ea sunt, quæ adversus spiritualitatem animæ attulerunt Epicurei, sibi fatue persuadentes, vera esse media demonstrativa substantiæ alicujus ma-

materialis hominem informantis, & actiones ejus peragentis. Plura exercitationis gratia a Patribus, & Scripturis desumpta solent afferri, ut ostendatur, dogma esse Christianum materialismum animæ. At in primis auctoritate non dimicamus: nihil deinde ex eis contra nostram veritatem colligitur: ac tandem si Patribus, & Scripturis sit standum, erit res omnis absoluta; ita enim clara sunt quæ ab iis pro spiritualitate proferuntur animarum hominum, ut cæcutiat oporteat, quicumque in eis materialismum aspicit. Ea igitur modo relinquentes, Fort. a Brix. *par.* 2. *Met. Sect.* 1. P. Ferrari *Met. disp.* 3. *Q.* 1. *Objicies* 3. *& in prol. de anima ratonali* consulat, quem juvat.

Articulus II.

De animæ humanæ immortalitate.

1140. Spirituali ostensa nostrorum animorum natura, accedamus modo ad alteram sublimem demonstrandam illorum sortem, perpetuam nempe post corporum, quibus copulantur, interitum durationem. Atque ut præcepto summorum Pontificum Julii II., & Leonis X. pro viribus nostris satis sit factum, quo in sacrosancta Lateranensi V. Synodo omnibus indictum est Philosophiæ Professoribus, ut, qua possent argumentorum vi, & robore, hanc veritatem naturali lumine confirmarent, ideo clarius præ reliquis hoc argumentum exagitemus.

1141. *Def.* 1. *corruptio* is dicitur subjecti status, per quem ita commutatur, ut non eadem habeatur amplius modificationum dispositio, quæ in ea prius reperiebatur, sed tota, aut ferme tota variata cospiciatur.

1142. *Observat.* Nullam unquam subjecti intuemur corruptionem, nisi eum simul conspiciamus partium motum, qui necessarius est, ut diversa omnino combinatione partes donentur, sicque diversas referant actiones.

1143. *Coroll.* Quod igitur partes non habet, dici debet *incorruptibile*; philosophandum enim nobis est ex ideis,

ideis, quas habemus: & veras ideas in rebus physicis quid præter observationes nobis suppeditat?

1144. *Def.* 2. *Vita* est status perennis operationum in subjecto animato:

1145. *Coroll.* 1. *Mors* igitur erit earumdem operationum defectus.

1146. *Coroll.* 2. Ut igitur aliquid sit *immortale*, ita semper debet permanere, ut operationes sibi consonas, & vitales eliciat.

1147. *Coroll.* 3. Cum ergo operationes animæ humanæ vitales sint *intellectio*, & *volitio*, ut ea dici possit semper vivens, dici debet semper intelligens, & volens, aut valens saltem intelligere semper, & velle.

1148. *Coroll.* 4. Merito igitur inquit Wolfius *Psych. Rat.* §. 739. pessime eos se gerere, qui pro ostendenda animæ nostræ immortalitate demonstrant solum, in æternum fore permansuram; nisi enim probetur simul, eam fore semper acturam, ostendetur quidem *incorruptibilis*, non autem *immortalis*.

1149. *Def.* 3. *Immortale intrinsece* illud dicitur, quod sua inspecta natura destrui, vel corrumpi naturaliter nequit.

1150. *Def.* 4. Sed quoniam, ut aliquid existat, Deo indiget conservante (n. 1074.), ideo quod immortale est intrinsece, valet perire, si Dei ad ipsum cesset concursus. *Immortale* igitur *extrinsece* est illud, quod vivens semper a Deo conservabitur.

Errores Philosophorum.

1151. Recensuimus jampridem, ubi egimus de existentia Dei (n. 906.) quinam futuri essent impiorum sensus, semel statuta animi nostri natura infirma, caduca, & mortali: *ibo per impuros, fervente libidine, luxus* &c. canebat merito apud Prudentium incredulus ille hominum, Deorumque contemptor. Et sane concedatur existentia Dei: ostendatur ejus infinita natura: optima non pernegetur illius voluntas: quid tamen ad nos, si

una

una cum corpore debeat totus homo perire? Mirum ergo non est, si ab immortali exterritus vita impudentissime cecinit Lucretius *l. 3. v. 37.*

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus,
Funditus humanam vitam qui turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Mirum quoque non est, si omnes, quotquot fuerunt vel ante Lucretium, vel post ipsum impii, scelestique homines, in id nervos omnes intenderint, ut animorum nostrorum mortalem contenderent, persuaderentque, si fieri posset, naturam. Sed incredibile ferme est, quot nostra hac ætate deistæ, & libertini ad Epicureorum castra convolaverint! Spinoza, Tolandus, Cowardus, Hobbesius, Voltairius, Montagnius, D. S. Euremondii, innumerique alii nihil hominibus post hanc vitam superesse propugnarunt. Omnibus vero palmam præripuit Auctor libri *l'Homme machine*, qui Metrius esse creditur. At dicam optime cum doctissimo Card. de Polignac in suo *Anti-Lucr. l. 5. v. 1047.*

Tantus amor nihili! tanta est vecordia! solum hoc
Permetuunt cæci, ne mens compage soluta
Duret adhuc nimium vivax, bustoque superstes
Evolet! ....

Contra igitur furentes hos Philosophos sic demonstrationem nostram conteximus.

1152. HYPOTHESIS.

Nulla creatura valet alteram destruere.

1153. Creatura enim nequit alteram producere, quia inter nihilum, & existens intervallum datur infinitum; ergo a pari nec ulla creatura valet existens ad nihilum redigere. LEM-

1154. LEMMA I.

Anima separata a corpore potest cogitare.

1155. PRob. Et sane si anima separata a corpore non posset cogitare, hoc fieret, vel quia privaretur facultate cogitandi, vel quia careret objectis, circa quæ posset cogitatione versari: at utrumque est falsum. Primum quidem, quia tantum abest, ut facultatem cogitandi anima a corpore recipiat, quinimo corpus ipsum est omnino cogitationis incapax (n. 1113.); cum ergo nemo det, quod non habet, a corpore nequit anima vim intelligendi recipere; si ergo hanc habet, habet ex propria natura: ac per consequens etiam a corpore sejuncta eamdem retinebit. Sed nec corporis indiget, ut objecta habeat, quæ contempletur. Primo enim sibimetipsi potest anima esse objectum, & quidem tale, quo, ut inquit S. Augustinus, *intimius non possit excogitari*. Adsunt quoque alii Spiritus, qui nullimode sensibus subjiciuntur, & ab animæ contemplatione ne in præsenti quidem statu sese valent subducere. Deinde eccur non potest etiam sine corpore objecta intueri corporea? Dum hoc in corpore clauditur, atque objecta conspicit extra corpus constituta, solas eorumdem intuetur imagines in cerebro formatas (cujusvis eæ sint naturæ); corporea igitur videt; ergo poterit quoque ipsa objecta materialia immediate extra corpus contemplari: imo, ut inquit Tullius *l. Tusc. cap.* 20. *multo puriora, & dilucidiora cernentur, cum quo natura fert, liber animus pervenerit. Nam nunc quidem quamquam foramina illa, quæ patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis, concretisque corporibus sunt intersepta quodammodo: cum autem nihil erit præter animum, nulla res objecta impediet, quominus percipiat, quale quidque sit.* Nulla ergo est repugnantia, imo certum est, posse animam etiam extra corpus cogitare.

1156. Clarius autem hoc ipsum patebit, si ipsum præ-

præsentem animæ operandi modum intueamur. Si anima vel facultatem cogitandi a corpore reciperet, vel ab ipso tamquam a medio necessario penderet, non posset nisi corporea percipere: melius etiam operaretur, quo penitius se intra materiam ipsam reciperet. Atqui utrumque falsum experientia ostendit; constat enim, nos ea percipere, quæ immaterialia prorsus sunt: & in ipsa etiam corporeorum contemplatione ea nos considerare in corporibus, quæ quomodo a mente percipiuntur, iis non insunt, cujusmodi se habent longitudo, superficies, similitudo, & ea cetera, circa quæ res geometricæ versantur; ergo nititur quodammodo mens se a corporeis revocare: imo quis bene se inspiciens, inquiebat optime Augustinus *lib. de Immort. Animæ n. 17. alias c. 10. non expertus est, tanto se aliquid intellexisse sincerius, quanto removere, atque subducere intentionem mentis a corporis sensibus potuit*? Ergo non pendet anima nisi propter legem commercii a corpore humano in percipiendo, re tamen vera potest, & quidem melius, si a corpore sejungatur, & semetipsam, & ea, quæ sunt exterius, contemplari; ergo &c.

1157. LEMMA II.

Anima nequit corrumpi.

1158. Da. Anima humana non habet partes (n. 1127.): sed quod partes non habet est incorruptibile (n. 1143.); ergo &c. Hoc idem argumentum prosequutus fuerat Tullius *l. 1. Tusc. QQ. c. 29.* dicens. *In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec interire igitur; est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.*

LEM-

1159. LEMMA III.

Anima hominis semper a Deo conservabitur.

1160. PRob. Duplici hanc veritatem, quæ ferme totius rei summa est, confirmabimus argumento: primum erit ab universali omnium Gentium consensione petitum: secundum vero a Dei natura, & mundano ordine derivabitur. Quod igitur pertinet ad primum: *cum de animorum immortalitate disserimus*, opportune ad rem nostram argumentatur Seneca *ep.* 118. *non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium æthera, aut colentium*. Hanc autem de animorum immortalitate opinionem esse ab heroicis ductam temporibus, & unanimi quarumcumque Gentium cujuslibet ætatis consensu firmatam, perlegi poterit apud Grotium *l.* 2. *de verit. Relig. Christ.* & P. Fortun. a Brixia *Metaph. par.* 2. *n.* 100. Si autem universa omnium pertua, concors, invariata hominum assertio, auctoritate suffulta intrinseca *naturæ ipsius vox est*, ac in qualibet licet difficillima solvenda quæstione firmum, ac tutum habitum semper, & habendum est medium, eccur in re, de qua agimus, nutabit, vel concidet? Id equidem non ex ratione foret argumenta desumere, sed ex libidinis, impietatisque cæco quodam, ac furenti impetu. *Itaque si omnium consensus*, dicam cum Tullio *l.* 1. *Tuscul. c.* 15. *naturæ ipsius vox est, omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint: nobis quoque idipsum existimandum est. Et si quorum aut virtute, aut igenio animus excellit, arbitramur, qui natura optima sunt, cernere vim maximam verisimile esse, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, est aliquid cujus is post mortem sit habiturus*. Consulamus modo secundum, ut clarissime pateat, non inani quodam, ac fucato timore, sed ratione duce, eo fuisse homines ductos, ut vitam quamdam æternam, felicem pro bonis, miseram pro impiis omnes agnoscerent. Rem universam paucis absolvit 14. ab

hinc

hinc sæculis S. Joannes Chrysostomus Orat. 4. *de Provid.* dicens: *si nihil est post hanc vitam, ne Deus quidem est; si Deus enim est, justus est: quod si justus sit, pro dignitate tribuit unicuique. At si nihil post hanc vitam sit, quomodo, quod par est, recipiet unusquisque?* Ita ille. Fusius validissimum hoc argumentum prosequamur, Deus existit (*n. 901.*): sanctus, & ideo justus est (*n. 1020. 1054.*): atqui fatentibus Incredulis justus non foret, nisi unicuique secundum merita rependeret. Sed id, tuentibus quoque Deistis, & experientia docente, in hac vita non efficitur, cum videamus quotidie, *lætosque diu florere nocentes, vexarique pios*; ergo quid homini debet post hanc vitam superesse vel pro benefactis, vel pro sceleribus præmium, aut supplicium. Non igitur potest Deus animam hominis post corporis interitum statim destruere. Atqui status iste æternus esse debet, quod demonstro. Opera quæcumque hominis inspecta in esse morali infinite bona, vel mala sunt ratione objecti, in quod tendunt; ergo infinitam expostulant mercedem. Sed hæc duobus modis potest homini conferri, scilicet vel tempore finito tota simul infinita: vel tempore infinito illa eadem, sed modo finito. Atqui primum fieri nequit, cum homo finitus affectiones suscipere nequeat infinitas; superest igitur, quod status ille retributionis æternus perseveret.

1161. Resp. tamen ad hoc secundum impii discedentes a veritate illa, quam tantopere plenis buccis decantabant, ut enervarent Divinam providentiam (*n. 966.*). Necesse non est, ut supersit post mortem hominis status aliquis, in quo pro meritis bona recipiat, vel mala. *Mercedem erroris sui in hac vita recipiunt*, inquit optime Apostolus *Rom. 1. v. 27.* quia, ut alibi diximus ex Juvenali: *se judice nemo nocens absolvitur: & constituisti, Domine, & sic est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna.* Ita Augustinus. *Non exigua igitur*, queunt cum Scoto concludere, *improborum vindicta est culpæ turpitudo ipsa, cruciatus animi, conscientiæque flagellum. Abunde vero magna merces, & præmium fru-*

fructus ipse virtutis, quo mirifice delectantur probi. Ita Auctor libri *l'Ame, & son immortalites*. 2. Ita idem ratiocinatur. Ex doctrina Stoicorum bona, ac mala hujus mundi ab educationis præjudiciis dependent: in seipsis vero omnes cujuscumque generis actiones bonæ, vel saltem indifferentes sunt. 3. Ut inquiebat ad rem Auctor *lib. Nouvelle libertè de penser*. Si Deus justitiæ legibus adigeretur ad pænas, vel præmia hominibus rependenda, statuenda foret altera vita etiam pro tigribus, leonibus, aliisque hujus indolis animantibus, quæ cum innumeris fœdentur sceleribus, tranquillam tamen hanc vitam ad obitum usque traducunt. Ac tandem, siquid allata concluderet demonstratio, efficeret etiam, quod falsum omnino est, corpus ipsum immortale fore duraturum, quippe non minus peccat, quam anima.

1162. Verum contra, & ad primum quidem. Optimus sane Deus esset, si id solum justis mercedis loco rependeret, quod animo æquo, imo vero etiam gaudenti, atque libenti Ipsi servierunt. *O præmium singulare, quod eripit spem futuri cujusque boni! quæ sola*, ut ait Cicero, *hominem in miseriis consolatur*. *Quis enim dubitet, mortalium animos in arduis, adversisque rebus spe futurorum erigi, & sublevari? frangi autem, & concidere, si cum omnium rerum desperatione conflictet?* At quoties impii & conscientiæ stimulos retundunt, & nominis infamiam aspernantur, & bonorum vituperationes contemnunt, itaut placidam, tranquillamque vitam traducant? Imo quot callidissime propria scelera occultant, ut impii licet, probi tamen, piique appareant, & habeantur? Et siqui conscientiæ vermes necare nequeunt, nonne hoc oritur ex statuta certissima opinione, alteram futuram vitam, in qua res, non ut apparent, sed ut sunt, debeant judicari? Ergo vel boni, vel mali operis conscientia impar omnino est rependendæ unicuique pro meritis mercedi. Ergo si Deus justus sit, culpam ratione objecti infinitam æternum debet punire: sicut & bonum opus &c. Quapropter idem Apostulus 1. *Cor.* 15. 19. consulto inquiebat: *si in hac vita tantum in*

Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

1163. Ad 2. nemo est, qui non videat, nemo quoque, qui semper non viderit, Stoicorum doctrinam, fatuorum potius, quam recte philosophantium esse sententiam; quis enim, cui cor sapiat, asseruerit unquam, eodem pacto in genere moralitatis se gerere tum qui patri auxiliatur, cum qui eumdem interficit? Deinde putaverunt quidem Stoici, omnia peccata æqualis esse malitiæ, ut legitur apud Tullium in *lib. de Paradoxis*: non autem omnia opera bona esse, vel indifferentia, ut videri potest quoque apud Senecam Stoicorum nemini secundum.

1164. Ad 3. qui ita argumentatur furore correptus potius, quam recta ductus videtur ratione; hic enim cum Helvetio impudentissimo homine agnoscere necessario debet, differre hominem a bellua propter formam tantum exteriorem. At nonne hoc pacto & recto rationis lumini, & evidentissimo intimæ conscientiæ testimonio vis maxima infertur? Ostendant ergo prius belluini hi homines, esse in brutis & libertatem, & bonorum, malorumque cognitionem, quæ in nobis ipsis experimur, & tunc ultro dabimus, aliam vitam etiam pro belluis esse reservatam.

1165. Ad ult. Cum materia nequeat cogitare, ac per consequens malum, vel bonum nequeat agnoscere, neque meriti, neque demeriti capax est corpus: & ideo optime tradunt unanimiter Theologi Christiani, malitiam actionis non in actu externo, sed in assensu animæ esse statutam. Quoniam vero usa est anima corpore veluti instrumento, ideo demonstrant Catholici ex revelatione Divina, etiam corpus istud esse dein afficiendum gloria, vel pœna, prout &c. Interim hoc sufficiat, demonstrationem scilicet illam, quæ ostendit, necessariam æternam vitam pro animabus hominum, nihil simile conficere pro eorumdem corporibus.

LEM-

LEMMA IV.

Anima humana a Deo conservabitur semper vivens.

1166. PRob. A Deo enim conservabitur, ut recipiat præmium, vel pœnam luat pro benefactis, vel sceleribus, quæ in hac vita gessit (n. 1160.). Atqui nisi vivens conservetur, id fieri nequit; quæcumque enim affectiones animæ sunt tantum intellectiones &c. Si his ergo destituatur, nec gaudere, nec mœrere amplius poterit: sed in intellectione &c. vita animæ consistit (n. 1147.). Ergo vivens anima a Deo semper conservabitur.

PROPOSITIO.

Anima hominis est immortalis.

1167. D. Anima hominis neque corrumpi, neque destrui naturaliter valet (n. 1157. 1153.): a Deo semper conservabitur (n. 1159.): & quidem vivens (n. 1167.); ergo est immortalis (n. 1146.)

1168. Efferbuit Scotistas inter, & Thomistas, atque adhuc sub Judice lis pendet, an possit *metaphysice*, ut inquiunt, vel potius *tantum moraliter* vita animæ perpetua demonstrari. Pro secunda opinione Scotus dimicavit: primam defendentes acrius forsan, quam par erat, in Scotum, & Scotistas calamum strinxerunt Thomistæ, ac præsertim immortalis Melchior Canus *lib. 12. de loc. theol. c. ult.* Non audeo Judex in hac controversia sedere, dicam tantum breviter, quod sentio. Si nomine *demonstrationis metaphysicæ* demonstratio intelligatur adeo evidens, ut nonnisi a Pyrrhonico valeat confutari, nequeo a Scoti sententia ne latum quidem unguem recedere; licet enim clamitet Canus *loc. cit. concl. 3. erroneum esse, ne dicam hæreticum, astruere, animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse:* quod tamen mihi maximum est, quodque millena superat ventosa Melchioris

verba, est, ab ipso tam acriter contra Scotum invehente *apodicticam* hanc *demonstrationem* non fuisse allatam: a Thomistis cæteris adhuc desiderari: quinimo doctissimus Valsecchi in Libertinis confutandis nemini secundus post demonstratam omni vi, omnique, quantum fieri potest, argumentorum robore veritatem hujusmodi *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 8. *de fundam. Relig. &c.* licet Thomista, subdit: *ego fateor, me non jam contendere, quod mox allatæ rationes ad apicem usque evidentiæ metaphysicæ certitudinem nostram ducant circa æternitatem vitæ futuræ..... assero tamen, quod omnia ejusmodi argumenta simul sumpta expellendis a qualibet sana mente timori, & anxietati sunt nata.* Quidquod? acutissimus ipse Melchior Canus hæreseos quidem ferme Scotum traducit, at simul diserte inquit: *rationes, quæ animæ incorruptionem probant, non suadere, sed vincere, si non protervum, & repugnantem, at certe docilem hominem, & ad disciplinæ leges bene informatum.* Protervum igitur, & repugnantem vincere non possunt? Sed quid, amabo, voluit Scotus, dum nostram hanc propositionem *metaphysice* demonstrari non posse contendit? Voluit ne docilem, an potius protervum revincere?

1169. At *pronuciavit*, inquit Canus, in argumento 5. *rem non esse demonstratam, sed creditam.* Verum qua constantia, quave fide id possit asserere Auctor Cl. non video. Nonne & ipse Scotum perlegens scribit: *naturæ rationes Henricus, atque Scotus probabiliter suadere ajunt, non necessario demonstrare?* Si igitur probabiliter suadent, probabiliter quoque demonstrant: at quod probabiliter demonstratur, id non sola fide tenetur.

1170. Necessario tamen hanc veritatem, ait Scotus, non demonstrari: ita sane: quid igitur? Si quoniam necessario hæc veritas non demonstratur, dixisset Scotus, eam nullimode naturaliter demonstrari, tunc quidem concederem, intemperantiorem Scotum fuisse, *ad sobrietatem sapere noluisse, & rei, de qua disseritur, naturam attente non perpendisse*: sed negans, necessario demonstrari, defendens *multiplici probabiliori ratione* hanc veritatem

tatem ostendi (*in* 4. *Sent. Dist.* 43. *q.* 2.) & profundum agit licet humilem metaphysicum, & sapere ad sobrietatem vult, ob id scilicet, quia rei, de qua disseritur, naturam attente perpendit. Hæc tamen sint satis, quoniam alio jam festinat oratio.

1171. Ob. 1. cum D. Montagnio *lib.* 3. *specimi. nis Pyrrhonismi*, cum Santeuremondo *T.* 1. & Voltærio, cujus verba modo referimus desumpta *ex epistola ejusdem* 13. ubi ait, naturaliter animam hominis immortalem velle ostendere *est quodammodo diffidere factis nobis a Deo promissis: est quodammodo ei tantum, per quod valemus certiores fieri; nuncium remittere ...... Religionis est definire: rationis, quæ sunt definita, venerari.* Ut ergo pervideamus, quid de animæ sorte post mortem futura sit dicendum, Scripturas debemus consulere. Atqui ex Scripturis anima hominis est mortalis: & prob. Salomon *in Ecclesiastis c.* 3. *v.* 19. *& seqq.* ita de homine ratiocinatur. *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua est utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adæ ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi, nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?* Et infra *cap.* 9. *v.* 5. *Viventes sciunt, se esse morituros: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.* Ita Salomon. At nonne hi sunt sensus Helvetii, & Montagnii? Tradidit primus, nonnisi forma visibili differre hominem a belluis, idque Salomon allato primo testimonio confirmat: secundus autem, cum de morte loquitur *loc. cit.* inquit. *Ego veluti stupidus, demisso capite, me in mortem submergo, ipsius cognitionem negligens, sicuti in mutam, obscuramque voraginem, quæ me in ictu haurit, momentoque absorbet insensato sopore*

affectionum penitus vacuo . Ita Montagnius. At si ex Salomone oblivioni traditur memoria eorum, qui vita cedunt, verissima ejus ratiocinatio est; ergo &c.

1172. Resp. Antequam ad veram responsionem descendamus, animadvertite, quæso, quod sapienter ad rem nostram observat Cl. Vallecchi *T. 1. l. 1. c. 5. §. 2. defundam . &c.* quid sibi velint libertini, dum in re, de qua agimus, licet impudentissimi se ultro auctoritati subjiciunt revelatæ, imo sortem animæ futuram nonnisi ex Revelatione resciri posse contendunt. Scilicet non id cupiunt, quod optare videntur, sed illuc opus, illuc eorum tendunt labores, ut nempe vel Scripturarum testimonia intorquendo ad veram animæ mortalitatem fatendam nos ducant, vel saltem, quod impium est, ostendant, Scripturas cum recta ratione pugnare; defendentes enim, animam hominis materialem esse, absurdum videtur, quod corrupto corpore ea superesse debeat incorrupta. At quoniam ad fontem veritatis nos provocant, nonne argumenta præbent, quibus hanc veritatem firmiter, & evidenter ostendamus? Ita quidem. Scripturas igitur cum Scripturis conferamus.

1173. Nonne *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis : visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace?* (Sap. 3.) nonne *Deus impios mittet in gehennam ignis?* (Matt. 18.) nonne *vermis istorum nunquam morietur?* (Isaiæ 66.) Ita scilicet in Scripturis legitur; non ergo sicut bestiæ moriuntur, ita moritur homo, sed hunc beata, vel infelix perpetuo expectat vita, quæ secundum merita unicuique retribuat. Verum, ne longior sim, Salomonem ipsum perlegamus, ut ex eodem firmam argumento responsionem depromamus. *Si impii attente fuissent in Ecclesiastis lectione versati : si ipsum altius penetrassent*, ut inquit doctissimus Daniel Huetius *demonstrat. Evan. prop. 4. de lib. Ecclesiastis, non ex sua sententia proferre ea Salomonem reperissent*. Omissis itaque cæteris illius textus interpretationibus, quæ defendi quidem possunt, non au-

autem ostendi queunt conformes scopo, quem Salomon eo in libro sibi proposuit, hæc mihi videtur omnium maxime genuina, atque ejusdem menti conformior. Ut ostendat Salomon, solum Deum esse timendum: timorem hunc totum hominem constituere, varias recenset hominum curas, varios conatus, innumera tentamina, atque semper concludit, *vanitates hæc omnia esse, & afflictiones spiritus*; si enim homo operetur duntaxat propter mundum, propter mercedem temporariam, *quid habet homo jumento amplius? Ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis*, effecit, ut *unus foret interitus hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio*: imo si velimus operari tantum propter res ipsas mundanas, oculos deinde convertentes ad finem & jumentorum, & hominum, quis scit, si spiritus filiorum Adæ ascendat sursum &c. ergo, semper concludit, bonum quodcumque hujus vitæ est *vanitas vanitatum*, *& afflictio spiritus*. Non ergo contendit Salomon, animam hominis esse reapse cum corpore perituram. Quod clarissime apparet, dummodo integer ille liber percurratur. Dicitur *liber Ecclesiastis*, hoc est *concionatoris*. Ergo in illo, ut inquiebam, vult ostendere Salomon, omnia mundana, omnia, quæ maximi fiunt ab hominibus, vanitates esse, uno excepto. Ut istud evincat, bona enumerat hujus mundi, ac tandem per omnium exclusionem ad suum descendit assumptum. At quodnam est istud? Forsan periturum esse totum hominem simul cum corpore? Nihil minus: sed *memento*, ita *c. ult. v.* 1. *memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent*: ver. 7. *& revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Tandem v. 13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit*. Ita finem *cit. lib.* imponit Salomon. At nunquid clariora desiderari possunt pro adstruenda animæ immortalitate

te? Videtis ergo optime, libertinos omnes hujus ætatis in SS. voluminibus non vitiorum ſuorum medelam quærere, ſed impietatis patrocinium.

1174. Inſt. Atqui putavit Salomon &c. ergo &c. Prob. Sapientiæ c. 2. hæc leguntur. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus, tamquam non fuerimus ..... cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tamquam mollis aer*; ergo &c.

1175. Reſp. Patientia noſtra increduli abutuntur; ſi enim omnia, quæ in aliquo opere adinveniuntur, ſint illius libri Auctori adjudicanda, undique contradictionibus ſcatebit; is enim, qui aliquem oppugnat, illius debet ſententiam referre, non probans quidem, ſed improbans. Quapropter refert quidem Salomon citata verba, at ex ſententia impiorum, non ex proprio jecore; e veſtigio enim ſequitur: *hæc cogitaverunt, & erraverunt; excæcavit enim illos malitia illorum*.

1176. Inſt. Apoſtolus ad Timoth. c. 6. ait: *Deus ſolus habet immortalitatem*; ergo &c.

1177. Reſp. *Solus Deus habet immortalitatem neceſſariam*, concedo: *ſecus* neg. Apoſtolus itaque Deum dicit immortalem per naturam, quia eſt Ens a ſe: non denegat tamen, eſſe hominem immortalem per gratiam: imo nihil magis in epiſtolis D. Pauli eſt familiarius, quam reſurrectio mortuorum, dies noviſſima, & vita perpetua. Eodem quoque in ſenſu Sophronius in ſuis epiſtolis a III. Conſtantinopolitana Synodo, quæ fuit VI. Œcumenica, approbatis tradidit, animam hominis non ex natura, ſed ex gratia eſſe immortalem, hoc eſt, non eſſe neceſſario immortalem extrinſece: quæ veriſſima ſunt.

1178. *Schol.* Plura afferri ſolent exercitationis gratia: ſed ea partim indirecte contra immortalitatem animæ militant; oppugnant enim directe ejuſdem ſpiritualitatem: partim vero inania ſunt, nec merentur, quod referantur. Quapropter licet anima ſit forma corporis: licet naſcatur, & vivat in corpore: licet principium habuerit: non tamen ſequitur, quod ſit peritura. Cum enim ſit forma corporis, concludi poteſt, quod debeat

cor-

corpus perficere: at cum non sit forma materialis, non est necesse, quod corrupto corpore ea destruatur. Ac tandem cum nascatur, (quod tamen falsum est, ut suo loco videbimus) & vivat cum corpore: non tamen generetur, sed creetur, ideo potest finem non habere, neque habebit revera, ut est demonstratum.

ARTICULUS III.

De origine animæ humanæ.

1179. Rationalis animæ originem investigaturi paucis discutiemns, *utrum lapsa de cœlo sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesque Platonici, & Origines putant: an a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani hæresis suspicantur: an in thesauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt: an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora, secundum illud, quod in Evangelio scriptum est: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinaris, & maxima pars Occidentalium autumarunt, ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat.* Hæc vero nos investigaturi omnes librabimus Philosophorum de re ista sententias, quas paucis illis verbis S. Hjeronymus complexus est *epist. inter Augustinianas* 163. *n.* 1. *alias c.* 20. Ut vero ea clare intelligantur, quæ sumus infra dicturi, paulo fusius sunt omnia exponenda. Quinque, quas S. Doctor enumerat, Philosophorum opiniones ad quatuor queunt commode reduci, ut Genuensis animadvertit *par.* 3. *Met. Sch.* 1. *prop.* 18. prima enim a quarta non differt. Platonici, Pythagorici, & Origeniani putarunt, humanas animas a Deo simul conditas fuisse, ac deinde vinculis coarctatas corporeis, ex quibus erumpentes, deinde in alia perpetuo trasmigrarent, vel pejoris pro malefactis conditionis, vel pro meritis sublimioris, quam animarum transmigrationem *Metempsychosim* Plato-

nici

nici appellarunt. Huic insanæ opinioni non desunt modo inter Americanos præsertim, qui subscribant. In hoc autem a Platone dissentiit Origenes, quod iste a Deo creatas animas ex nulla præexistente materia in cælo fuisse locatas, tradiderit: a quo deinde propter flagitia, nescio quæ, perpetrata in humanos corporum carceres fuerint detrusæ, agnoscens & ipse veram animarum *Metempsychosim*. Plato autem ex anima mundi decerptos animos contendit, & in astris locatos, tum in corpora humana detrusos, dein usque ad consumationem orbis modo ad stellas redeuntes, modo brutorum corpora informantes, vel pro mercede, vel pro pœna, defendit. Videri hæc omnia possunt apud Augustinum *in lib. de Civ. Dei*, *de Trin. & alibi*, tum apud Tullium in *libris de natura Deorum*, *& QQ. Tuscul.*

1180. Stoici, Manichæi, & Priscillianistæ animam hominis docebant esse partem Divinæ mentis, quæ fuit quoque plurium Ethnicorum sententia. Imo putat Genuensis *Met. p. 3. prop. 19. in Schol.* nec Pythagoram, nec Platonem ab ea ullo pacto abhorruisse, quippe qui docebant, esse animam humanam mundanæ animæ partem. nec animam istam mundanam a Deo videbantur distinguere; tradidit enim Pythagoras, ut refert Tull. *l. 1. de nat. Deorum*, *Deum esse animam per naturam rerum omnium intentum*, *& commeantem*, *ex quo animi nostri carperentur*. Systema tandem istud opinione jam obsoletum iterum in scenam invexit Spinoza, cujus deliramenta in Theologia naturali confutavimus.

1181. Catholicis vero saltem moderatis neutra ex recensitis opinio arrisit. Mirum vero est, quomodo, superioribus rejectis, in æque forsan inciderint plures absurda, & præcipue Tertullianus vir magni ingenii, sed Montanistarum deinde infectus hæresi, & Apollinaris hæreticus 4. sæculi. Omni autem admiratione dignum est, dubium quoque circa rem istam magnum illud Ecclesiæ lumen hæsisse S. Augustinum, ut patet ex ejus libris *de quantitate animæ*. Putarunt itaque nonnulli, animam, non secus ac corpus, per traducem propagari: seu animam

mam filii partem esse animæ patris in conceptione ad organicum corpusculum in utero matris existens transmissam. Notandum tamen est, aliquos veluti corporee gigni, alios vero spiritualiter traduci animam putavisse. Primam adoptavit opinionem Tertullianus: circa secundam vero duntaxat dubius hæsit Augustinus; ipse enim *ep.* 190. *n.* 14. *alias* 157. *c.* 4. manifeste convellit Tertullianum.

1182. Reliquorum sententia fuit, & modo est, creatas a Deo animas organicis includi corpusculis, ut ibi vitales operationes eliciant. Sed post Leybnitium, & Wolfium in binas hæc sententia distrahitur. Putarunt enim Philosophi isti, ipso creationis initio omnes a Deo fuisse animas productas, & propriis ovulis inclusas, ita ut nihil amplius modo creet Deus. Cæteri vero arbitrantur, tunc solum a Deo animas creari, quando in corpusculo humano adhuc in matris utero existente talis evolutio habetur partium, qualis necessaria est, ut ibi anima operationes suas saltem vitales conficiat, corporeis artubus motum impertiendo. His, quantum fieri potuit, breviter delibatis, nostram reliquum est proferamus sententiam,

1183. PROPOSITIO

Pythagorea metempsychosis indigna est Philosopho, & ad libitum prorsus conficta.

1184. PRob. 1. de Platonica, & Pythagorea: de Origeniana deinde. Et 1. quidem, vel anima humana statuitur Divinæ pars naturæ, vel animæ mundanæ. Utrumque autem est absurdum. Ex prima opinione ea omnia sequentur, quæ in Pantheismo (n. 1087.) rejecimus: ex secunda autem colligitur legitime, esse animam hominis materialem; si enim distrahitur mundana hæc anima, si discerpitur, si dividitur, partes habeat necesse est; cum ergo sit anima nostra per Platonicos hujus universalis animæ pars, & ipsa corporea sit, oportet. Est vero spiritualis (n. 1127.); ergo &c.

1185. Prob.

1185. Prob. modo contra illam deridiculam *Metempsychosim*. Unde norunt Platonici, Origeniani, & Pythagorici, præextitisse animas corporibus? Ex memoria ne præteritorum? At dicam cum Tullio *l.* 1. *QQ. Tusc.* 2. 6. *Ego certe non commemini, antequam sum natus, me miserum, neque, si mavis, beatum: tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere*. Scio equidem, nos eorum non meminisse, quæ in matris utero sumus mente versati, licet tunc corpori copulata extiterit anima. At nec me latet, fere omnes Philosophos dubios circa propositionem istam hærere: *anima humana in matris alvo existenti corpori copulata cogitat*: ac præterea certi omnino sumus de existentia ipsius animæ tunc temporis in corpore ob operationes vitales, quæ in corpusculo illo, & nonnisi animato, conspiciuntur: sed quænam sunt argumenta indubia, quænam signa manifesta, quæ pro animarum præexistentia corporibus proferunt Adversarii? Ea forsan, quæ Pythagoras attulit, dum diserte, tradente Laertio *lib.* 8. *in vita Pythag.* affirmavit, se eorum meminisse, quæ sibi obvenerant, antequam corpori, quod tunc loquebatur, ejus anima sociaretur? At deridiculum hoc commentum nemo fuit, & est, quod inter aniles fabellas non amandaverit semper, & modo mandet, utpote universali experientiæ adversum.

1186. Prob. contra Origenianos, adversus quos ea prætermittimus, quæ in superiori hac probatione contra Platonicos attulimus, licet vim maximam in istorum quoque causam præseferant. Cum Scripturis isti semi-Philosophi decertent, Scripturis queunt commode refelli. Animæ omnium hominum sunt per Origenem longo ante corpora tempore creatæ. Atqui hoc est falsum; narrans enim Moyses hominis formationem ait. *Formavit Deus hominem ex limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Non ergo animam præexistentem e cælesti sede deturbatam corpori Adamitico Deus copulavit: sed post coagmentatum corpus ipsam creavit. Cum ergo nulli

li

li hæc assertio innitatur probabili fundamento: Scripturis imo adversetur, standum est Ecclesiæ definitionibus, quæ in Concilio Bracarensi 2. *can.* 6. in Æcumenica V. Synodo, & tandem in Concilio Lateranensi V. definiit, fabulosam esse, & omni animadversione dignam Origenianam illam præexistentiam, & restitutionem animorum.

1187. Ob. 1. pro Origenianis. In *Ps.* 118. hæc leguntur: ***priusquam humiliarer*, *ego deliqui***. Antequam igitur humiliaretur anima, jam deliquerat: nequit autem delinquere, nisi existat; ergo antequam deturbaretur e cælo, & in terram humiliaretur, existebat. In *Ps.* pariter 141. sic Deum David alloquitur: ***educ de custodia animam meam***. Ac tandem *Ps.* 65. ***induxisti nos in laqueum***. Si ergo custodia animæ est corpus: si veluti laqueo vincitur anima, peccatum patravit, propter quod in carcerem, & in laqueum mitteretur.

1188. Resp. allatas auctoritates nihil minus probare quam quod Origenes contendit; si enim David loquutus fuisset de peccato, quo ejus anima fuit inquinata ante conjunctionem cum corpore, sequeretur, nullum amplius mortale crimen fuisse post humiliationem illam a Davide perpetratum; statim enim subdit: ***propterea eloquium tuum custodivi***. At post illam humiliationem, de qua loquitur Origenes, & homicidii, & adulterii reus extitit David; alius ergo eorum verborum sensus est, nempe: priusquam tribulationibus, & ærumnis ego humiliarer, jam peccaveram, & ideo hujusmodi tribulationibus correptus, custodivi in posterum mandata tua.

1189. Ex 2. Davidis oraculo nihil pro Origenianis colligitur; vel enim in sensu allegorico, vel in litterali carmen illud exponatur Davidis, ne minimum quidem præexistentiam animorum sapit. Carcer itaque animæ potest commode appellari corpus, sicuti Paulus cupiebat dissolvi a vinculis hisce carnalibus, quia his detentus nequibat Deum facie ad faciem contemplari, & esse cum Christo: non vero ita dicitur carcer, ut in ipso permaneat anima propter scelera olim in cælo patrata. Litteralis vero sensus si inspiciatur, colligitur tantum, Davi-

vi-

videm, cum in *Spelunca* esset *Odollæ* Saulis obsectus insidiis, enixas ad Deum preces fudisse, ut ex colatibulo ab ipso liberaretur, cujus nomini cupiebat in propatulo confiteri: en ejus verba: *Educ de custodia animam meam, me expectant Justi, donec retribuas mihi*: en pariter illius inscriptio Psalmi: *Intellectus David cum esset in spelunca oratio*.

1190. Ad 3. Falsum omnino est, ibi nomine laquei corpus intelligi; ibi enim loquitur David de liberatione Israel a captivitate Ægypti: vel si velimus in sensu allegorico ea verba intelligere, de justorum agit tribulationibus: quapropter inquit. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*.

1191. Inst. Atqui Scripturæ loquuntur de vero animæ e cælis in corpora descensu; ergo &c. *Joannis c.* 1. dicitur *Deus illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum*. Improprie autem diceretur homo in mundum venire, si prius anima non extitisset; nemo enim in aliquem locum venit, nisi antea alibi extiterit; ergo &c.

1192. Resp. Præclare huic argumento satis S. Cyrillus facit ostendens, verba illa adversari potius, quam favere Origenianis; *si enim veniens homo in hunc mundum illuminatur, non de cælo ad terras, non de luce ad tenebras, non de clarissimo cælorum domicilio ad teterrimum carcerem descendit*. Dicitur ergo venire homo in hunc mundum secundum Hæbreorum idiotismum, quia tunc primo nascens est veluti advena primum in orbem istum adveniens.

1193. Ob. 2. Deus prius voluit animam, quam corpus; omnia enim propter seipsum operatus est; ergo prius ea voluit, quæ sibi magis proxima erant: anima autem proximior est Deo, quam corpus; prius ergo voluit animam, quam corpus; cum igitur omnia, quæcumque voluit, fecerit, prius fecit animam, postea corpus.

1194. Resp.

1194. Resp. neg. ult. conseq. ut enim Scholæ loquuntur, *quæ priora sunt in intentione, posteriora sunt in executione*. Sic Deus omnia propter homines creavit, ut Apostolus loquitur; ergo prius voluit homines, postea vero cætera mundana: & tamen prius orbem condidit, deinde hominem, quia ordinis leges exigunt, ut prius agens intendat finem, dein vero media: at nisi media prius ponat, nunquam finem consequetur. Licet igitur &c.

PROPOSITIO II.

Mens humana nequit esse pars Divinæ substantiæ.

1195. Prob. Si mens humana pars esset ex tota excerpta natura Divina, & Deus, & anima forent composita; haberent enim partes realiter distinctas. Utrumque est falsum (n. 1048. 1128.); ergo &c.

1196. Deinde hæc sententia ne latum quidem unguem differt a Spinozismo: Spinozismus jam est confutatus; ergo & hæc sententia corruit.

1197. PROPOSITIO III.

Nec per traducem corporeum, nec spiritualem anima propagatur.

1198. Prob. quoad 1. partem. *Illi, qui animas*, inquit optime S. Augustinus *ep. 190. cit. alibi, ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri*. Atqui anima spiritualis est; ergo &c. Jure igitur S. idem Augustinus *in ep. 57. ad Optatum Millevitanum* scribit, *nibil posse excogitari hac opinione perversius*,

1199. Prob. quoad 2. partem. Si anima filii traduceretur ab anima patris, vel in generatione tota patris

tris anima transmitteretur in filium: vel pars tantum. Si tota; in conceptione igitur filii moreretur pater, utpote ea anima destitutus, quam in filium transmisit. Si vero pars tantum; ergo corporea simul, & spiritualis erit anima. Dicamus ergo potius cum S. Joanne Chrisostomo *Hom. 13. in diversa loca Matthæi. Anima neque generat, neque generatur, nec ullum agnoscit Patrem præter eum, cujus voluntate creata est.* Idipsum afferunt S. Hjeron. *in comment. cap. 1. Eccles.* S. Hilar. *lib. 10. de Trin.* S. Ambros. *l. de Paradiso c. 2.* Theodoretus *l. 5. de natura hominis*, aliique plures, imo omnes post Magist. Sent. Theologi.

1200. Ob. 1. *Genes. 46. v. 26.* legitur. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de fæmore Jacob, fuere sexaginta sex.* Igitur per generationem animæ producuntur.

1201. Res.neg.conseq. hospes enim, & peregrinus in Scripturarum lectione sit oportet, qui ignorat, vocabulum animæ sumi aliquando apud SS. Vates per *synecdochen*, ut eo totum hominem significent, sic in Genesi pariter legimus. *Omnis caro corruperat viam suam, ubi nomine carnis totus homo exprimitur peccatis inquinatus*: in Levitico etiam hæc habentur: *anima, quæ cum tetigerit cadaver, non se abluerit, peribit de populo suo.* Millena possent exempla proferri: verum cum hujusmodi locutio usitatissima quoque sit apud prophanos Scriptores, a quibus qui viles, *viles animæ*, qui vero strenui sunt, *fortes animæ* nuncupantur, ea prætermittimus. Horum igitur verborum hic sensus est: omnes homines, qui egressi sunt de fæmoribus Jacob, fuerunt sexaginta sex.

1202. Inst. 1. Nisi pater animam producat filii, nequit intelligi, quomodo homines egrediantur ex fæmoribus patris; anima enim est pars præcipua ipsius hominis.

1203. Resp. cum pater filii corpus producat, optime filius a patre dicitur derivare; corpus enim, licet non sit pars præcipua hominis, est tamen pars illa, quæ immediate nobis in homine occurrit, quæque sola a no-

bis

bis modo conspicitur, & sine qua nequit anima haberi.

1204. Inst. 2. In omnium Recentiorum sententia pater filii corpus non producit; nihil enim aliud agit, quam ovulum fœcundare, quod in utero matris delitescit; sicut ergo non dicitur agricola fructus producere, licet & riget, & serat, & semina occet, ita pariter non dici debet pater &c. remanet igitur, quod reapse animam per generationem producat.

1205. Resp. cum. P. Fort. a Brixia *Met. p. 2. sect. 3. Dico filium, hoc systemate posito, exire ex fæmoribus patris, quatenus ex hujus lumbis exit seminalis aura, a qua fœmineum ovulum fœcundum redditur, gignendique fœtus corpusculo, quod in illo delitescit, talis communicatur motus, atque vigor, qualis in illo requiritur, ut rationalis anima ex lege naturæ ipsi a Deo infundatur, & homo fiat. Quoniam porro hæc seminalis aura ex patre in filios per traducem propagatur, atque in eos, quos ipsi quoque generant, ex illis constanti lege diffunditur, ii etiam ex illius fæmoribus, mediate scilicet, exire dicuntur, a quo eorum parentes naturali generatione descenderant.* Verum hæc clarius in physica particulari patebunt, ubi de *Viviparorum* generatione erit agendum. Elucet vero disparitas in argumento allata; pater enim ex propria substantia ovulum fœcundat: cui nihil simile habetur in agricola.

1206. Inst. 3. Ut dicatur aliquis generare, non sufficit, quod materiam disponat, sed requiritur insuper, quod formam tribuat. Atqui pater per nos disponit tantum materiam; ergo &c.

1207. Resp. dist. *non sufficit, si posita illa dispositione necessario non habeatur in composito forma: & si ipsa quoque non posita, forma tamen possit haberi*, conc. *secus*, nego. Finis itaque generationis neque est forma, neque sola materia, sed compositum ex utraque; agens enim circa compositum versatur, tamquam circa finem: materia autem formam respicit, tamquam medium, quo ipsum finem consequatur. Ergo ut generans finem suum consequi dicatur, satis est, si compositum vi sua attingat.

gat. Ut vero hoc consequatur, sufficit, ipsum ita disponere materiam, ut materies sic disposita necessario conjunctionem formæ juxta leges naturæ expostulet, & acquirat. Hoc vero sufficere, patet manifestissime, alias nullum esset agens, quod posset generare; nullum enim est, quod formam simul, & materiam producat; materia enim jam supponitur creata a Deo. Ita vero se gerit pater in generatione filii, ut diximus; ergo optimo, meritoque jure dici potest genitor filii.

1208. Inst. 4. Atqui vera agentia naturalia formam quoque producunt; ergo &c. Dum ignis ignem producit, non solum materiam ligni disponit, ut ignis formam queat recipere, verum etiam formam ejusdem ignis producit. Patet idem de reliquis agentibus naturalibus; aut igitur pater animam filii producit, aut genitor dici nequit filii.

1208. Resp. dist. subsum. *Dum formæ producendæ vim non superant agentis*, conc. *secus*, neg. In primis animadvertendum est, exemplum allatum peripatetica sorde inquinari; falsum enim omnino est, ab igne formam ignis produci. Nihil aliud præstat ignis, quam ita partes terreas, aqueas, & aereas ligni suis cuneis dissociare, talemque motum igni latenti imprimere, ut educi queat, & apparere. Hæc certa omnino sunt: in physicis tamen demonstrabuntur. Sed hoc etiam prætermisso, concedamus, formas ab agentibus naturalibus produci: hoc verum duntaxat esse potest, si de iis loquamur formis, quæ agentis vires non superant. At anima humani corporis forma, quo pacto valet a patre generari? Non ab ejus corpore, quia corporea non est: non ab ejus anima, propter rationem in probatione allatam; ergo &c.

1210. Ob. 2. D. Paulus *in epist. ad Hebr. c. 7.* scribit, Abrahamum offerentem decimas Melchisedech, qui erat typus Christi, habuisse in propriis lumbis Levi: hoc vero intelligi nequit, nisi anima Levi fuerit ex Abrahamo propagata.

1211. Resp. Eadem est responsio, ac ea, quam n. 1201. at-

1201. attulimus. Quia ergo Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob vero Levi; ideo Levi, quoad corpus ab Abraham mediate descendens, in ejus lumbis dicitur fuisse.

1212. Inst. Christus etiam quoad corpus fuit in lumbis Abrahæ, quia ex Abrahamo sicuti Levi descendit, & tamen asserit Apostolus, peculiari quadam ratione fuisse Levi in lumbis Abrahæ, quia, inquit ipse: *Levi decimatus est, Christus vero non*. Peculiaris igitur ea ratio, qua fuit Levi præ Christo in Lumbis Abrahæ, hæc fuit, quia Levi & quoad animam, & quoad corpus e lumbis descenderat Abraham: Christus vero quoad corpus tantum. Argumentum hoc est S. Augustini *l. 10. de Gen. c. 29.*

1213. Resp. Peculiaris ratio, qua Levi fuit in Abraham, hæc est, quia ab Abrahamitico stipite & quoad carnem, & quoad vim seminis ipse descendit; uterque enim Levi parens ex semine fuit Abrahæ. At Christus descendit quidem ab Abraham, quia Beatissima Virgo ipsi suæ carnis materiam ministravit: quia tamen nullum agnovit terrenum patrem, ideo quoad vim seminis ab Abraham ortus non est.

1214. PROPOSITIO IV.

Systema Wolfianum ipsi Wolfio, rationi naturali, & Religioni Christianæ omnino adversatur.

1215. Prob. 1. pars. Per Wolfium nihil est admittendum absque ratione sufficienti (n. 488.). Atqui nulla est ratio sufficiens hujus systematis, ut ex solutione patebit argumentorum vere futilium; igitur systema istud adversatur ipsis etiam Wolfianis.

1216. Prob. 2. pars. Corpusculum illud organicum vere vivit per Wolfium; ergo necessaria non est actio patris, ut ovulum in matris utero delitescens vita donetur: quod experientiæ, & communi hominum sensui

adversatur. Probatur antecedens: & 1. quidem in illo corpusculo anima habetur, quæ nequit esse sine operationibus corpori motum imprimentibus; 2. in homuncione illo habentur per Wolfium perceptiones saltem confusæ rerum externarum (*Psych. rat.* §. 715. *& Empir.* 57.); ergo cum corpus illud vivere dicatur, cui anima conjungitur, & quidem vitaliter cum corpore agens, & sensationes producens, ovulum illud &c. Prætermittimus libenter, non posse unquam a Wolfianis explicari, quomodo sensationes rerum externarum confusæ queant hoc in composito haberi sine ullo eorumdem externorum appulsu. Omittimus pariter, percipi non posse, quomodo in hac sententia ovulum meum per sex ferme annorum millia quiverit semper moveri absque ulla partium dissolutione, vel saltem jactura: e contra vero modo quotidie ad corruptionem tendat, licet nonnisi quatuor, & viginti ferme abhinc annis e matris utero egressum. Omittimus, inquam, hæc omnia; culpabile enim est in chimeris confutandis tempus insumere.

1217. Prob. ult. pars. Hæc sententia Ecclesiæ adversatur definitionibus; ipsa enim in Concilio *Later.* 3. sub Leone X. celebrato, rem agens contra Pomponatium Mantuanum anathema iis omnibus inussit, qui non assererent, *esse animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilem, multiplicatam, & multiplicandam*: quod profecto falsum est in Wolfii systemate, in quo asseritur, esse jam omnes multiplicatas. Contraria est quoque Ecclesiæ sensui, quem prosequens S. Leo PP. I. cognomine *Magnus ep. ad Epis. Hispan.* in qua Priscillianam hæresim in Hispaniis tunc temporis grassantem damnat, inquit: *Catholica Fides confitetur, omnem hominem in corporis, animæque substantia a Conditore universitatis formari, atque animari intra materna viscera.* Verum, quod rem omnem absolvit, est, hoc in systemate nullam posse fœminam virginitatem servare, quod exhortationibus Christi (*Matt.* 19. 21.) & Apostoli (1. *ad Corinth.* 7. *v.* 7.) manifeste adversatur. Quod vero hoc in systema-

te

te nulla possit fœmina virginitatem colere, ex eo patet, quod licet eæ tantum animæ dicantur per Wolfium a Deo creatæ, quarum corpora erant deinde hasce vitales auras capturæ: cum tamen nulla virgo certo sciat, utrum in proprio ovario anima donata ovula reperiantur, absque piaculo non potest partem dubiam in re maxima eligere. Videat interim Wolfius, quo pollet ingenii acumine, utrum, nec ne *aliquid ex ejus sententia sequatur, quod vel naturali, vel revelatæ Religioni, vel virtuti sit adversum*: quod ipse non inspexit *Psych. Rat.* §. 705.

1218. Ob. 1. cum Wolfio. In Genesi dicitur, cessasse Deus ab omni opere, quod patrarat: atqui quod patravit, fuit opus creationis; igitur modo quidquam amplius non creat.

1219. Resp. *cessasse Deus dicitur ab omni opere &c. hoc est a novis condendis rerum speciebus*, conc. *a multiplicando in speciebus jam productis individua*, nego. Non aliam putamus afferendam huic argumento responsionem, quam quæ contra Traducianos, & Origenianos in eadem proposita difficultate a S. Augustino fuit allata *epist.* 156. *n.* 12. *alias* 28. *cap.* 5. *Facile*, inquit ipse, *respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis, quas jam creaverat, sicut ex aquis alites, & pisces: ex terra autem arbores, fœnum, animalia: sed quod ea, quæ non erant, tunc fecerit manifestum est. Nulla igitur erat avis, nullus piscis, nulla arbor, nullum animal: & bene intelligitur ab his creatis requievisse, quæ non erant, & creata sunt, idest cessasse, ne ultra, quæ non erant, crearentur . . . . . Jam sexto die fecerat hominem ad imaginem suam, quod utique secundum animam intelligitur. Hoc & nunc facit, non instituendo, quod non erat, sed multiplicando, quod erat. Unde & illud verum est, quod a rebus, quæ non erant, instituendis requievit. Et hoc verum est, quod non solum gubernando, quæ fecit: verum etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, numerosius creando, usque nunc operatur.*

1220. Ob. 2. cum eodem *Theol nat. p.* 1. §. 834.

In corporum productione nihil novi conspicitur præter recentem partium dispositionem: idem quoque dicendum de eorumdem corporum interitu; cum ergo series successivorum, quæ ingreditur hunc mundum adspectabilem, non contineat nisi corpora, patet &c.

1221. Resp. Miramur profecto, Wolfium aut suis principiis ita modo adversari, aut æquivocationibus tantum uti, aut pessime argumentari; cum enim ipsemet *Psych. rat.* §. 641. diserte scripserit, animam rationalem differre a corpore, & spiritum esse, quomodo nunc doceat, quin sibimet contradicat, seriem hanc successivorum nonnisi corpora continere, non video. At reponet forsan, hoc verum esse de serie tantum successivorum, quæ ingreditur hunc mundum adspectabilem. Sed in primis etiam anima mediate saltem hanc seriem ingreditur; ex operationibus enim corporum humanorum existentiam animæ colligimus. Deinde si anima nullo pacto hanc rerum seriem ingrediatur, qui fieri potest, ut Wolfius concludat ex eo, quod in corporibus evenit, id quod in animæ contingere debet productione? Peccat enim manifeste ita argumentando eo fallaciæ genere, quod appellant Logici *a dicto secundum quid ad simpliciter*.

1222. Ob. 3. cum eodem *ibidem*. *Mundus est ens unum: at unitati nihil vel addi, vel demi potest, quin unitatis destruatur essentia*; ergo &c.

1223. Resp. *Mundus est ens unum ex determinatis compactum speciebus, quarum numero nihil vel demi, vel addi potest, quin ejus destruatur essentia*, concedo: *ita est unum, ut eadem semper permanere debeant individua*, nego. Si mundus itaque ita sit unus quemadmodum Wolfius contendit, oportebit quoque, in hominis interitu non separari animam a corpore; sicut enim essentiæ unitatis repugnat, ut aliquid eidem addatur, ita quoque repugnat, ut nonnihil ab ipsa dematur. At per Wolfium aliquid adderetur, si recens anima conjungeretur corpori; ergo aliquid ab ea demeretur, si vetus anima separaretur a corpore.

1224. Co-

1224. *Coroll.* Igitur tunc temporis duntaxat a Deo creatur anima, & corpori infunditur organico, quando talis in ipſo evolutio partium habetur, taliſque diſpoſitio, qualis neceſſaria eſt, ut vitæ munera obeat.

CAPUT II.

De unione animæ cum corpore.

1225. PErdifficilem ſane provinciam, difficultatibus obſitam, licet oblectamento non deſtitutam, peragrandam ſuſcipimus; quærimus enim, *quod plenum miraculi eſt, quomodo tam diſtincta ab invicem, ad invicem potuerint conjungi*. Sed non hic noſtræ inquiſitionis finis: inveſtigamus etiam, quomodo anima ſpiritualis in ſubſtantiam omnino corpoream ita agere videatur, ut videantur quoque hæc duo phyſice in ſe mutuo influere. Binæ itaque hoc in capite quæſtiones valent inſtitui: 1. an anima phyſice, & realiter conjungatur machinæ corporeo - humanæ: an potius veluti auriga tantum ſit huic corpori aſſiſtens, quam perquiſitionem ſic Scholaſtici expreſſere: *an anima ſit corporis forma aſſiſtens, vel intrinſecus informans*. Quæri deinde ſolet, quomodo ſit explicandum commercium illud, quod corpus inter, & animam reperitur. Primam modo quæſtionem conſultius ducimus omittendam, ne in chimeris, ut ſæpe diximus, perpendendis tempus inſumamus, quod Philoſopho undique utilibus, gravibuſque circumdato quæſtionibus cenſemus prorſus indignum. Chimeram dicimus eam Petri cujuſdam Olivæ aſſertionem, qua contendit, eſſe animam rationalem in corpore, veluti pilotum in navi, vel in curru, qui frenis temperat equos; niſi enim conſtet, tantam corpus inter, & animam eſſe unionem, ut unum per ſe compoſitum efficiant, quænam profecto veritas conſtabit? Si vulneretur corpus, dolet anima: ſi gratis, & ſuavibus mulceatur motibus corpus, voluptas deprehenditur in anima. Videmus præterea, ut in quæſtione di-

ximus de spiritualitate animæ.

> . . . . *corpus ut ipsum*
> *Suscipere immanes morbos, durumque laborem,*
> *Sic animum curas acres, luctumque, metumque*

Cum tandem Philosophi modo omnes, etiam increduli, & hæretici huic refragentur assertioni: cumque accesserint in ipsam Concilii Viennensis sub Clemente V. anno 1311. celebrati, & Concilii V. Lateran. definitiones, patet manifestissime, sive ad rationes, sive ad auctoritatem & ecclesiasticam, & humanam velimus oculos convertere, non licere alicui insaniam istam defendere, vel rationis, vel pietatis absque certo piaculo. Unico igitur tripartito articulo caput istud absolvemus: isque sit.

ARTICULUS UNICUS

De commercio animam inter, & corpus intercedens.

1226. Antequam ad hujus articuli progrediamur pertractationem, duo putamus esse firmiter tenenda: primum, hac in re *non erubescendum esse homini confiteri, se nescire, quod nescit, ne dum se scire mentitur, numquam scire mereatur*, ut inquit S. Augustinus *epist.* 190. *n.* 16. *alias* 157. *c.* 5. Secundo autem, quocumque in systemate (eorum saltem, qui gloriantur claram, distinctamque commercii hujus se tradere notionem) esse dilucide explicandum, quomodo videatur ita in animam corpus agere, & vicissim, ut mutua dependentia inter distincta hæc principia, si intimo sensui, & oculis fidem præbeamus, appareat manifeste; videmus enim primo, quod si res extra nos positæ sensoria organa immutent, eorumque motus ad cerebrum usue propagetur, illico in anima earumdem notiones excitantur. Conspicimus deinde,

de, ita animam in corpus, cui copulata est, ineffabiliter dominari, ut ad ipsius imperium & motiones habeantur in corpore, & tamdiu perdurent, quamdiu nutus animæ non cessat, & quidem tanta celeritate, *ut vix a servitio*, ut inquit Augustinus, *discernatur imperium*.

1227. Post excussum Peripateticæ scholæ jugum, imo ipso initio Aristotelicæ iliadis cœperunt plures ex Philosophis, Cartesio duce, cachinnis etiam immodicis excipere veterem illa Philosophorum ferme omnium, ac præcipue Scholasticorum *physicum influxum*, quem veluti causam admiserant mirabilis illius commercii corpus inter, & animam. Contendebant Veteres, esse animam ita per totum corpus diffusam, ut in toto tota, in parte vero non pars, sed tota, & integra, si ita loqui fas est, ipsa reperiatur. Hinc sensationes omnes non in aliqua corporis determinata parte per traductionem spirituum animalium, aut per nervorum tremulas oscillationes fieri censebant, sed in ea tantum, ubi sensorium organum a rerum externarum appulsu immutabatur. Forsan hæc falsa sunt, sed non hic ea confutandi locus; ad nostram enim rem non pertinent. Quod in re ista eorum explicandæ opinioni inservit, est, fuisse ab ipsis corpus inter, & animam verum agnitum operationis principium, quod *physicum* appellarunt *influxum*. Non igitur per ipsos vel corporum motiones, vel notiones animæ ab externo aliquo principio, vel a mechanicis naturæ legibus ullo pacto relativis oriuntur: sed ideo movetur corpus, quia anima vere agit in ipsum: ideo res externas percipit anima, quia materialia phantasmata in cerebro, vel alibi efformata, quodammodo, ut inquiunt ipsi, *spiritualizantur*: sicque ab anima valent ita suscipi, ut ad illorum instar, & ipsa vere spirituales eorum efformet notiones.

1228. Cartesius autem obscurarum non patiens idearum, claram sibi commercii hujus efformasse ideam suasit, dum alterum excogitavit systema, in quo videretur quidem in corpus animam agere, & vicissim: re tamen vera operationes producerentur in utrisque independenter ab eorum mu-

mutua actione. Statuit itaque, ea lege operationes omnes in hisce duobus entibus a Deo immediate produci, ut posita motione in corpore, infunderet statim Deus ipse talem eidem animæ perceptionem, qualis motum productum in corpore repræsentaret. Infusa vero a Deo aliqua in ipsam animam operatione, produceret quoque idem supremum Agens huic actui motionem correspondentem in corpore. Anima igitur per Cartesium, non secus ac corpus, merum est principium passivum, nulla activa potentia donatum. Huic opinioni utroque pollice Mallebranchius subscripsit, qui insuper contendit, animam rationalem ita esse copulatam Deo, ut nonnisi in ipso omnia intuitive conspiciat, ut tradit *l. 6. de inquirenda veritate p. 2. c. 3.* Hujus systematis defensores, ab ipso systemate nomine desumpto, *Occasionalistæ* vocantur; occasione enim a motibus corporis accepta, Deus in anima perceptiones producit, & vicissim.

1229. Perspiciens Guillielmus Leybnitius sub exitum elapsi proxime sæculi, *nullas hucusque*, ut inquit Petrus de Crosa *dissert. Philosophico-Theolog. de mente humana sect. 3. §. 46. ad explicationem conjunctionis mentis cum corpore excogitatas fuisse hypotheses, quæ non premerentur suis difficultatibus, suaque obscuritate, tantæ quæstionis elucidationem sagacitate sua dignissimam reputans, sese accinxit ad eam pertractandam, & assueto rerum naturæ phænomenis per mechanicas causas explicandis venit in mentem, hominum animas totidem automata esse, suis singula corporibus consona*. Ut itaque hoc probe intelligatur ingeniosum quidem, at perabsurdum systema, tria sunt distincte agnoscenda. Primo, esse animam per Wolfium, non secus, ac sunt cæteræ substantiæ, vi quadam præditam activa, qua quaslibet operationes, quæ mentis dicuntur, producit: & quidem ita producit, ut etiamsi hic mundus adspectabilis non existeret, eodem tamen, quo nunc, modo sibi repræsentaret universum (*Psych. Rat. §. 614.*). Hujusmodi porro perceptiones, & appetitiones perenniter in anima, & continuata serie producuntur (*ibidem §. 613.*) & ita,

ut,

ut ne tempore quidem saltem confusis & perceptionibus, & appetitionibus sit anima destituta (*ibidem* §. 191.) En itaque constructum *automaton* aliquod *spirituale*, ut animam vir Cl. appellat.

1230. Eo autem pacto, quo machinam hanc spiritualem confinxit, eodem etiam machinam corpoream ædificavit. Corpus itaque tale est *automaton*, ut proprios motus producat independenter omnino a quacumque determinatione intrinsecus ab anima derivata, sed tantum ab objectis externis vel mediate, vel immediate in ejus organa incurrentibus. Sicuti igitur, etiamsi non extaret hic mundus, easdem tamen operationes anima eliceret, ita pariter, licet in corpore non existeret anima, corpus tamen eodem, quo nunc, modo moveretur. Videri hæc apud illum possunt *Psych. rationalis* §. 615. *& seq.*

1231. En igitur duo conformata *Automata*, quæ agunt quidem, at sine ulla mutua vel actione, vel dependentia. Qui autem fieri potest, ut alterutrius operationes alterutri correspondeant? Non hic opus, non hic labor est: ita Deus binas hasce machinas ordinavit, ut unius motus motum consequeretur alterius, & ipsi quoque mirifice ita responderet, ut videretur anima movere corpus, & a corpore in suis perceptionibus anima pendere. In hoc sita est ea, quæ *Harmonia* dicitur *præstabilita*.

1232. Egregio exemplo tria hæc systemata Bulfingerus explicat *in Harmonia præstab.* dicens. *Fac, duo esse horologia, quæ consonent, obtineri id potest triplici modo, 1. per influxum, si feceris, ut alterum agat in alterum, idque vel mutuo, vel ex alterutro tantum latere. Hanc viam influxus vocabimus: 2. si opificem operi comitem effeceris, qui dissonantia cæteroquin, vel cessatura horologia singulis momentis sibi mutuo accommodet, alterum dirigens ex altero: hanc viam vocabimus assistentiæ: 3. est, si satis accuratas feceris eas machinas, ut singulæ suas leges exacte sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaveris; ita enim quum utraque suas exsequatur leges,* se-

semel harmonicæ nunquam dissilient : quam viam præstabiliti consensus, vel harmoniæ dicimus. Videamus modo, quid de his sit dicendum.

PROPOSITIO I.

Occasionalistarum systema neque a Cartesiano, neque a Catholico viro valet defendi.

1234. PRob. 1. pars. Cartesiani ii sunt, qui claris, distinctisque ideis tantum gloriantur, & ita quidem, ut illud duntaxat verum sit, quod evidentiæ etiam particulari innititur, illud vero sit falsum, quod hac destituatur (n. 410.). Atqui Occasionalistarum systema & evidentiæ refragatur, & eadem est egregie destitutum; ergo &c. In primis itaque quis ingenue non fatebitur, *proprium animum*, ut inquit Tullius, *optime sentire, se vi sua, non aliena moveri*? Atqui hoc falsum est in Cartesii sententia; movetur enim animus duntaxat a Deo; ergo &c.

1235. Deinde videamus aliquantisper, utrum systema istud, quod ideo fuit a Cartesio excogitatum, ut claram nobis, distinctamque præberet ideam mirabilis illius commercii animam inter, & corpus, aliquo modo sit proprium finem consequutum. Claram ne exhibet, distinctamque effectuum naturalium explicationem, qui per miracula perenni serie patrata eos exponere conatur? Tradebant ne Peripatetici perspicuam, dilucidamque astrorum motus explicationem, dum ad potentias, nescio quas, cælestes eisdem motum impertientes se recipiebant? Id profecto nunquam dederit Cartesius. Atqui eadem, & ipsissima est ratio ejusdem circa laudatum sæpe commercium systematis; illud enim pro miraculo habetur, cujus ratio sufficiens non in naturæ viribus, sed in naturæ tantum Auctore valet reperiri; igitur Cartesius obscuram potius, & Philosopho indignam hujus phænomeni tradidit notionem, quam claram, distinctamque.

1236. Prob. 2. pars. Systema istud libertatem homini

mini adimit, ex qua libertati illata jactura plura deduci queunt æque impia, ac nefanda paradoxa. Si enim anima est per se principium iners, nulla activitate præditum, mera donatum perceptiones, appetitiones, volitiones suscipiendi potentia; ergo quod homo in corpore, sive in anima operatur, in ejus non est situm libertate. Ponamus, hominem hominem occidere: & voluntatis imperium, & corporis servitium hic facillime deprehenditur. At quænam ex hisce actionibus est homini tribuenda? Non corporis; corpus enim non se movet, sed a Deo movetur: non animæ, quia non operatur ipsa, sed Deus. Deus igitur erit causa immediata efficiens, & sola ejusdem nequissimæ actionis. Nulla ergo in homine erit libertas, nullum meritum, peccatum nullum: solus Deus erit causa malorum, injustæ erunt Principum in reos animadvertentium pœnæ, erunt inutilia bonis repensa præmia, nulla erit amplius lex, nullum jus, nihil quod rectæ rationi valeat aliquo modo quadrare. At possunt ne ista a Catholico viro defendi? Apage sit hæc perspicua commercii ineffabilis mira pariter explicatio.

PROPOSITIO II.

Harmonistarum systema adversatur Wolfio: distincte commercium inter duas hominis substantias non explicat: contrarium omnino est Fidei, & pietati.

1238. PRob. 1. pars. Nihil esse admittendum absque ratione sufficienti, fundamentum est, & achilles Wolfianæ Philosophiæ (n. 489.). Nulla est ratio sufficiens ingeniosi hujus systematis; ergo &c. Prob.min. Si hoc in systemate corpus revera non demonstretur ita physice formatum, ut operationes suas eliciat independenter ab anima: & hæc ita comparata, ut corpore ad operandum nullo pacto in hac vita indigeat, ut ex ipso patet systemate, hujusmodi adinventum corruit. At in primis

mis hoc tantum pro certo Cl. Auctor assumit *Psych. Rat.* §. 617. possibile scilicet esse tale corpus: ita vero esse, nunquam demonstrat: 2. autem, animam eas correspondentes corpori operationes vi sua, & actione perenni elicere, nunquam probat, ut perlegenti patet universam ejus Psychelogiam; ergo systema illud assumitur a Wolfio absque ulla sufficienti ratione.

1239. (2). Per Wolfium actionum animæ nulla reperitur in corpore ratio sufficiens: corporearum vero nulla adinvenitur in anima. Atqui hoc ex Wolfio ipso falsum est. Explicans ipse principium illud ait: *si vel demonstratione, vel experientia pateat, ideo esse A quod ponatur B. ipsum B erit ipsius A ratio sufficiens* (Ontol.831.) *ita quoque*, addit ibidem 866. *enunciari poterat: quo posito, aliquid ponitur, illud ejus ratio sufficiens est*. At *Psych. rat.* 337. tradit, *positis mutationibus in corpore, poni mutationes in anima: illis vero sublatis, has quoque tolli: istis impeditis, has etiam non oriri: ac similiter, posita volitione animæ, poni motus voluntarios in corpore: posita nolitione, hos cessare, vel prorsus impediri*; ergo &c.

1240. Præterea totum discrimen, quod a Wolfio ponitur inter statum animæ unitæ corpori, & ab eo sejunctæ, est, quod eædem operationes, *eodem, quo nunc, modo consequerentur in homine* (Psych. rat. 614.) *etiamsi anima non existeret, nisi quod eorumdem nobis conscii non essemus*. In unione igitur mentis cum corpore ratio sufficiens datur *apperceptionis*; cum ergo apperceptio operatio sit animæ, dependet anima hoc in actu ab ipso corpore; ergo falsum omnino est, quod ipse tradit ibidem §. 614. mentem nempe nostram *vi propria producere omnes suas perceptiones independenter ab omni externo principio, ut illæ omnes eodem, quo nunc, modo in ea consequerentur, etiamsi corpus non existeret*.

1241. *Coroll.* Optime igitur, & apposite P. Fort. a Brixia ad hominem contra Wolfium argumentans ostendit *prop.* 3. hac posita Wolfii sententia, nullius effectus suam propriam causam posse per experientiam cognosci, ac certo determinari. 1242. *Schol.*

1242. *Schol.* Reliquæ contradictiones, quæ afferri possunt, afferentur in seqq. probationibus.

1243. Prob. 2. parſ. In hoc systemate non explicatur commercium illud nisi per liberam Creatoris voluntatem. Ideo vulnerato corpore, mæret anima, quia summus Opifex Deus ita machinas illas efformavit, & ad invicem conjunxit, ut duæ illæ distinctorum automatum actiones mirifice sibi correſponderent. Atqui hæc explicatio non sufficit; ponamus enim, velle Philosophum aliquem explicare phænomenon illud vere mirabile attractionis magneticæ. Ad hoc pro certo sumat, ita Deum hæc duo corpora construxisse, ut unumquodque independenter ab altero vi sua motus illos, qui hoc in phænomeno conspicuntur, perficeret: & ita motus illi essent ordinati, unus videretur alterius esse causa. Esset ne distincta hæc explicatio attractionis magneticæ? Si ita se res habeat, mihi jure gratulari possum primum omnium veram, distinctamque miri hujus effectus adinvenisse causam. At quis non videt, hac in hypothesi pejus aliquid peripateticis qualitatibus in scholas iterum invehi? Cum ergo eadem explicatio sit commercii hujus, patet &c.

1244. Prob. 3. parſ. Innumera sunt absurda, quæ legitima illatione queunt ab hoc systemate inferri: verum ne infinitus sim, unum, vel alterum seligam. Primo itaque, hac posita assertione, certa amplius non est existentia corporum; si enim mens eodem, quo nunc, modo operaretur, etiamsi corpori copulata non foret, & mundus hic adspectabilis non existeret, quis ergo poterit certo pronunciare, corpora revera existere? Quia nempe sensibus ea subjiciuntur: at etiamsi non subjicierentur, eorum tamen semper ideam haberemus; unde igitur certa erit mens, se ideam illam, quam corporum habet, a corporibus derivare? Hoc ipsum Vir acutus non ignoravit; in *Theolog.* enim *nat. P. 2. not. ad 624.* ingenue fatetur, non posse *Idealistas* ex perceptione rerum materialium erroris revinci, quia inquit, *phænomena eodem modo percipiuntur in anima, ac si mundus materialis revera non existeret, & in eo corpora easdem mutatio-*

tiones non subirent, quæ animæ apparent. Labente autem sensuum infallibilitate, labatur Fides necesse est; ut enim Apostolus inquit: *Fides est ex auditu*; igitur &c.

1245. Cum hoc Wolfius fassus fuerit absurdum, sibi tamen contradixit, dum, ut adnotavimus, inquit, conscientiam, sive *apperceptionem* ab unione pendere mentis cum corpore; si enim anima *apperceptione* prædita est, certa quoque est de corporum existentia.

1246. 2. Quod impium æque est, ac perridiculum, ex hoc systemate consequitur; addubitare enim semper possumus, an reliqui homines sint animati; ex quo enim hujus veritatis certitudo? Non ex operationibus eorumdem corporum, quia anima etiam in ipsis non existente eæ operationes consequerentur per Wolfium. Non ex eorum assertionibus; ore enim, aut aliqua corporis parte loqui debent: at operationes istæ, ut diximus &c. ergo &c. Qui igitur fieri poterit, ut quis Wolfiano addictus systemati Incarnationis Divinæ veritatem ostendat? Non ex Scripturis, quia ut legat eas, vel audiat, indiget sensibus: de horum autem infallibilitate certus homo esse nequit: non ex operationibus Christi, propter hanc eamdem rationem; ergo &c.

1247. 3. Definivit Ecclesia tum in Concilio Viennensi, cum in Lateranensi V. ut diximus in Proleg. ad hanc sect. animam esse formam corporis. At forma corporis non est in systemate Wolfii; corpus enim ab anima nullam perfectionem acquirit: anima non postulat ei copulari: ipsi vitam non impertitur: ipsum non movet; ergo perinde est in corpore, ac si ipsi non uniretur. Atqui formæ aliquam semper perfectionem subjectis tribuunt &c. igitur &c.

1248. 4. Istiusmodi sententia inhonestati favet, & Scripturis adversatur; ut enim homines honeste vivant, castitatemque colant, clamant ubique SS. Litteræ, esse ori, atque oculis ostium, & custodiam ponenda: hinc Job merito inquit *c. 31. v. 1. pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Dicit autem, ut optime exponit S. Gregorius PP. fœdus se

pe-

pepigisse cum oculis, non cum anima, quæ sola capax est cogitationis, quia statim ac ab oculis objectum cernitur, ejus subito formatur idea ab anima. Jubent pariter Scripturæ, esse carnem spiritui subjiciendam, ac ita cruciatibus macerandam, ut sub legem peccati spiritum non trahat. Hæc pariter est omnium SS. Patrum sententia, quorum non afferimus testimonia, ne probationibus rem certam dubiam videamur efficere. At per Wolfium hæc omnia inutilia sunt; licet enim anima corpori tales motus non imperaret, eodem tamen modo ipsi consequerentur; pietati igitur, & Fidei systema Wolfii contrarium omnino deprehenditur.

1249. *Coroll.* Fallitur proinde Vir acutus, aut nobis imponit, dum *Psych. rat.* §. 545. *& seqq.* tradit, nihil posse ex Scripturis desumi, quod proprio systemati adversetur; licet enim nihil tradant Scripturæ, quod harmoniæ præstabilitæ sit manifeste contrarium, non tamen, ut aliqua damnetur propositio, istud requiritur, sed sufficit, ejusdem corollaria perspicuo Scripturarum sensui manifeste adversari.

1250. PROPOSITIO III.

Certum omnino est, in invicem animam, & corpus vera, & physica actione operari: nullam tamen, fateri debemus, claram nos, distinctamque ideam physici hujus influxus habere.

1251. PRob. 1. pars, & primo quidem quoad animam attinet. Certum ex n. 1237. animam non esse per se determinatam ad omnes, quas modo elicit, rerum ideas producendas: neque hujusmodi ideas a Deo immediate in ipsa produci (n. 1233.); ergo ipsa eadem anima est, quæ eas producit: vel si velis ideas innatas dicere, anima est, quæ ideas hujusmodi evolvit; vel ergo id efficit absque ulla ratione sufficienti, vel contra? Non primum (n. 503.). Si secundum, cum hæc ratio sufficiens nequeat in ipsa reperiri, alias foret

per se determinata &c. reperietur in aliquo extrinseco determinante. Atqui anima copulata corpori organico, nonnisi corpus ipsum sentit, ut experientia docet; ergo a corpore determinatur; igitur corpus vere operatur in animam. Quomodo autem a corpore anima determinetur ad unam potius, quam alteram cudendam ideam, videbimus in seqq.

1252. Quod vero ad corpus ipsum attinet, multo facilior res est; debet enim quacumque in hypothesi explicari, quomodo ad nutum animæ corpus ipsum moveatur (n. 1226.); ergo vel corpus est ad illos omnes motus, etiam qui voluntarii dicuntur, determinatum, vel est passive indifferens: non primum (n.1237.); ergo secundum. Atqui quod est passive indifferens, causam exigit determinantem; ergo &c. Igitur vel hæc erit anima, quæ eidem conjungitur, vel quid humano individuo extrinsecum? Si istud, vel Deus est, vel quælibet alia res creata: Deus non est (n. 1233.). At res etiam creatæ, quæ sunt extra corpus, non ita subjiciuntur imperio animæ, ut quotiescumque hæc jubeat, illæ moveantur, & motum corpori statim impertiantur, sicuti experientia ostendit. Superest igitur, quod nonnisi anima ipsa & motus velit humani corporis, & eosdem efficiat. Igitur certum omnino est &c.

1253. Prob. 2. pars. In primis igitur quis poterit unquam explicare, quomodo res spiritualis ab ente materiali queat determinari? Nos nonnisi rerum corporearum claram habemus, distinctamque ideam: scimus per consequens, quod tangi, & tangere solius corporis est, nec ullam haberi actionem in mundo visibili, quæ motu non perficiatur. At anima determinatur a corpore ad operandum, quin ab hoc ullum recipiat motum; ergo licet certo sciamus, non tamen explicare possumus, quomodo operationes animæ sine motu fiant, & tamen a corporis motu dependeant. Si vero corpus respiciamus, nemo unquam intellexerit, qui fieri possit, ut ab ante partium experte istud moveatur; nobis enim videtur, quod ut anima corpus moveat, debet aliquid ex ea in corpus ipsum pertransire: at hoc corporeum esse nequit; quippe

pe

pe profluit a principio spirituali: spirituale autem si sit, vel, ut inquebant Scholastici, *corporalizatur*, & hoc nemo unquam percipiet: vel semper in esse spiritus manebit, & semper in eadem versabimur obscuritate: intelligere scilicet non poterimus, quomodo, quod partes non habet, corpori motum communicet. *Nihil igitur hic tutius*, optime ad rem nostram inquiebat Joannes Clericus *Pneumatol. sect. 1. cap. 6. §. 16. animo occurrit candida ignorantiæ nostræ professione. Certissime novimus, esse aliquem inter cogitationes nostras, & motus membrorum nostrorum nexum, quoniam hæc invicem excitant, & sibi vicissim succedunt: verum qua ratione motus in membris excitatus cogitationem in mente procreet, & viceversa, hoc demum est, quod penitus ignoramus. Possumus quidem conjunctionem in nobis esse inter cogitationes, & motus contendere, ita ut sit quædam inter ea reciprocatio: sed quomodo hæc fiant, prorsus nos fugit.*

1254. *Schol.* Pessime autem argumentaretur, qui ex secunda parte hujus nostræ propositionis inferret, vel animam materialem esse, vel Deum fecisse, quæ erant prorsus impossibilia; semper enim inintelligibile ab impossibili est distinguendum. Impossibile intrinsecum a Deo fieri nequit (n. 542.): inintelligibile vero & fit, & fieri sempre potest. Quis ex. gr. intellexit unquam eductionem materiæ ex nihilo? Et tamen educta fuit. Quis intellexerit totum mundanum ordinem? Et tamen constans est institutus. Quis effectus omnes physicos explicaverit? Et tamen quotidie contingunt. Aliud est igitur, aliquid nos non percipere: aliud vero in eo, quod non percipimus, contradictionem ostendere. Inter cogitationem, & materiam veram esse contradictionem superius demonstravimus (n. 1113.); non ergo materia cogitans valet a Deo produci. Physicum autem influxum non posse intelligi, facile demonstrabunt: esse impossibilem, nunquam ostendere poterunt Adversarii. Et sane, si contradictio se teneret ex parte animæ, hæc foret, quia videtur spiritus non posse movere corpus: at etiam Deus corpora movere non posset, si res ita se haberet, quod falsum

 esse

esse, alias adnotavimus. Si vero corpus non posset animam ad perceptiones determinare; ergo corpora hujus mundi non perciperentur a Deo. At Dei cognitionem nihil fugit (n. 1024.); igitur universa contradictio, quæ primo intuitu hoc in systemate conspicitur, est pura & simplex mentis nostræ imbecillitas.

1255. *Schol.* 2. Wolfius *in Psych. rat.* §. 556. ut proprium statuat harmoniæ præstabilitæ systema, nititur pro virili aspernari, & evertere sententiam, quam defendimus, physici influxus: & quoniam novit, omnes fere cordatiores *Influxionistas* existentiam quidem mutuæ hujus actionis, at ignorantiam simul circa modum libenter fateri: ait, quod ipsis nullum revera est systema; cum enim hi *actionis corporis in animam non aliam habent notionem, quam quæ coexistentiæ mutationum in organo sensorio, & mente respondet, nec alia ipsis est actionis animæ in corpus notio, quam quæ volitionum animæ, & motuum in corpore, itemque nolitionis, ac cessationis motus in eodem corpore coexistentiæ convenit*: ideo nihil aliud dicunt, *quam mutationes in anima, & corpore coexistere in utroque casu, quia coexistunt*. Verum si res penitius inspiciatur, patebit, in hoc etiam Wolfium hallucinari; ille enim duntaxat asserit, aliqua coexistere, quia coexistunt, qui nempe non ostendit, unum esse causam alterius: at qui illud probat, licet modum, quo causa effectum producat, se nescire fateri non dedignetur, hic tamen veram adducit nexus illius sufficientem rationem. Quæro a doctissimo Viro: nonne potius hoc videtur sequi ex ejusdem systemate? Eccur enim in systemate harmoniæ præstabilitæ videtur anima agere in corpus: seu cur coexistunt operationes animæ, & corporis? Quia mechanismus duorum illorum automatum elicit semper actiones perfectissime sibi mutuo correspondentes: verba mutentur, *quia nempe operationes illæ coexistunt*. Verum hac de re satis. Quæ contra nostram sententiam possunt afferri, enodabuntur in seqq. ubi de idearum origine. Interim spero, futurum neminem, qui, ut verbis utar S. Augustini *lib.* 1. *de anima, & ejus origi-*

rigine n. 26. alias c. 16. insensatis me pecoribus comparet, quia hoc me nondum scire pronuntio: sed potius cautis hominibus, quia non audeo dicere, quod nescio.

CAPUT III.

De potentiis animæ humanæ, illarumque operandi modo.

1256. Animam nostram spiritualem jam demonstravimus: in æternum duraturam ostendimus: arctissimo quodam nexu corpori vinctam vidimus. Gratiæ sint Superis. At ne hæc sufficiunt? Hucusque nonnisi truncus, nonnisi iners quoddam principium anima deprehenditur. Quoniam igitur ipsam operari interna nos edocet conscientia, singulos ejusdem operandi modos investigemus. Anima aut cogitat, aut vult, aut præteritorum reminiscitur; hinc igitur triplex illa notissima distinctio potentiarum animæ in *Intellectum*, *Voluntatem*, & *Memoriam*. Videamus ergo, quomodo ex ipsis unaquæque operetur.

Articulus I.

De intellectu humano, & idearum origine.

1257. Intellectus est illa rationalis animæ potentia qua homo rerum imagines sibi comparat, de iis judicat, ex notis ignota deducit, seu ratiocinatur.

1258. *Schol.* Non desunt, qui putant, intellectum non esse quamdam peculiarem animæ facultatem, sed ideas omnes, judicia universa, & ratiocinationes quascumque simul sumpta intellectum appellari. Forsan bene: at inutilis quæstio.

1259. Quid sit idea, quotuplex ejus distinctio, fuse diximus in Logica. Sed recolendæ præsertim sunt definitiones idearum adventitiarum, factitiarum, & innatarum (n. 43. 44. 45.); ab his enim perspicua eorum,

quæ dicemus, pendet intelligentia.

1260. *Schol.* Acerrime disceptatum est inter Arnaldum, & Mallebranchium, an idea distinguatur a perceptione. Putavit Mallebranchius, ideas non esse, nisi rerum exemplaria, seu imagines, quæ menti objecta, ab eadem deinde percipiuntur, seu intelliguntur : hinc inter ideam, & perceptionem latum posuit discrimen. E contra vero librum conscripsit Arnaldus *de veris*, *&* *falsis ideis* gallico idiomate Coloniæ ann. 1683. exaratum, quo geometrica instructus methodo fuse probare conatur, idem esse, & unum ideam, ac perceptionem : ideam dici, si ad objecta : perceptionem, si ad mentem referatur. Hinc inde bellatum est, sed tandem Arnaldi refrixit opinio. Qui controversiæ hujus fundamenta edoceri cupit, Genuensem adeat *in arte Logico-critica l.* 2. *c.* 1. *& element. Met. p.* 3. *c.* 3. P. Sicco *elem p.* 110. Auctorem *additamen. in instit. phil. Sagnerii*. *Psych. p.* 374. aliosque Metaphysicos ; nobis enim, quibus premimur, temporum angustiæ parvi momenti quæstiones indigitare tantum sinunt.

1261. Ut in Logica vidimus, judicium, & ratiocinatio ab ideis immediate dependet. Ut ergo modum, quo intellectus operatur in præsentiarum investigemus, quærendum nobis est, quomodo anima sibi rerum ideas comparet.

1262. Ut cæteris evenire solet, quæ ad nostri inquisitionem pertinent, & hæc etiam quæstio, quæ modum, quo nosmetipsi operamur, respicit, plena negocii est, undique tenebris circumfusa, & difficultatibus obsita. Videtur sapientissimo Divinæ providentiæ consilio effectum, ne superbiret homo, ut facilius extima, quam semetipsum cognosceret. Horret propterea animus in avia ingredi, sed eum, Tullio teste, *quærendi defatigatio turpis sit*, *cum id*, *quod quæritur*, *sit pulcherrimum* (l. 1. de finibus c. 1.) *& indagatio ipsa rerum tum maximarum*, *tum etiam occultissimarum habeat oblectationem*, *ut*, *si aliquid occurrat*, *quod verisimile videatur*, *humanissima compleatur animus voluptate* : ideo

quæ-

quærens omnia, dubitans plerumque, & mihi ipsi diffidens manus do operi.

1263. Platonici omnes, & Pythagorici ficuti animas corporibus præexistentes agnoverunt (n. 1179.), ita & ideas sensationibus priores effecerunt, ita ut omnes dicerentur cum anima innatæ, sed in unione animæ cum corpore, veluti contagione quadam, omnes obliteratæ: non ita tamen, ut studio, vel exercitatione non possent iterum excitari. *Modo igitur percipere*, ut ajebat Socrates, *nihil aliud est, quam reminisci*. Quoadusque Platonicorum, & Pythitagoreorum in Scholis floruerunt dogmata, idearum innatarum viguit opinio: at postquam principatum ubique est adepta Peripatetica philosophandi methodus, vetusta illa Platonicorum refrixit sententia. Injura tamen temporum pene obsoleta iterum a Recentioribus fuit in scenam invecta, qui licet a Platone, & ab invicem discordantes, ideas tamen statuerunt innatas. Cartesius itaque primus novæ restaurator Philosophiæ ideas quascumque in tres classes divisit, in *ingenitas* scilicet, *adventitias*, & *factitias*. *Innatas* dixit illas, quæ a Deo primo creationis momento menti imprimuntur, quæque per solam animi attentionem facillime excitantur: hujusmodi sunt notiones Dei, unitatis, bonitatis, pulchritudinis, axiomatum &c. *Adventitias* nuncupavit ideas omnes rerum sensibilium, quas ad motionum corporearum occasionem Deus in anima producit (n. 1228.). Ac tandem *factitias* eas voluit, quarum in Logica definitionem tradidimus (n. 44.). Non convenit tamen inter Criticos, an ideæ innatæ nomine Cartesius intellexerit ipsam cogitandi facultatem, vel potius actualem rei perceptionem: sed censura doctissimi Danielis Huetii (*censura Phil. Cartes. c. 3.*) ea mihi videtur, quæ debeat omnibus proculdubio anteponi; videns enim, modo in unam, modo in alteram Cartesium descendisse sententiam, nihil aliud ex ejus systemate colligi posse infert, *quam totam Auctoris vacillare doctrinam*.

1264. P. Nicolaus Mallebranchius Cartesii defensor acerrimus a Cartesio nonnihil hac in re dissentit. Is ita-

que toto in opere *de inquirenda veritate* ideas innatas constituit, sed hoc tantum in sensu. Supponit, mentem nostram arctius uniri Essentiæ Divinæ, quam copuletur corpori. Cum ergo in Essentia Divina omnium repræsententur objectorum imagines, in eadem mens rerum quarumque, quas perspicit, ideas contemplatur: quas, ut (n. 1260.) diximus, rerum exemplaria vocavit. Hoc ergo in sensu ideæ per Mallebranchium dici debent innatæ. Hanc ipsissimam sententiam defendit nuperrime eruditissimus Laurentius Berti in suo opere *de Disciplinis Theologicis*, innixus forsans quibusdam Augustini testimoniis, quem, dum omnia tuetur, nos in Deo contemplari, seu potius in lumine ipso Divino, *quod omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*, facile Platonicum agnoveris; animadvertimus enim in Logica, Platonicorum sententiam nullum ponere discrimen inter ideas innatas, & lumen illud supramundanum, seu Divinum, cujus sumus omnes a Deo participes effecti.

1265. Posteriores tandem hujus sententiæ defensores Leybnitius fuerunt, & Wolfius, sed ideas innatas appellarunt determinationem illam animæ rationalis, qua semper ex vi sui mechanismi ideas elicit motibus corporis correspondentes, licet ab iis non pendentes, juxta leges harmoniæ præstabilitæ (1229.). At cum anima sit per ipsos producta a Deo cum perceptione saltem confusa totius universi, ut vidimus n. 1216. ideo contendunt, quod ideas producere idem perinde sit, ac in promptuario, ut ita dicam, illo omnium idearum universi unam contemplari, eique debitum lumen conferre. Verum negatum humanis stare diu, vix aliquem modo in Europa reperies, qui ista defendat.

1266. Persuasum propterea est aliis, intellectum nostrum esse a Deo conditum veluti *tabulam* quamdam *nudam* quacumque idea destitutam, sibique ideas comparare, non in Deo eas contemplando, neque ab eodem recipiendo, sed vi sua, occasione accepta ab ipsis rebus sensibilibus, quarum, dum sensus percelluntur, ideas efformat: ab iisque abstrahendo, vel invicem eas com-

componendo, notiones etiam rerum vel ſpiritualium, vel abſtractarum, atque etiam chimericarum: uno verbo, factitias ideas adipiſcitur: adeo ut tritum ſit illud: *nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit ſub ſenſu*: ſeu, ut inquit Tullius *l.* 1. *de finibus c.* 39. *quidquid animo cernimus, id omne a ſenſibus oritur*. Verum nec conveniunt omnes inter ſe circa modum, quo a ſenſibus ideæ menti adveniunt. Democritus & Epicurus mundum materia replentes, ipſis non exceptis animabus hominum (n. 1111.), conſentanea propriis principiis tradiderunt, dum ideas omnes materiales eſſe objectorum imagines ſtatuerunt. At unde imagines iſtæ in animam? Putaverunt ergo a rebus ſenſibilibus quaſdam abradi, & avolare materiales ſpecies, veluti idola, & ſimulacra, quæ deinde per ſenſus in materialem animam tranſeant. Eodem igitur modo voluit Epicurus, cogitationes fieri, quo viſio, per ſimulacra ſcilicet incurrentia. Atque ut explicaret originem idearum factitiarum, quarum objecta materiales ſpecies nequeunt ad animam tranſmittere, quippe quæ materialia non ſunt: contingere id poſſe docebat ex eo, quod, cum ſimulacra rerum materialium tenuia ſint, & plura ſimul menti aliquando fiant obvia, facillime invicem junguntur, inque unum exinde conformantur. Perlegi hæc poſſunt in Lucretio *l*, 4. *de rerum natura v.* 726. *&* *ſeqq.*

1267, Scholaſtici tandem multa de idearum origine diſſerentes, tradiderunt de *intellectu agente*, & *patiente*: de *ſpeciebus impreſſis*, & *expreſſis*: quæ ut intelligantur, ſciatis ſat eſt, ipſos ab objectis materialibus ſpecies emitti crediſiſſe, quæ per ſenſuum canales ad cerebrum devenientes animum determinarent ad ideas producendas. Si ſpecies iſtæ conſiderentur veluti ad cerebrum delatæ, *impreſſæ* appellantur, quia phantaſiæ imprimuntur: ſi vero ſpectentur prout ab intellectu concipiuntur, ſive exprimuntur, *expreſſæ* nuncupantur. Intellectus autem dum ex determinatione ſpecierum materialium ideas ſibi cudit ſpirituales iis perfecte ſimiles, *agens* dicitur: dum vero has ideas in ſe recipit, *patiens*

tiens appellatur. Hæc sunt præcipua Peripateticorum doctrinæ capita, licet nec unanimiter inter se conveniant. Hæc omnia peripatetica sorde abluta, quæ scilicet species impressas, duplicemque respicit intellectum, modo Recentiores omnes amplectuntur. Intueamur, quibus innitantur rationibus.

1268. PROPOSITIO I.

Si idearum innatarum nomine intelligat Cartesius ipsam gignendi ideas facultatem, & habitum, omnes nostræ ideæ dici possunt innatæ.

1269. Constat ex ipsa experientia; sive enim ideæ producantur a mente, sive infundantur a Deo, sive ab objectis extimis excitentur, cum actus sine potentia sit impossibilis, semper anima dici debet habere facultatem, seu habitum ideas vel producendi, vel recipiendi.

1270. *Coroll.* 1. Si hoc in sensu ideas innatas usurpet Cartesius, ridicula est, & nugatoria distinctio illa idearum in *innatas*, *adventitias*, & *factitias*.

1271. *Coroll.* 2. Decipitur ergo Cl. P. Eusebius Amort dum Lockium reprehendit, quasi non bene systema eorum intellexerit, qui ideas agnoscunt ingenitas, simulque statuit (*notit. crit. de Logica Neotericorum sect.* 5.) ideas innatas neque in actuali objecti cognitione, nec in pura capacitate ad acquirendas ideas, sed duntaxat in quadam dispositione, & potentiarum promptitudine ad producendam objecti imaginem, quoties sensus ab objectis percelluntur, esse positas. Decipitur, inquam; Lockius enim ideas ingenitas confutavit eo tantum in sensu qui evidens non erat, & omnibus communis: at si hoc sensu ideæ innatæ a Cartesianis usurpentur, verbis ludunt; nemo enim unquam negarit, ad omnes quidem ideas capacitatem, ad aliquas vero potentiam proximiorem, seu majorem dispositionem animam habere.

1272. *Coroll.* 3. Serio igitur loquendo, siquæ admitta-

tatur idea innata, hæc debet esse ipsa actualis rei idea a Deo primo momento vitæ menti impressa.

1273. PROPOSITIO II.

Si per ideas innatas intelligamus ipsas actuales rerum imagines, nulla est idea ingenita.

1274. INtellectus est potentia naturalis, quæ per consequens necessario operatur positis omnibus necessario prærequisitis ad agendum: sed ut intellectus percipiat, nihil aliud præter ideam est necessarium; ergo si Dei ex. gr. unitatis, entis &c. ideæ semper menti præsentes sint, semper eas intellectus percipiet. Atqui hoc adversatur experientiæ; ergo &c.

1275. Deinde vel omnes nostræ ideæ sunt innatæ, vel aliquæ tantum? Non omnes, alias omnes omnino homines eadem facilitate res cunctas perciperent, quod falsum esse, ostendit experientia. At si aliquæ tantum; ergo nunquam idearum origo explanabitur; quæ enim difficultas in origine unius obversatur, ea in cæterarum ortu occurrit. Præterea cæteræ ideæ, quæ adventitiæ dicuntur, vel a sensu originem sumunt, vel a Deo. Si a Deo: eccur etiam istæ dici nequeunt innatæ; nunquam enim probare Cartesiani poterunt, nonnullas quidem primo vitæ momento, alias vero paulatim, & per intervalla a Deo menti infundi. Si a sensu, ergo cum demonstrari facillime possit, ut patebit in argumentorum solutione, eadem via omnem posse perfici idearum productionem, inutiles erunt, ac per consequens Philosopho indignæ rerum formæ ingenitæ.

1276. Tandem cum nullam adversarii proferre possint ideam, quæ non sit excitata ex motionibus corporeis: hujusmodi vero motionibus talem energiam denegent Cartesiani, patet &c.

1277. Ob. I. Plures sunt ideæ, quæ a motionibus corporeis nequeunt excitari; ergo innatæ dicendæ sunt. Et quoniam inter eas, quæ ab adversariis afferuntur, præcipuum locum obtinet idea Dei, ideo de ista speciale

sta-

statuemus argumentum. Itaque idea Dei est idea Entis infiniti, & perfectissimi. Atqui quæcumque corporea finita sunt, & imperfecta; ergo &c.

1278. Resp. dist. maj. *Idea Dei est &c. in se tamen imperfecta, & negativa*, conc. *perfecta, & positiva*, neg. Duo videntur mihi distinguenda, ubi de idea Dei agitur, idea nempe existentiæ Dei, & forma, seu imago Ejusdem. Si loquamur de ipsa existentia Dei, hæc idea est perfecta, positiva, & adæquata; sicut enim nulla res potest magis existere, quam altera, ita cum habeamus ideam claram existentiæ nostræ, sic & habemus ejusdem Dei. At idea hujusmodi dici nequit innata, nisi innatas dicere etiam velimus ideas quascumque ratiocinatione deductas, quod denegat Cartesius, & est sufficienti qualibet ratione destitutum. Non est, inquam, innata, quia ab existentia mundi unusquisque noscit existentiam Dei, sicuti fatentur omnes Philosophi, & Theologi. Et licet Cartesius nisus fuerit existentiam Dei demonstrare, ut inquiunt, *a priori*, frustra tamen adlaboravit, quia scilicet prius creata cognoscimus, Creatorem deinde. Dum autem ex rebus creatis Producentis existentiam novimus, quid primo novimus, si velimus quod experimur, fateri? Novimus tantum existentiam alicujus causæ, quæ existentiam mundo sit impertita. Deinde cum ex aliis jam cognitis principiis sciamus, non posse dari causarum progressum usque in infinitum, dicimus, hanc causam primam omnium esse: prima vero cum sit, a se esse debere, inferimus: a nullo igitur in suis perfectionibus limitatam colligimus: sicque Entis perfectissimi nobis notionem comparamus. At quomodo etiam post hanc ratiocinationem a nobis percipitur Ens istud perfectissimum? Tribuimus scilicet Ei omnes perfectiones, quas in creaturis conspicimus: & cum cognoscamus, creaturas esse finitas, ab illo summo Ente omnes removemus fines: sicque ejusdem confusam ideam confingimus, & veluti ex pluribus coacervamus. Sed cum Ei non tribuamus, nisi quæ creaturarum propriæ sunt perfectiones, idea Illius est imperfecta: cum vero

per-

perfectissimum dicamus Ipsum per negationem tantum, idea ejusdem est partim etiam negativa: omnia paucis, prout hæc Dei idea est positiva, imperfecta deprehenditur: prout vero perfecta est, dici potest negativa. Loquendo igitur de idea ejusdem Dei, non vero solius existentiæ, patet eam esse imperfectam, & negativam. Quapropter sic potius possumus contra adversarios argumentari. Idea existentiæ Dei dici non debet innata, quippe quæ per sensus acquiritur: idea, seu forma ejusdem Dei, si innata dicatur, eccur adeo imperfecta est? Si enim ita imperfecta potest per sensus, & ratiocinationem acquiri; ergo vel Deus debuisset eam perfectam homini tribuere, vel inutilis dicenda est, si innata statuatur.

1279. Scio equidem, hanc esse methodum, qua Philosophi, non vero rustici notionem Dei adipiscuntur, vel adeptam demonstrant; hi enim non tam subtilibus argumentis, sed oculos in mnndum conjicientes statim Deum existere cognoscunt. At numquid ex hoc ideam Dei ingenitam iis concederent Cattesiani? Contrarium potius videtur mihi exinde erui. Quæ enim, amabo, est idea, quam Dei habent agrestes, & rudes homines, nisi a parentibus edoceantur? Vix forsan causam aliquam primam argumentabuntur, & si argumententur, est ne idea Entis perfectissimi, saltem quantum percipi potest ab infirmo mentis nostræ acumine? Non dicam bardos, sed si nosmetipsos consulamus, antequam meditationibus, majorum traditis, rebus philosophicis initiaremur, nonne patebit, vel nunquam ad Deum animum convertisse, vel si unquam convertimus, ad modum potius creaturæ, quam Creatoris percepisse? Quæ cum certa ex intimo sensu, & experientia sint, dicant, quæso, Cartesiani: eccur si omnes ideam Dei ingenitam habemus, non tamen Deum omnes eodem modo percipimus? Quia nempe hanc non excolimus omnes ex æquo. Optime quidem: at id efficit, non omnes præcellenti quadam ratione posse Deum agnoscere: at idea ingenita quantum ad essentialia, vel sufficiens erat, vel non? Si secundum; ergo inutilis: si pri-

primum ; ergo saltem quoad essentialia eodem modo noscamus omnes Deum oportet .

1280. Inst. 1. Atqui ex sensibilibus ne imperfectam quidem Dei ideam possumus depromere ; ergo &c. Prob. Sensus non referunt nisi ideas soni , coloris , saporis &c. Atqui hæc omnia nihil commune habent ne cum idea quidem Dei imperfecta ; ergo &c.

1381. Resp. neg. subs. ad prob. conc. maj. & dist. min. *Si seorsim accipiantur ab intellectu excipiente sensationes* , conc. *secus* , neg. Non itaque in nobis considerari debet potentia tantum sensationes recipiendi , sed & illa super eas ratiocinandi , quæ in præcipua intellectus parte consistit . Per sensus ergo qualitatum notiones acquirimus : per sensus ideas corporum adipiscimur : at cum per sensus etiam noscamus , nullum esse effectum sine causa , optime sic infert intellectus: si qualitates , si corpora existunt ; existit ergo causa , quæ iis existentiam contulerit ; igitur &c.

1282. Inst. 2. Atqui ex corporibus eruere non possumus &c. Prob. Etiamsi possemus ex creatis deprehendere , aliquam exsistere communem causam , non tamen increatam agnosceremus ; etenim inter res finitas , & infinitas , inter creatas , & increatas nulla datur connexio ; sicut ergo quia inter sonum , & colorem nulla est connexio , cognito sono , ne imperfecte quidem colorem cognoscimus : ita &c.

1283. Resp. consulatur idem argumentum a nobis relatum , ubi egimus de existentia Dei (n. 930.) ; eadem enim & ipsissima est responsio . Interim animadvertamus , quod si aliquid probarent hæc argumenta , nullo amplius pacto posset ex contingentibus cognosci existentia alicujus Entis necessarii , quod est contra communem Philosophorum , Theologorumque sententiam .

1284. Inst. 3. Idea Dei est simplicissima , cui proinde nihil addi , vel demi potest ; ergo nequit efformari , per unionem , vel remotionem idearum sensibilium .

1285. Resp. distinguo : *idea , seu essentia Dei est simplicissima* , conc. *Idea , quam de Deo habemus , talis est* ,

est, neg. Idea, seu essentia Dei est quidem simplicissima, & ideo siquis Deum perfectissime cognosceret, & adæquate, nonnisi ad modum puri actus Ipsum perciperet: at non quærimus, quid Deus sit: contemplamur tantum, quomodo a nobis cognoscatur. Cum ergo Deus a nobis cognoscatur per ideam, quæ ex pluribus creaturarum perfectionibus coalescit, falsum est, nihil ideæ Dei addi, vel detrahi posse: cum sit quoque contra experientiam docentem, quod quanto magis meditamur, quo plus edocemur, eo pluribus perfectionum accessionibus, & limitationum remotionibus idea, quam de Deo habemus, perficitur.

1286. Inst. 4. Idea Dei debet correspondere essentiæ Dei, alias non esset idea Dei. At essentia Dei est indivisibilis; igitur & idea Ejusdem augeri nequit, & minui per unionem &c. perfectionum creaturarum. Ad summum igitur poterit reddi clarior, sicuti cum novas trianguli proprietates cognoscimus, idea trianguli non augetur, sed duntaxat fit clarior, & distinctior.

1287. Resp. Si per ideam objecti intelligamus ipsissimam totius objecti imaginem, libenter fatemur, ideam quam de Deo habemus, non esse ideam Dei; quippe Deus nequit ullimode ne a Beatis quidem comprehendi, Infinitum enim quomodo a finito totaliter intelligetur? Verum si hoc in sensu accipiantur ideæ, non solum idea Dei, sed & idea creaturæ cujuscumque realis dicenda est impossibilis, uti diximus in Logica n. 96. Quapropter distinguenda est idea adæquata ab ideis inadæquatis. Divinitatis equidem ideam non habemus adæquatam: ac per consequens licet certo sciamus, Deum simplicissimum esse, cum tamen hujus simplicitatis nullum exemplum possimus a rebus creatis haurire, semper ideam Dei inadæquatam habemus, quæ deinde per majorem animi attentionem, & meditationem paulatim crescit. Deinde essentia Dei est quidem indivisibilis, at non talis est, quatenus consistat in uno indivisibli attributo, sed quia omnia essentiæ Dei attributa indivisibili unione sunt invicem copulata. Quia ergo unum pos-

possumus attributum cognoscere, altero non cognito, ideo si aliud cognoscamus, idea Dei augebitur: & quia semper scimus, quodcumque cognoscatur attributum, esse indivisibiliter cum aliis consociatum, semper nostra idea dicenda erit idea Dei. Cæterum dum adversarii hæc argumenta proponunt, videntur mihi confingere chimericam Rempublicam Platonis; homines enim formant, non formatos contemplantur. Quæro: idea, quam homines de Deo habent, augetur ne, & minuitur pro diverso ætatis, studiorum, meditationum statu? Ita sane. Si ergo quæ ita est comparata, non est idea Dei; igitur ad quid illam nobis Deus contulit? & adversarii contendunt ingenitam, quia agnoscunt impossibilem, si debeat acquiri? Quapropter jure ac merito videtur mihi argumentum, siquid probet, contra adversarios probare.

1288. Inst. 5. Si mens nostra tot haurit a creaturis perfectiones, ab iis limites aufert, & simul deinde jungit, ut sibi Dei ideam comparet; aliquam igitur, necesse est, habeat Dei præcedentem notionem, alias non tot simul uniret creaturarum perfectiones, ut Dei ideam compingeret; igitur &c.

1289. Resp. In responsione ad primum argumentum jam modum exposuimus, quo se gerunt Philosophi, dum essentiæ Dei sibi notionem comparant. Habent igitur prius ideam alicujus causæ perfectissimæ in genere, antequam ad perfectionum species agnoscendas se conferant. At etiam illa prima idea est, ut vidimus ibidem, ex contingentium contemplatione acquisita.

1290. Ob. 2. Tantum abest, ut ideam Entis infinite perfecti ab ideis imperfectarum creaturarum hauriamus, quin potius oppositum contingit; quomodo enim cognoscimus, aliquid esse imperfectum? Quia nempe cum perfectissimo comparatum semper ab illo deficit. Optime propterea inquiebat Boetius: *omne, quod imperfectum est, in diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur.*

1291. Resp. Si loquamur de perfectionibus finitis, certum est, nos aliquando ex perfectiori minus perfectum co-

cognoſcere: ſicuti etiam non raro ex cognitione minus perfecti perfectius agnoſcimus. Ideo autem iſtud promiſcue fit, quia creaturas poſitive cognoſcimus; quapropter cognitis ex. gr. quinque gradibus perfectionis Petri, ſi ſex ejuſdem gradus conſpiciam in Paulo, optime infero, Paulum eſſe Petro perfectiorem, & e contrario. At ſi loquamur de Infinito, nequit unquam cognoſci, niſi ex finito; prout enim a nobis Deus cognoſcitur infinitus, perfecte cognoſcitur: at dum perfecte cognoſcitur, cognoſcitur negative, ut ſupra diximus (n. 1278.): nullum autem negativum cognoſci poteſt, niſi prius illud cognoſcatur, cujus eſt negatio, ſeu niſi cognoſcatur poſitivum. Igitur &c. Boetius autem non loquitur de cognitione perfecti, & imperfecti, ſed tantum de eo, quod homines efficiunt, dum aliquid imperfectum cenſent: quo in caſu *nemo infelix eſt, niſi comparatus*.

1292. Inſt. 1. Negativum cognoſci nequit, niſi prius cognoſcatur poſitivum: at creaturæ prout finitæ per ideam exprimuntur negativam; igitur Infinitum nequit ex finito cognoſci. Prob. min. Infinitum diſtat a finito per aliquod poſitivum; ergo ideo creaturæ finitæ ſunt, quia illo carent poſitivo. Idea igitur creaturarum prout finitarum eſt idea negativa. Deinde ſi Deus negative congnoſceretur, nullimode cognoſceretur; cognoſcere enim, quid res non ſit, non eſt cognoſcere, quid ſit.

1293. Reſp. conc. maj. & diſt. min. *exprimuntur per ſolam ideam negativam*, neg. *per negativam, & poſitivam ſimul*, conc. Ad prob. *Infinitum diſtat a finito per aliquod poſitivum in ſe*, conc. *quod a nobis perfectiſſime cognoſcatur*, neg. In primis igitur ſi velint Adverſarii, exprimi finitum per ideam negativam, quatenus dicit negationem infiniti, id ultro dabimus: ſi autem velint, per hanc ſolum ideam exprimi, perpetuo inficiabimur, utpote intimo ſenſui manifeſte contrarium; habet enim unaquæque creatura propria ſua attributa poſitiva, licet finibus circumſcripta. Et licet per aliquod poſitivum diſtet Infinitum a finito, id tamen probat tantum, eſſentiam Dei licet infinitam non eſſe in ſe quid ne-

negativi: non vero ostendit, a nobis percipi illud positivum; illud enim positivum, per quod Infinitum distat a finito, a nobis non percipitur, nisi quatenus est negatio finium, intra quos creaturæ consistit essentia; ac per consequens idea Infiniti semper est negativa. Hic autem animadvertatis velim, nos non loqui de ipsa essentia Dei, sed de idea, quæ essentiam Dei nobis confuse refert.

1294. Ad 2. Si argumentum quid probaret, probaret simul, nos non cognoscere creaturas; creaturæ enim per adversarios non repræsentantur, nisi in idea negativa: at quod negative cognoscitur, nullimode cognoscitur. Igitur &c. Quapropter Deus quidem a nobis negative cognoscitur prout est infinitus, & ideo inquiebat Augustinus, se facilius determinare posse, quid Deus non sit, quam quid sit. At dum a nobis imperfecte cognoscitur, positive etiam cognoscitur, ut (n. 1278.) diximus. Argumentum igitur ostendit tantum, nos nullam Infiniti claram habere, distinctamque ideam.

1295. Ob. 3. Ideam Dei esse ingenitam, tradunt manifestissime SS. Litteræ, & SS. Patres: sic ps.4.legitur: *Signatum est super nos lumen vultus Tui, Domine*: quod testimonium expendens S. August. inquit: *hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur: signatum autem dixit in nobis, sicut denarius signatur Regis imagine*. Apostolus etiam *ad Romanos* 1. de Idololatris loquens Philosophis, ait: *quod notum est Dei manifestum est illis; Deus enim illis manifestavit*. Innumeri etiam Patres ajunt, cognitionem Dei esse nobis insitam: quod experientia ipsa evincit, dum scilicet omnes nobis homines ostendit in Divinitate agnoscenda mirifice concordantes: tum ipsa Dei bonitas integre persuadet; incredibile quippe est, quod noluerit Deus sui notitiam hominum mentibus imprimere, ne sui Creatoris supina laborarent ignorantia.

1296. Resp. Mirum est, Cartesianos perfugium in Scripturis quærere; exceptis enim illis, quæ proferunt, testimoniis, quæ æquivoca videntur, tradunt ubique Sacri Scriptores, a cognitione visibilium assurgere homi-

nem

nem in cognitionem invisibilium, seu Dei. Hinc *Sap. c.* 13. dicitur: *a magnitudine speciei, & creaturæ poterit horum Creator cognoscibiliter videri*. Jobi cap. 12. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Psalmo* tandem 18. dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*. Saltem ergo concedunt Scripturæ, posse ex visibilibus Creatorem cognosci. At hoc falsum est per Adversarios; quippe contendunt, ex imperfecto, & finito Perfectissimum, Infinitumque nullimode posse cognosci. Igitur Scripturæ opponuntur potius, quam faveant Cartesianis; dummodo enim ex Scripturis colligamus, inutilem esse ingenitam Dei ideam, quippe quæ ex creaturis facillime erui potest, hoc sufficit, ut Scripturas dicamus adversariorum figmentis adversantes. Quapropter facillime singula in contrarium allata Scripturarum testimonia modo explicabuntur.

1297. Signatum itaque dicitur lumen Dei super nos, hoc est lumen ipsum rationis, quo facillime bona pleraque a noxiis dignoscamus: & quia lumen istud est participatio quædam Sapientiæ Dei, qua homo effectus dicitur ad imaginem, & similitudinem ipsius, ideo hoc lumen lumen dicitur vultus Domini. Quod autem hic sit verus illius Oraculi sensus, ex iis patet, quæ præcedenter immediate dixerat Psalmista. *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus Tui, Domine*. Hoc etiam in sensu explicari facillime potest S. Augustinus; sicuti enim denarius est imago Regis, quia Regis obsignatur vultu, & superscriptione: ita & nos sumus ad imaginem Dei, quia lumine ipso rationis, in quo est totum verum hominis bonum, quodammodo obsignamur.

1298. Quod vero pertinet ad Apostolum, referatur tantum integrum ejusdem cap. testimonium, & quinam sit Apostoli sensus, clare intelligetur. Ut itaque probet, *inexcusabiles eos esse Philosophos, qui non sic Deum glorificaverunt, quemadmodum agnoverunt*, ait *cit. c. v.* 18. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injusti-*

ſtitia detinent (v. 19.) , quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis ; Deus enim illis manifeſtavit (v. 20.) : inviſibilia enim ipſius a creatura mundi per ea , quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur , ſempiterna quoque ejus Virtus , & Divinitas , ita ut ſint inexcuſabiles. Quod Apoſtoli integrum argumentum ſi attente conſideretur , ideam Dei innatam de medio tollere, mihi indubie videtur. In primis enim , ſicut inquit, Deum manifeſtaſſe Philoſophis , quæ Divinitatis eis nota ſunt , ita tradit : *ex viſibilibus fuiſſe inviſibilem Dei Virtutem, Sapientiamque agnitam.* Deſtruit propterea præcipuum Carteſianarum idearum fundamentum ; hi enim ideam Dei innatam , ut ſupra diximus, tuentur, quia putant ex creato , & finito non poſſe Deum cognoſci infinitum , & increatum : at contrarium Apoſtolus defendit; igitur inutilis eſt idea Dei ingenita.

1299. Verum illud colligitur ex Apoſtolo, ſi veluti in fruſtula conciſum ejuſdem teſtimonium inſpiciatur : at ſi vellimus integram Apoſtoli orationem cum ejuſdem ſcopo conferre , & conſiderare , longe a Carteſiano diverſum ſenſum Pauli verba referent; contendit enim in primis Apoſtolus Philoſophos eſſe inexcuſabiles , cum honorem, & gloriam Deo non præſtiterint,quemadmodum præſtandam eſſe, agnoverunt : quomodo probat inexcuſabiles eſſe ? quia *quod notum eſt Dei , manifeſtum eſt illis* ; *Deus enim illis manifeſtavit.* At ſi Deus ex Apoſtolo media idea Divinitatis ingenita manifeſtaſſet , poterant optime reponere Philoſophi, ſe excuſabiles eſſe , quia ideam illam Dei ingenitam , quam experiebatur Apoſtolus , ipſi nec experiebantur , nec agnoſcebant . At invincibili prorſus argumento eos cogit Paulus ad cognitionem Divinitatis fatendam, *quia Deus illis manifeſtavit* : & quomodo manifeſtavit? *quia inviſibilia ipſius a creatura mundi per ea , quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur :* quod ſane argumentandi genus : *exiſtit creatura ; ergo Creator exiſtit :* ſe non agnoviſſe , contendere non poterant Philoſophi , qui , ut inquit Apoſtolus *ibidem v. 22. dicebant , ſe eſſe ſapientes* ; illiuſmodi enim eſt , ut bardi etiam acumen evadere non poſſit.

1300. Dum

1300. Dum vero videntur Patres nobis insitam defendere Divinitatis notionem, in primis secernendi sunt Patres Platonici ab iis, qui a Platonis secta abhorruerunt. Platonici mirum non est, si ideas agnoverint ingenitas: non Platonici autem tantum abest, ut ideas probaverint ingenitas, quin potius omnes mediis sensibus oriri in anima, contenderint. Si vero dicant nonnulli, notionem Dei esse veluti animo insculptam, verbis hisce nonnisi quamdam facilitatem, seu promptitudinem intelligunt, qua ferimur in cognitionem Dei, sicuti a natura nobis insculpta dici possunt prima axiomata, quia, terminis intellectis, statim mens eorumdem percipit connexionem. Cæterum cum hæc quæstio mere philosophica sit, dum SS. Patres ideas ingenitas aliquando tuentur, aliquando autem acquisitas, Platonem sequuntur, & Aristotelem, non Christum, ac per consequens tanti eorum faciendæ sunt auctoritates, quanti fiunt rationes, quas afferunt.

1301. Ab hac vero necessaria, & evidenti connexione, quæ in hoc enthimemate reperitur: *existit* nempe *mundus: ergo causa existit, quæ ei existentiam contulerit*, oritur, quod omnes eo ferantur, ut Deum fateantur sine controversia hujus mundi auctorem. At, sicut optime inquiebat Tullius, *cum Deos esse, nemo neget: quales sint, sit varium*, ideo potius contra adversarios argumentum firmissimum mihi erui posse videtur; si enim quia existentiæ Dei ideam habemus ingenitam, universalis hominum consensus firmus, & constans in Divinitate agnoscenda reperitur; ergo si etiam essentiæ Dei inditam haberemus notionem, omnes, qualis Deus sit, agnosceremus: at id experientia docente non evenit; igitur consensus omnium hominum Superos fatentium ne minimum quidem argumentum præbet pro idea hujusmodi ingenita.

1302. Tandem *cum homo ita creatus sit*, ut inquit Augustinus l. 8. de Civitate Dei c. 4. *ut per id, quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, idest unum, verum, optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullius usus expe-*

 dit,

dit : & quidem tanta facilitate attingat, ut *vani sint homines*, ficuti legitur Sap. 13. *in quibus non subest Sapientia Dei, & de iis, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere Eum, qui est : neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset Artifex* : ideo bonitas ipsius Dei optime hominibus consuluit, ne crassa, & supina in Creatore agnoscendo laborarent cæcitate : ita ut optime dicat Apostolus, quod sint inexcusabiles, si nempe ex visibilibus invisibilem, sempiternam non agnoscant Deitatem.

1303. Ob. 4. Prima scientiarum principia, seu axiomata innata dicamus oportet; si enim hujusmodi non essent, non possent ab omnibus facillime assensum extorquere. Insuper ejusmodi sunt, ut per illa cæteras veritates cognoscamus; ergo illa sint ingenita, necesse est.

1304. Resp. Sicuti oculi sunt potentiæ, seu media visiva corporis, ita & intellectus est medium, seu potentia visiva animæ. Siquis ergo animadverteret, se objectum undique satis superque luce perfusum conspicere, quid posset inferre? Forsan ne illius imaginem esse cerebro innatam, & primo vitæ momento a Deo in imaginatione depictam? Non equidem, sed solum tantam esse illius claritatem, ut ab oculo quocumque ei debite applicato cerni facillime possit. Idipsum ergo dicat de primis scientiarum principiis: ea quidem omnes homines percipiunt, quia iis percipiendis non quidem ingenii acumen, non intelligendi profundissima velocitas, sed initium tantum luminis sufficit naturalis rationis.

1305. Ad 2. In primis plures sunt veritates, quas, ne minimum quidem animum convertendo ad axiomata, mediis sensibus clare percipimus. Deinde quid ex hoc, si verum foret, posset inferri? Nempe intellectum humanum ita esse comparatum, ut a facilioribus ad difficiliora ut plurimum gradum faciat, quod ultra concedimus. Cæterum siquis animadvertat, axiomata non esse nisi veritates quasdam universales : universalium autem nos nullam habere ideam, nisi ab ideis singularum dependentem : agnoscet etiam, ideas axiomatum dicendas ne-

necessario esse mediate saltem acquisitas.

1306. Inst. 1. Prima saltem legum axiomata innata concedi debent; alias quomodo explicari posset Lex ipsa naturæ, quam universalem esse, ipsi ostendunt conscientiæ stimuli, quibus homines torquentur, dum mali aliquid perpetrarunt? Et cum circa principia ista universalis adinveniatur hominum consensus, patet manifestissime, ea esse ab ipsa idea ingenita.

1307. Resp. Latum est discrimen inter Legem innatam, & legem naturæ, quas tamen videntur adversarii invicem confundere. Prima statuit quasdam ideas legis nobis primo vitæ momento a summo Conditore impressas: secunda vero ponit tantam evidentiam in aliquibus morum axiomatis, ut mentem paululum etiam attendentem nequeant aufugere. Hoc itaque secundum agnoscimus, quin ideas innatas tueamur.

1308. Ad 1. referunt Viatores, nonnullos esse Populos ferarum more sylvas incolentes, & pervagantes, in America præsertim, qui humano generi bellum intentasse videntur, dum homines pacato quidem animo interficiunt, & in conviviis comedunt. Viderint autem, num in istis ex stimulis conscientiæ demonstrari possit existentia idearum innatarum. Verum cum Antropofagos etiam non putemus tanta detentos ignoratione, ut in nece hominum se contra legem aliquam peccare, non videant, cum amor & conservatio speciei propriæ belluis etiam sint communia, ideo alia sit responsio. Conscientiæ stimuli ostendunt tantum, nos de rectitudine aliquorum principiorum esse certissimos: non vero principia illa menti nostræ fore ingenita; alias etiam Lex scripta ingenita dicenda foret, cum eam infringentes conscientia criminis redarguat.

1309. Ad 3. Quod diximus de universali hominum consensu circa Divinitatem, idem proportionaliter dicite de principiis illis communi calculo ab omnibus hominibus receptis.

1310. Inst. 2. Apostolus *ad Rom.* c. 2. v. 14. inquit: quod *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ le-*

legis sunt, faciunt: hujusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Lex igitur naturæ dicitur ab Apostolo nobis indita.

1311. Resp. Si per legem scriptam in cordibus Gentium intelligeret Apostolus ideas legis innatas, testimonium illud evinceret, non ideas tantum universales, sed & particulares esse nobis insculptas; Apostolus enim de Gentium loquitur operibus, *quæ singula debent in die iræ a Domino judicari*. At Cartesiani istas nolunt innatas; igitur testimonium istud, siquibus faveat, Platonicis potius favet, quam Cartesianis. Verum si velimus verba Apostoli attente pensare, nec Platonicos, nec Cartesianos poterunt ullimode juvare; scopus enim Apostoli est probare contra Judæos, nimis præ Gentilibus superbientes propter legem scriptam, quam acceperant, nullam esse distinctionem Judæi, & Græci: *sed Deum in die justi judicii esse redditurum unicuique secundum opera ejus, quia non est acceptio personarum apud Deum. Judæi ergo, qui in lege gloriantur, per legem judicabuntur: quicumque autem sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (v. 6. 12. 12.); quia licet legem non audierint, habent tamen lumen naturalis rationis, quo possint ea cognoscere, quæ recta sunt, & noxia evitare. Et quoniam lumen istud super nos signatum est, ideo dicuntur Gentes omnes legem habere scriptam in cordibus suis. Cum vero non semper in omnibus, nisi evidentissima sint, conveniunt homines; ideo subdit immediate Apostolus: *& inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*: quod profecto non fieret, si quæcumque legis sunt, nobis forent ingenita. Adnotandum præterea est, quod ubi Vulgata vertit *cogitationibus*, in græco legitur *logismon*, quæ vox cogitationes significat cum disceptatione, & ratiocinatione conjunctas.

1312. Ob. 5. Ideæ universalium, ex. gr. unitatis, veritatis, bonitatis, entis, substantiæ, pulchritudinis &c. certe acquisitæ esse nequeunt; sensus enim non attingunt, nisi

nisi singularia; ergo ingenitæ dicendæ sunt.

1313. Resp. *nequeunt esse acquisitæ per sensus immediate*, conc. *mediate saltem* neg. Non hic statuimus sententiam Wolfii, qui arbitratur, ideas universales non aliud esse, quam celerem enumerationem idearum singularium, quas memoria retinemus: quod si verum foret, rueret statim tota vis argumenti; hoc enim prætermisso, si investigemus modum, quo mens se gerit in universalium contemplatione, quem in Logica tradidimus, patebit, ideas omnes universales a singularibus immediate pendere: has autem per sensus acquiri.

1314. PROPOSITIO III.

Nos omnia in Essentia Dei conspicere, falsum, & perabsurdum est.

1315. Probatur 1. Duplici modo aliquid dici potest in alio visum, ut præclare est a S. Thoma observatum: 1. ut in lumine, & principio: 2. velut in objecto cognito. Rogo, qua cum notione Mallebranchius accipiat, nos omnia in Deo videre? Si prima, idem perinde est, ac nos omnia videre in lumine ipso Divino nobis participato, seu medio naturalis rationis lumine, quod nemo inficiabitur, quodque Mallebranchius non concedit. Sed vult, secundo modo nos omnia in Deo contemplari; ait enim *in illustr. ad l. 2.* nos videre objecta in Deo, sicuti videmus objecta in speculo repræsentata. At hoc si fiat, ergo videbimus & Deum ipsum; nemo enim potest objectum conspicere, nisi simul speculum ipsum videat. At quis nisi phanaticus id viatori asseruerit concessum? Quomodo Paulus potuerit recte asserere, *Deum inhabitare lucem inaccessibilem*: & Deus ipse perclamare: *non videbit me homo, & vivet*? Sed Deum videntes, qui fieri potest, ut omnes beati, felicesque non simus, cum hominis beatitudo in Dei visione intuitiva sit sita? Quinimo in Deo omnia conspicientes, cur non omnia, cur nonnisi bona, cur nonnisi utilia saltem intuemur? Deus

enim

enim per Mallebranchinm omnia detegit, & si aliqua abscondat, utpote summe bonus, noxia potius, & superflua deberet occultare. Memoria etiam eadem semper esse deberet; idem enim semper est idearum promptuarium. Facilitas percipiendi eadem in omnibus deberet esse; ad idem enim medium idem passivum principium semper convertitur. Nulli Legum ignari, nulli amentes, nulli febribus delirantes possent adinveniri. Omnes natura ipsa sumus Prophetæ. Revelatio Divina per sensus nobis facta est inutilis. Frustra nobis beatitudo promittitur, cum possibilis non sit major animæ unio cum Deo, quam quæ in præsenti statu datur. At vide, ne hæc omnia non ridicula tantum, sed & impia sint.

1316. Prob. 2. Tandem eccur in iis investigandis, quæ in nobis fiunt, intimus animi sensus argumentum non erit veritatis certissimum? At intimus cujusque sensus non tradit, intellectum in Deo, quæcumque conspicit, conspicere, sed tantum, motis sensibus corporeis, statim motum ipsum ab intellectu percipi, seu ejusdem objecti ideam produci; igitur &c.

1317. Obj. 1. Apostolus 2. *Corint.* 3. 5. inquit, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Igitur in Deo omnia conspicimus. Et sane omnia in Lumine videmus: at Deus est *Pater Luminum* (Jacob. 1. 17.); ergo in Ipso omnia intuemur: quapropter optime inquiebat Joannes 1. 9. *Ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

1318. Resp. *Dum Scripturæ asserunt, Deum esse Patrem Luminum &c. id duplici cum notione pronunciant*, inquit optime Genuens. *Met. p.* 2. *p.* 172. 1. *Quod ratio, quæ velut Lumen mentis est, a Deo sit, & conservetur.* 2. *Quod Deus rationem hominis naturalem prophetia, seu revelatione emendet, & perficiat: qua ratione Lex Divina dicitur Lucerna ardens ante pedes: prophetia lumen in tenebricoso loco lucens: & Christus lux, veritas, via appellatur. Turpissime ergo loca illa Mallebranchius contorquet, & de genuino sensu perturbat, ut genio suo litet.* 1319. Inst.

1319. Inst. ex Mallebranchio. S. Augustinus ubique docet, nos omnia conspicere in immutabili veritate, scilicet in Deo. Sic *l.* 2. *Confess. c.* 25. ait *Si ambo videmus, verum esse, quod dico, ubi, quaeso, videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate*. Idipsum repetit *l.* 2. *de libero arbitrio c.* 8. *& seq. tum l.* 14. *de Trint. c.* 3. *l.* 1. *Soliloqu.* & pluribus aliis in locis.

1320. Resp. S. Thomas 1. *p. q.* 84. *art.* 5. nititur ostendere, revera Augustinum putavisse, nos omnia videre in rationibus aeternis, seu in Deo, veluti in Lumine, & principio: non vero ut in objecto cognito: idque persuadere conatur ex eo, quod *Augustinus*, ut inquit ipse, *in l.* 83. *QQ. dicit, quod rationalis anima non omnis, & quaecumque, sed quae sancta, & pura fuerit, asseritur illi visioni, scilicet rationum aeternarum esse idonea, sicuti sunt animae Beatorum*. Quidquid tamen de hoc sit, nolumus hic quaestionem criticam instituere de mente Augustini; haec enim perlegi poterit apud Thomassinium *l.* 1. *c.* 14. *art.* 1. *de Deo uno*. Hac ergo sumus responsione contenti, quod *si Augustinus vere putavit, nos omnia in Deo videre, singularis est*, ut inquit Genuen. *Met. p.* 2. *p.* 173. *cujus idcirco nomen nemini vim inferre potest, ut auctoritati cedat, etiam sine ratione: Augustini praeceptum est, nullius hominis auctoritati concedendum, nisi quatenus aut Divina auctoritate, aut naturae probabili ratione utatur*.

1321. PROPOSITIO IV.

Desipiunt Epicurei tradentes, ab objectis simulacra avolare, quae per sensuum organa ad animam delata, eidem tandem imprimantur.

1322. Prob. Si ab objectis simulacra abraderentur, & avolarent, cum jugis, & perennis haec abrasio fiat, objecta ipsa corporea imminuerentur sensibiliter. Cum innumera objectorum exemplaria in aere reperiantur,

tur, ibi permiscerentur, reflecterentur, confunderentur. Cum semper ab objectis simulacra ejusmodi emittantur, siquis ex luce intueretur objecta posita in tenebris, eadem deberet conspicere. Cum e contrario a rebus geometricis, veritatibus insensibilibus &c. nullæ queant avolare superficies, hæc omnia non possent intelligi. Ac tandem anima, cui superficies materiales imprimuntur, corporea esse deberet. Hæc omnia cum natura rerum corporearum, cum intimo sensu, cum spiritualitate animorum nostrorum pugnant. Igitur &c.

1323. PROPOSITIO V.

Anima humana congenita sibi vi rerum ideas producit.

1324. Prob. Anima hominis, Adversariis quibuscumque fatentibus, ingenita sibi vi volitiones producit: atqui eodem argumento, quo istud probatur, evincitur etiam, animam propria facultate objectorum ideas sibi cudere. Primum enim non ostenditur, nisi ex eo, quod *sentit animus, se vi sua, non aliena moveri*. At sentit etiam animus, se vi sua, non aliena objectorum formas sibi comparare. Igitur &c. Quinimo, si animam virtute propria volitiones, & nolitiones diceremus non producere, assereremus id quidem contra intimum animi sensum, non tamen naturam animi destrueremus. At semel posito, nostrum animum non videre, non percipere, non ratiocinari, non solum evidenti intimo conscientiæ testimonio vim faceremus, sed & animum inertis, ligneæ, lapideæ efficeremus naturæ. Igitur revera &c.

1325. Opp. 1. Mallebranchius *l.* 3. *de inquirenda veritate p.* 2. *c.* 3. Facultas producendi ideas est participatio quædam Divinæ potentiæ; per illam enim anima aliquid creat: sed hoc repugnat, & animam a Deo independentem constituit. Igitur &c.

1326. Resp. Concedimus libenter, facultatem ideas producendi participationem esse potentiæ Divinæ; quæcumque enim sunt in creatura, a Deo originem ducunt, &

& ejusdem participationes sunt. Non videmus tamen qui demonstrari possit, illud repugnare; dum enim mens ideas producit, nihil efficit a semetipsa distinctum: quod requiritur, ut aliquid creetur. Hinc licet Deus semper, & semetipsum, & res futuras cognoverit, non tamen Creator ante mundi productionem unquam extitit. Quod vero opponit Mallebranchius, animam hac in sententia constitui independentem a Deo, id falsum omnino est. Licet existentia, & cætera contingentium attributa participationes sint Essentiæ Divinæ, non tamen independentia ab eadem sunt: imo quia participata sunt, ideo essentialiter ab eo pendent, cujus participia sunt effecta. Ita pariter licet anima in ideis producendis imitetur quodammodo potentiam Dei, quia tamen hanc vim a Deo accepit, sine ipso nequit sibi conservare, requirit, ut concurrat Ipse ad omnes suas actiones; ideo essentialiter a Deo pendet (n. 1078.)

1327. Cæterum argumentum istud, siquid probet, urget etiam Mallebranchium; etenim per Mallebranchium anima volitiones, & aversationes producit ingenita sibi vi; si ergo hæc vis productiva eamdem creatricem, & independentem constituit, creatrix erit, & independens a Deo, etiamsi ideas objectorum sibi facultate propria non compararet.

1328. Ob. 1. Ideæ sunt modi spirituales: atqui spirituale nequit ex corpore educi, licet sit accidens: sic quadratum, licet accidens sit corporis, non tamen potest e spiritu educi; igitur &c. Præterea dum mens objectorum ideas sibi cudit, vel objecta prius cognovit, vel non? Si primum; ergo opus non habet illorum ideas producere: si secundum, nunquam poterit exactam objecti imaginem formare: sicuti pictor nequit incogniti animalis formam depingere. Ita Mallebranchius loco cit.

1329. Resp. ad 1. Dist. min. *nequit spirituale &c. veluti ex partibus componentibus*, conc. *veluti ex objecto determinante*, neg. Anima quidem dum ideas producit, non eas compingit ex partibus phantasmatis, quod in sua idea repræsentatur, sed a phantasmate determinatur, tamquam ab objecto: quod efficere animam pos-

posse, siquis neget, verum sumet quod est in quæstione.

1330. Ad 2. Latum est discrimen inter agens naturale, & artificiale. Artifex non est ex sui natura ad pingendum determinatus: hinc nonnisi ex objecti cognitione ad efficiendam ejusdem imaginem valet determinari. Agens autem naturale agit sine prævia cognitione, sicut ignis absque dirigente principio lignum debite proximum comburit. Anima ergo agit quidem, sed naturaliter; non indiget idcirco prævia cognitione, sicuti oculus, ut suscipiat objecti imaginem, aliam non exquirit imaginem; modificando igitur semetipsam anima congruenter illi determinationi, qua ab imagine corporea afficitur, ideam objecti producit.

1331. PROPOSITIO VI.

Anima in ideis producendis non est ex sua natura ad unam potius, quam ad alteram ideam determinata, sed a phantasmate, quod in cerebro depingitur, ejus oritur derminatio.

1332. PRob. 1. pars. Si anima ex propria natura ad quasdam ideas, quas cudit, producendas foret determinata, non indigeret alio determinante; eas ergo produceret independenter omnino a corpore. At istud est systema harmoniæ præstabilitæ, quod confutavimus (n. 1237.); ergo &c.

1333. Prob. 2. pars. Vel anima determinatur ad certas ideas producendas a rebus extimis, vel a phantasmate, quod in cerebro depingitur: non primum, quia res quæcumque extrinsecæ animæ immediate non subjiciuntur; ergo secundum. Et sane nos conspicimus, nullas esse ideas, nisi objecta sensus percellant: sensibus etiam percussis, si infirmi sint, anima non percipit: si aliquo careamus sensu, objecta illius sensus propria semper ignoramus, neque ulla arte edoceri possumus. Pro majori, vel minori sensuum perfectione major, vel minor

nor est idearum perfectio : si idoneis instrumentis sensus adjuventur, ea objecta percipimus, quorum prius nullam habebamus ideam, nec unquam fuissemus habituri, nisi mediis illis essemus usi. Igitur, ut cætera prætermittamus, anima nostra ad unam potius, quam alteram producendam ideam determinatur &c.

1334. *Schol.* Cum fassi fuerimus (n. 1250.), nos non habere claram, distinctamque influxus physici ideam, damus etiam libenter, non posse clare intelligi, quomodo a phantasmate materiali in suis deis producendis anima determinetur; hoc enim majorem ejusdem physici influxus partem constituit. At ex hoc eodem alterum validissimum argumentum depromi posse mihi videtur contra Adversarios; cum enim in nostra sententia nihil sit in intellectu, quod prius vel immediate, vel mediate non fuerit sub sensu: productio autem idearum sensibus nullimode subjiciatur: hujus productionis nullam debemus habere ideam claram, & distinctam. At si anima innatis gaudeat rerum ideis, quas a Deo immediate recipit, vel pro singulis momentis, quæcumque percipit, in Deo conspiciat, eccur hujus originis nullam habet claram, perspicuamque ideam? Tantum igitur abest, quod hac nostra ignoratione ea infirmentur, quæ hucusque diximus, quinimo potius egregie confirmantur.

ARTICULUS II.

De Voluntate humana, ejusque libertate, inclinationibus, affectibus, & habitibus.

1335. DEF. 1. *Voluntas humana* est illa rationalis animæ potentia, qua aliqua appetimus, vel aversamur, amplectimur, vel nolumus.

1336. *Def.* 2. Liberum dicitur agens, quod nulla determinatur necessitate ad operandum. Sed libertas duplex est, *a coactione*, & *a necessitate*.

1337. *Def.* 3. *Cogi* dicitur agens, cum ab externa vi contra, ac illius natura postulat, ad operandum adigitur.

1338. *Coroll. Liberum* ergo *a coactione* erit agens; quod, omni penitus sublata externa vi impellente, secundum naturales leges operatur.

1339. *Def.* 4. Ille *necessario agit*, qui ita ad aliquid est determinatus, ut agere oppositum nequeat. Sed duplex distinguitur necessitas, *intrinseca*, quæ oritur a natura: *extrinseca*, quæ ab aliena vi enascitur. Sic etiam utraque hæc necessitas bifariam dividitur, nempe in *necessitatem specificationis*, ut inquiunt Scholæ, seu *contrarietatis*: & *contradictionis*, seu *exercitii*.

1340. *Def.* 5. *Necessitate contrarietatis* ille operatur, qui ex duobus contrariis nonnisi unum valet efficere.

1341. *Def.* 6. Agit vero *necessitate contradictionis* quicumque, positis omnibus prærequisitis ad agendum, non valet illud non efficere, ad quod est determinatus.

1342. *Coroll.* 1. Hinc, ne longiores simus, variæ colligi possunt libertatis definitiones, *libertatis* nempe *a necessitate* (n. 1339.) cum intrinseca, tum extrinseca (*ibidem*): a necessitate contrarietatis (n. 1340.), & contradictionis (n. 1341.); contraria enim ratione hæc definiuntur.

1343. *Coroll.* 2. Quodcumque est *liberum a coactione*, non propterea est *liberum a necessitate*; dummodo enim agens operetur juxta præfixas sibi naturales leges, *liberum est a coactione* (1338.). At quod ita operatur, potest necessitate intrinseca operari (n. 1339.). Igitur &c.

1344. *Coroll.* 3. *Liberum* ergo *a coactione* opponitur *coacto*, non autem *agenti naturali*.

1345. *Def.* 7. *Actus* voluntatis *eliciti* illi dicuntur; qui a voluntate veluti ab activo principio immediate proveniunt, cujusmodi sunt amor, & odium.

1346. *Def.* 8. *Imperati* vero illi vocantur, qui ad nutum quidem voluntatis fiunt, fiunt tamen a potentiis a voluntate distinctis, ut sunt loquutio, deambulatio &c.

1347. *Coroll.* Quicumque igitur actus imperatus semper elicitum supponit.

1348. *Schol.* Inquirunt Scholastici, utrum voluntas

Di-

Divina saltem virtute cogi possit ad ullum actum elicitum efficiendum. Si tamen iidem consulantur, patebit, quæstionem istam potius ad implicandum, quam acuendum ingenium institui; si enim quis dicat: potest: reponunt statim; ergo non est amplius elicitus. Siquis reponat: non potest; ergo voluntas humana ita est libera, ut nequeat libera non esse, quod est absurdum. Quapropter si vobis hæc quæstio proponatur, inquirite, utrum quæratur, an si Deus vellet, posset voluntas non esse libera? An potius, utrum actus elicitus eo tempore, quo est coactus, dici possit elicitus? Si primum, affirmativam: si secundum, negativam cedite responsionem: semper tamen quæstionem ad fallendas horas, non ad Philosophum constituendum habete.

1349. *Def. 9. Voluntarium* pluribus usurpatur significationibus: 1. *latissime* pro eo, quod fit ex propensione naturæ, quo in sensu non differt *a libero a coactione* (n. 1338.): 2. *late* pro eo, quod fit prævia quidem cognitione sensitiva, sed secundum leges naturæ, quo pacto cum spontaneo proprie dicto confunditur: 3. sumitur pro omni eo, quod voluntatem respicit, sive sit ejus objectum, sive effectus: 4. tandem accipitur pro omni actu elicito, aut imperato voluntatis, & hoc in sensu *liberum* optime dixeris *a necessitate intrinseca* (n. 1339.)

1350. *Def.* 10. *Involuntarium* proprie dictum est id, quod fit nobis nolentibus: si fiat contranitente voluntate, appellabitur *involuntarium positive*: si vero nec contranitente, nec assentiente voluntate eveniat, *involuntarium negative* nuncupabitur.

1351. Hisce præsuppositis, inquirimus modo, an sit in homine libertas, & cujusmodi ea sit? Liberam esse voluntatem hominis ii omnes inficiati sunt, qui cum Judiciariis Astrologis, atque Priscillianistis (*ex cap. 3. conc. Bracaren.* IX.) cuidam invincibili fato ex stellarum influxu orto eam subjici contenderunt. Manichæi quoque sicut duplicem Conditorem, ita duplicem voluntatem Creatori suo perfecte correspondentem, unam intrinsece malam, alteram intrinsece bonam agnoscentes, quid-

quid vel boni, vel mali agamus, necessario nos agere, sunt arbitrati. Errores omnes hujusmodi revixerunt iterum opera præsertim Lutheri, & Calvini, qui licet in ceteris egregie discordantes, in hoc tamen mirifice conveniunt, ut liberum arbitrium *figmentum in rebus*, seu *titulum sine re* appellent, ut inquit Lutherus *in Assert. Artic.* Nuperrimis vero hisce temporibus incredibile ferme est, quot undique humanæ libertatis eruperint osores. Spinoza in primis (*epist.* 62. *pag.* 584.). Helvetius (*Discours* 1. *chap.* 1.), Collinsius (*Recherches sur la libertè pag.* 262.), Chauvinus (*in Lexico*) Hobbesius (*apud Harris Response aux difficultes, que forment l' Athees sur l' esistence, & les Attribues de Dieu par.* 3.), ac omnes tandem Materialistæ libertati propriæ bellum intentasse, videntur. Nemo tamen poterit facile intelligere, quomodo nefarii homines liberum denegantes arbitrium, liberum tamen semper suis in libris hominem dixerint. Unus pro omnibus sufficiat Lucretius, qui, utpote Materialistarum Princeps, libertatem certe materiæ inerti debuit denegare: & tamen aut intimo sensui alta nimium voce clamanti non valens obsistere, aut hominibus fucum facere cupiens, hæc dilucide profert l.2.v.277.

Jam ne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellit, & invitos cogit procedere sæpe,
Præcipitesque rapit: tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit,
Cujus ad arbitrium quoque copia materiai
Cogitur interdum flecti per membra, per artus:
Et projecta refrænatur, retroque residit?

Ut ergo intelligamus, quomodo cum Impiorum principiis hæc stare queant, audiamus, quæso, Spinozam, qui *cit. epist.* 62. Lutheri, Calvini, cæterorumque hujus furfuris hominum veluti in nucleum contrahit simul, & explicat errores. *Concipe jam*, inquit ipse, *si placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare, & scire, se quantum potest conari, ut moveri pergat. Hic*

sane

ſane lapis, quandoquidem ſui tantummodo conatus eſt conſcius, & minime indifferens, ſe liberum eſſe, & nulla alia de cauſa in motu perſeverare credet, quam quia vult. Atque hæc humana illa libertas eſt, quam omnes habere ſe jactant, & quæ in hoc ſolo conſiſtit, quod homines ſui appetitus ſint conſcii, & cauſarum, a quibus determinantur, ignari. Habemus igitur, quonam libertatis genere nos Impii donaverint: illo eodem, quo ſi lapides loquerentur, ſe præditos jactarent. Scilicet, quia non operamur contra leges naturæ, ideo libere nobis videmur operari. Libertas ergo tantum a coactione (n. 1338.) nobis ineſt: ac per conſequens a neceſſitate intrinſeca liberi non ſumus (n. 1339.). Sumus ergo agentia naturalia (*ididem*): vel potius, quia cognoſcimus, melius *ſpontanea* dixeris. Hæc omnia videri poſſunt apud Incredulos citatos *loc. cit.* Dum vero tenemus Impiorum ſententiam, probe etiam noſcimus, quo tendant peſtis hujuſmodi conatus; ut enim præclare inquit Auctor *lib. de Fide contra Manichæos, ſtultum eſt præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere: & iniquum eſt eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere.* Quæ cum ita ſint, libertatem non quidem animo, ſed ore impudentiſſimi homines pernegantes, ſi ſemel id vel ſuadere, vel perſuadere cæteris poſſint, habent jam, cur impune ſceleribus, & flagitiis indulgeant. Amentes tamen! non enim perſpiciunt, eodem poſſe modo Princeps reponere, dum meritis eos coercent pœnis: veſtram ſententiam ſequimur: non ſunt hæc poteſtatis noſtræ: & nos fato ſubjicimur: quod facimus, neceſſario facimus: fata ſequimur, quæ, ut noſtis, volentem ducunt, nolentem trahunt. Interim cum ab hac quæſtione univerſa hominum felicitas pendeat, & ſocietas, quæ ſine legibus ſtare nequit: nec iſtæ ſine libertate juſtæ eſſe poſſunt, conabimur pro viribus, ut ſit nobis evidentiſſime demonſtratum, eo humanam voluntatem libertatis genere frui, quo, ſi aliquid velit, poſſit etiam non velle, ſi aliquid averſetur, ita averſetur, ut potuerit idipſum amplecti: omnia paucis: &

contrarietatis, ut inquiunt, & contradictionis libertate (n. 1340. 1341.) nos esse donatos.

1352. Cum recentes hac de re Philosophos consulerem, nulla mihi quæstio facilior ista visa est, quippe quæ posset statim ex intimo conscientiæ testimonio absolvi, dum tamen Scholasticos adivi, intimumque sensum consului, & modum, quo operamur, profunde investigavi, ingenue fateor, memet in avia vidisse ingressum: sæpe caput scalpsi, vivos erosi ungues, atque multarum dierum meditationem dimidium paginæ ad summum excipiebat: scilicet hæc quæstio, siquid in Metaphysicis profeci, omnium difficillima mihi videtur. Altius rem ipsam repetamus. Liberum me quidem sentio, ita ut sicuti cognosco, me modo scribere, ita cognoscam, potuisse non scribere: at simul quamdam necessitatem, vim quamdam experior, qua in bonum invincibiliter rapior, & ita quidem, ut quidquid amplector, vel aversor, nonnisi prout bonum, vel prout malum amplecti possim, vel aversari, quod egregie Augustinus expresserat dicens: *omnes beati esse volumus: miseri esse nolumus, sed neque velle possumus*. Prius ergo objectum voluntatis videtur mihi statuendum. Bonitate idcirco tamquam felici voluntatis nostræ necessitate statuta, explicandum deinde est, quomodo cognoscens anima objectum aliquod esse bonum, vel esse malum, libera tamen sit in eo amplectendo, vel aversando. Video equidem, me nihil velle sine prævia quadam cognitione, quæ bonitatem, vel malitiam patefaciat objecti: at interim cerno, esse intellectum potentiam quamdam naturalem, quæ per consequens si voluntatem necessario determinet, quamnam ei libertatem relinquat, non video. Hic igitur solvendæ mihi videntur binæ illæ quæstiones Scholasticorum una, altera Recentum: illa, quæ de voluntate *a judicio practico intellectus* determinata: hæc, quæ *de ratione sufficienti* instituitur. Hisce autem solutis, difficilem ad libertatem gradus non se amplius prodit. Dum hæc prosequimur, iterum vos moneo, magis intimam animi contemplationem, quam librorum lectionem

esse

esse necessariam; aut enim qui scribunt, intimam conscientiam consuluerunt, & ut suadeamini, intimam vos quoque debetis adire conscientiam, ut pervideatis, num quæ legitis, vera, vel falsa sint; non enim novi Orbis, aut Lunæ incolarum, sed vestrum ipsorum historia contexitur: aut non consuluerunt, & falsa scripserint necesse est. Prævio igitur semper intimo sensu libertatem nostram inquiramus.

§. I.

De Objecto Voluntatis Humanæ.

1353. Quidquid anima rationalis velle potest, vel nolle, bonum, aut malum est. Boni igitur, & mali tradamus definitiones.

1354. *Def.* 1. *Bonum*, prout ad voluntatem rationalem pertinet, est illud, quod naturæ humanæ conveniens est, eamque perficit.

1355. *Coroll. Malum* propterea (est enim contraria ratione definiendum) est id omne, quod rationali naturæ disconvenit, eidemque nocet.

1356. *Def.* 2. *Bonum honestum* illud dicitur, quod rectæ rationis regulis est consentaneum: quodque in se, & propter se est expetendum: cujusmodi foret justitia.

1357. *Def.* 3. *Jucundum* appellatur illud, quod delectationem sive corporis, sive animi parit.

1358. *Def.* 4. *Utile* tandem id omne dicitur, quod non quidem propter se, sed propter aliud bonum consequendum voluntas appetit.

1359. *Schol.* 1. Neminem latere puto, unam, eamdemque rem honestam simul esse posse, jucundam, & utilem, quos omnes characteres in sapientia semper adinveniri, observat eleganter Tullius *lib.* 2. *de Offic. c.* 1.

1360. *Schol.* 2. Si bonum in se spectetur, ac prout in se est, valeret semper a nobis cognosci, nihil superioribus definitionibus foret addendum, sed quia in tenebris versamur, ideo duplex alia occurrit boni divisio,

in verum scilicet, & apparens.

1361. *Def.* 5. *Bonum* quodcumque *verum* dicitur, si tale sit in se, quale nobis videtur.

1362, *Def.* 6. *Apparens* vero, quod, licet naturæ nostræ videatur consentaneum, si tamen hinc inde librentur rationes, malum in se, non bonum dici debet. Modo cuicumque bonitatis definitioni suam opponat quisque mali notionem.

1363. PROPOSITIO

Voluntas humana ex vi propriæ naturæ, seu essentiæ ita in bonum fertur, ut circa istud libera tantum sit a coactione.

1364. PRob. Et sane nemo tendere valet ad sui destructionem: atqui si voluntas humana malum diligeret, qua malum, vellet sui destructionem; malum enim illud est, quod naturæ nocet rationali (n. 1355.) igitur &c. Deinde *mali nulla*, ut inquit S. Augustinus *l.* 11. *de Civit. Dei c.* 9. *natura est*, *sed amissio boni mali nomen accepit*: sed nemo tendere valet in nihilum, ut patet; ergo malum, qua malum, nequit humana voluntas concupiscere?

1365. At quid plura? quis unquam semetipsum attente considerans, non videat, semper in suis volitionibus se unum ex triplici recensito bono (n. 1356. 1357. 1358.) pro objecto suo constituere? *Beati omnes esse volumus*, inquiebat optime S. Augustinus & proprium, & alienum consulens intimum animi sensum, *quod ipsi quoque Philosophi hujus sæculi, & Accademici de rebus omnibus dubitantes, teste patrono suo Tullio, coacti sunt confiteri*, *idque unum esse dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est, qui non expetat*. Quapropter 1. & 2. nostræ demonstrationi concinnans Scotus *in* 4. *Sent. dist.* 49. *q.* 10. animadvertit, quod *natura non potest remanere natura*, *quin inclinetur ad suam perfectionem*, *quia si tollas illam inclinationem*, *tollis*

naturam : & ideo ibidem ſubdit : *dico , quod voluntas ſic determinatur ad volendam beatitudinem , & ad nolendam miſeriam , quod ſi eliciat aliquem actum circa iſta objecta , neceſſario , & determinate elicit actum volendi reſpectu beatitudinis , & nolendi reſpectu miſeriæ* . Eadem quoque tradit , & confirmat Angelicus Doctor 1. *p. q.* 82. *art.* 1. dicens . *Neceſſe eſt , quod ſicut intellectus ex neceſſitate inhæret primis principiis , ita voluntas ex neceſſitate inhæreat ultimo fini , qui eſt beatitudo . Finis enim ſe habet in operativis , ſicut principium in ſpeculativis . , . . . oportet enim , quod illud , quod naturaliter alcui convenit , & immobiliter , ſit fundamentum , & principium omnium aliorum , quia natura rei eſt primum in unoquoque , & omnis motus procedit ab aliquo immobili* . Ita citatus S. Doctor , qui Scholaſticorum omnium doctiſſimus libertatis naturam profunde nimis inveſtigavit , alteque demonſtravit .

1366. *Coroll.* 1. Voluntas Deum clare cognitum nequit non amare ; in ipſo enim eſt omnis bonitas , & nulla malitia : in bonum autem neceſſario fertur ; ergo &c.

1367. *Corolll.* 2. Quapropter Beati Deum ſicuti eſt aſpicientes neceſſario amant , neceſſitate orta ab ipſa natura voluntatis . Sunt ergo tantum liberi a coactione .

1368. *Coroll.* 3. Voluntas nihil appetit , niſi quatenus bonum ipſi apparet , nihilque averſatur , niſi quatenus malum ipſi videtur ; id enim appetit , in quod ex natura ſua fertur : id refugit , quod ejus natura averſatur : in bonum autem naturaliter duntaxat fertur : a malo ſolo ſic fugit . Igitur &c.

1369. *Coroll.* 4. Quapropter licet videatur aliquando anima ea appetere , quæ mala eſſe cognoſcit , ea tamen non appetit ob rationem illam malitiæ , ſed tantum ob quamdam vel intrinſecam , vel præfixam bonitatis ſpeciem .

1370. Ob. *Eccleſiaſtici* 14. habemus . *Ante hominem vita , & mors , bonum , & malum : quod placuerit , dabitur ei* ; ergo poteſt homo amare malum . S. Auguſtinus *l.* 2. *Confeſſ. c.* 8. narrans furtum a ſe factum inquit , *in*

quo ipsum furtum amavi; non solum ergo malum amavit, sed etiam malum prout malum. Hinc qui peccant ex malitia, ideo distinguuntur ab iis, qui ex ignorantia tantum legem infringunt, quod illi malum operantur cognitum ut malum. Deinde potest voluntas eligere minus bonum majori relicto: atqui minus bonum cum majori comparatum est malum; a majori enim deficit; ergo potest voluntas amare malum sub ratione mali. Tandem licet objectum intellectus sit veritas, tamen potest cognosci falsum; ergo a pari, licet objectum voluntatis sit bonum, tamen poterit diligi malum.

1371. Resp. Dummodo distinguatur semper bonum reale, seu verum a bono objectivo, seu apparenti, facilis est responsio. Ad 1. igitur loquitur Ecclesiasticus de bono, & malo reali, quorum utrumque potest homo pro suo lubitu eligere. At quia malum reale aliquando est bonum objectivum, ideo quando voluntas malum amplectitur reale, ipsum appetit sub aliqua specie bonitatis, seu prout apparet bonum.

1372. Ad 2. Fatetur quidem Augustinus, se pira aliquot furatum fuisse sine delectatione, & sine utilitate, ipsis inspectis piris, quæ erat furatus, sed narrat etiam ibidem, se id fecisse ad ostentandam inter socios audaciam suam, quam propterea ostentationem pro bono habuit delectabili.

1373. Ad 3. Qui peccat ex malitia, non ideo distinguitur ab eo, qui peccat ignorans, quod malum appetat sub ratione mali, sed quia cognoscens, actionem illam esse contra legem Dei, tamen illectus a bono sensitivo, illam perpetrat: qui autem ex ignorantia legem infringit, nescit, opus suum esse a Divina lege inhibitum.

1374. Ad 4. Dum voluntas minus bonum eligit relicto majori, non illud eligit prout est privatio majoris bonitatis, sed prout est bonum in se. Et etiamsi vellemus concedere, animam quandoque minus bonum appetere majori relicto, id tamen non accidit, nisi instituatur comparatio inter bona diversi generis: quæ, ut

suo

suo loco dicemus, diversimode voluntatem alliciunt: vel nisi velit anima uti propria libertate, quo in usu bonum agnoscit delectabile ceteris bonis præponderans.

1375. Ad 5. Ultimum tandem argumentum potius contra Adversarios, siquid probet, videtur probare; etenim cognoscit quidem intellectus falsum, at nunquam falso sub specie falsi assentitur. Verum si attente rem istam considerare velimus, dum intellectus falsum cognoscit, agnoscit veritatem; videt enim, illud verum non esse, quod est falsum, quæ cognitio est vera.

§. II.

De dependentia Voluntatis ab intellectu.

1376. Voluntatem nostram humanam in suis actibus ab intellectu pendere, is tantum denegabit, qui velit cum Cartesio a communi hominum sensu recedere, atque insulse defendere, quod *cupere, aversari, affirmare, negare, dubitare sint diversi modi volendi*; *nihil enim volitum*, fert optime vulgatum adagium, *quin præcognitum*. Hic tamen opus, hic labor est, ut recte determinetur, cujus generis hæc dependentia sit; ab hujus enim solutione problematis videtur mihi naturaliter profluere vera, vel falsa libertatis idea.

1377. *Def.* 1. *Judicium theoreticum intellectus* illud dicitur, quo nonnisi veritas objecti exprimitur, ut cum mens judicat, Deum esse sanctum.

1378. *Def.* 2. *Practicum* vero illud appellatur, per quod dictitat intellectus voluntati, aliquid faciendum esse, vel omittendum.

1379. *Def.* 3. *Ultimum* tandem *judicium practicum intellectus* illud nuncupatur, quo, omnibus libratis, atque consideratis, innuit intellectus hoc faciendum, vel omittendum esse: atque post hoc determinatio statim sequitur voluntatis.

1380. *Def.* 4. Ex Leybnitio, & Wolfio *Ratio sufficiens* volitionum, & nolitionum est illud, per quod cla-

clare intelligitur, cur voluntas ad hoc potius, quam ad aliud se determinaverit (n. 486.)

1381. *Def.* 5. Omnibus tandem Philosophis motiva volitionis, & nolitionis ea sunt, quæ solemus afferre sciscitanti, cur objectum aliquod elegerimus potius, quam fuerimus aversati.

1382. Ex Scholasticis arbitrantur nonnulli, ita voluntatem nostram ab ultimo pendere practico intellectus judicio, ut ab hoc necessario determinetur ad suos actus, ita ut judicium practicum, quod dicitur ultimum, non ideo sit ultimum, quia libere voluntas se ad actum determinat secundum judicii illius dictamen, sed quia necessario voluntas eadem ad assensum trahitur. In suam hanc opinionem nituntur plures vel invitum trahere Angelicum Doctorem. E contrario autem arbitrantur alii, voluntatem humanam a practico quidem pendere intellectus judicio, non ita tamen, ut ab illo necessario determinetur, sed ultimum illud fieri ob liberam voluntatis determinationem.

1383. Leybnitiani vero, quoniam tradunt, posita ratione sufficienti necessario etiam illud poni, cujus est ratio sufficiens, tuentur quoque, a ratione sufficienti necessario voluntatem determinari ad id volendum, vel nolendum, quod vult, vel non vult. Et licet Wolfius *Phsychol. Empyr.* §. 931. asserat, quod *motiva animam non cogunt ad appetendum, vel aversandum, hoc est non se habent per modum vis externæ, quo in animam agitur, & cui ab anima resisti non possit, sed tantummodo profligant casum purum; experientia enim hoc testatur*, inquit in demonstr. *quod, salvis motivis, iisque ad appetendum sufficientibus, appetitionem mutare possumus*: verbis tamen ludit; in ipsius enim sententia, non solum anima sine motivis quidquam non operatur, sed nec contra motiva: quod expostulat principium rationis sufficientis; si enim, etiam positis hisce motivis, effectus tamen posset non sequi, hæc ergo motiva non explicarent clare, & distincte, cur volitio sit potius elicita, quam non elicita; ac per consequens non constitue-

tuerent amplius rationem sufficientem volitionis, & nolitionis. Quapropter verba superius citata hoc in sensu videntur mihi intelligenda, quod scilicet, dummodo motivum non sit ultimum, quod cognoscitur, voluntatem necessario non determinat; inquit enim ibidem Wolfius ipse: *appetitionem mutare possumus, si alia ex ratione nobis potius videatur actionem aliquam jam omittere, quam committere*. Se habet igitur hoc in casu voluntas quemadmodum corpus, quod cum impetum recipit dexteram partem versus, ad hanc pergit: at accedente validiori ictu lævam versus, statim directionem mutat. Hæc autem Wolfii scopo optime cohærent; non enim sumit probandum, quod motiva ista necessario voluntatem non determinent, sed solum, quod *non cogant per modum vis externæ*.

1384. Nisi vocabulorum diversitas per se opinionis inducat discrimen, videtur mihi sententia Scholasticorum primo loco exposita (n. 1382.) ne latum quidem unguem differre a Leybnitianorum opinione; sive enim motiva *judicia* appellentur *practica intellectus*, sive *rationes sufficientes*, idem perinde est, dummodo in re conveniatur. *Judicium practicum est dictamen intellectus sumptum a rationibus intrinsecis, vel extrinsecis, quod voluntatem necessario determinat. Ratio sufficiens est motivum vel intrinsecus, vel extrinsecus ab objecto petitum, quod volitionem, & nolitionem necessario ab anima extorquet*. Explicatis ergo vocabulis, quænam valeat assignari hasce inter opiniones diversitas, non video: & tamen mirum quidem, sed verum! Scholastici a recentibus Wolfianis cachinnis excipiuntur: Wolfiani vero a Scholasticis fatalismi, & ferme hæreseos traducuntur. Sed agenda agamus.

PRO-

1385 PROPOSITIO I.

Voluntas humana nunquam ad aliquid volendum, vel nolendum flectitur sine motivis.

1386. PRob. Nihil magis experientia patet, si intimum sensum consulamus. Hinc etiam fæminæ a pueris exquirunt, cur illud fecerint, istud omiserint. Quapropter optime S. Thomas ab ipsa ratione repetit, cur homo sit liber, dicens 1. *par. q.* 83. *art.* 1. *necesse est, quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est*: nempe quia plura cognoscit sibi convenientia, vel disconvenientia, non est ad unum determinatus. Ergo &c.

1387. PROPOSITIO II.

Motiva, a quibus voluntas dirigitur, sunt tantum bona, vel mala objectiva.

1388. PRob. Etenim voluntas innato pondere in bonum fertur, & malum aversatur (n. 1363.); ergo siquid appetit, siquid refugit, appetit, & refugit propter bonitatem, vel malitiam, quam in illo detegit. Atqui illud, propter quod appetimus aliquid, vel aversamur, dicitur motivum (n. 1381.). Igitur &c.

1389. PROPOSITIO III.

Nullum est judicium practicum intellectus Thomistico in sensu, quod voluntatem necessario determinet.

1390. PRob. Supponimus in præsentiarum, nos liberos esse eo libertatis genere, quod *exercitii*, seu *contradictionis* dicitur (n. 1342.); quippe contra Adversarios agimus id concedentes: qua facta hypothesi ita ex Scoto argumentamur. Si voluntas in omni suo actu

actu determinaretur necessario ab ultimo judicio practico intellectus, actum foret de nostra libertate; hominis enim libertas, quæ dicitur *contradictionis*, in hoc consistit, quod omnibus ad agendum positis prærequisitis, possit tamen homo pro suo lubitu agere, vel non agere (n. 1342.). Atqui posito ultimo judicio practico intellectus, nequit voluntas sic non agere, quemadmodum judicium illud præcipit, esse agendum. Igitur &c.

1391. Mirum quidem, quantum hoc argumento torqueantur Adversarii; hinc varias excogitarunt responsiones, nullam tamen, quæ demonstrationem elideret potius, quam eluderet. Primam itaque habemus ab eodem Scoto, qui ita sibimetipsi respondet. *Si dicas*, inquit, *actum esse in potestate, voluntatis, quia potest intellectum determinare ad hujus, vel illius objecti considerationem*.

1392. Respondet: *accipio: sequitur primam volitionem: & de hac quæritur, num aliud judicium practicum supponat & sic in infinitum*.

1393. Respondent alii, a judicio practico sub duplici ratione objectum proponi, *delectabilis* nempe, & *illiciti*: cum autem in potestate sit voluntatis vel illicitum respuere, vel delectabile prosequi, patet &c.

1394. Contra. At in primis hic mihi videtur confundi *judicium theoreticum* cum *practico*; si enim intellectus proponit duntaxat rationes *delectabilis*, & *illiciti*, quas in objecto considerat, quin præcipiat, in illicito potius, quam delectabili, & e contra esse sistendum; ergo nonnisi veritatem exprimit objecti; judicium ergo est *theoreticum* (n. 1377.); ergo ut sit *practicum*, debet voluntati intellectus præcipere, quod non attendendo ex. gr. rationi *illiciti*, in delectabili se sistat (n. 1378,). Atqui tunc voluntas necessario ex Thomistis determinatur; ergo &c, Deinde vel illæ duæ rationes æqualiter voluntatem movent, vel inæqualiter: si primum, vel nulla erit actio voluntatis, vel ad contradictoria simul determinabitur: si secundum, ergo a fortiori movebitur, & determinabitur voluntas; ergo semper actus in ejus non erit potestate.

1395. Alio-

1395. Aliorum hæc est responsio, usum nempe libertatis non impediri, quia talis determinatio oritur a judicio practico, quod est *radicaliter liberum*.

1396. Contra. Explicentur, quæso, vocabula: quænam est hæc *radicalis libertas* judicii? Vel enim dicitur *radicaliter liberum*, quia est indifferens in proponendo objectum voluntati, & hoc est falsum; si enim voluntatem ad unum necessario determinat; non ergo indifferens est in proponendo. Vel *radicaliter liberum* appellatur, quia potest judicium illud elici, vel non elici: & hoc etiam a vero aberrat; judicium enim fit ab intellectu: at intellectus per Adversarios est potentia naturalis. Deinde vel contingentia hujus judicii determinatur a voluntate, ita ut hæc imperet intellectui productionem illius judicii, vel non? Si secundum, ergo nunquam erit in potestate voluntatis: si primum, iterum occurrit prima Scoti responsio (n. 1392.)

1397. Respondet Bellarminus, optime libertatem humanam salvam consistere, posito etiam ultimo practico intellectus judicio; *quia*, inquit, *cum voluntas modo in unam, modo in alteram partem inclinetur, in ejus potestate est, ut sinat se moveri, vel resistat: non quidem actu positivo, sed negativo, non sinendo videlicet se moveri*: concludit proinde: *libertatem voluntatis in eo proprie sitam videri, quod propositis variis rationibus non necessariis, sinat se moveri ab una, & non ab alia*.

1398. Sed contra. Exquireret hæc responsio perlongam nimis confutationem; quot enim sunt verba, tot mihi contradictiones videntur. Verum ceteris prætermissis, ut brevitati consulamus; ergo voluntas non determinatur necessario ab ultimo judicio practico rationis; in potestate enim voluntatis esse asseritur, sinere se moveri, vel non moveri; igitur judicium istud non est ultimum, quia voluntatem determinat, sed ultimum fit propter liberum voluntatis assensum: quod judicii practici in sensu Thomistico Osores non concedunt tantum, sed & contendunt. Deinde si est in potestate voluntatis sinere, se moveri; ergo non obstante ultimo judicio practico intellectus posset vo-

lun-

luntas actum suspendere: at si in ejus libertate est suspensio, eccur non erit electio? Velim enim animadvertatis, actum quemcumque voluntatis esse positivum, & respectu tantum objecti fieri negativum. Tandem quomodo absque actu positivo poterit voluntas resistere judicio practico, efficienti, & positivo, quod necessario voluntatem ad assensum trahit?

1399. Tandem alii inquiunt, voluntatem liberam esse *in sensu diviso*, licet libera non sit *in sensu composito* judicii practici ultimi: & sicut actiones humanæ liberæ censentur, licet in sensu composito præscientiæ Dei contingentes non sint, ita &c.

1400. Verum qui responsionem affert hujusmodi, neque sensum divisum, neque sensum compositum intelligit; quoties enim sensus divisus in ejus non est potestate, qui non est liber in sensu composito, quænam libertas superest? At judicium practicum ultimum nullo pacto imperio subjicitur voluntatis humanæ: elicitum vero necessario pertrahit ad assensum voluntatem ipsam; quænam ergo, si hæc vera sint, valet huic adjudicari libertas? Præscientia vero Dei, ut proprio in loco diximus (n. 1028.) non facit sibi objectum, sed factum contemplatur, videt nempe determinationem futuram, quam libere humana ponet voluntas.

1401. Prob. 2. Verum quod patet manifestissime ex allata ratione, quam nunquam poterunt Adversarii enervare, demonstratur etiam facillime ex auctoritate. *Lucæ* ex. gr. *c.* 12. legitur: *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit*. S. quoque Augustinus in illud *ps.* 123. *forte vivos deglutissent nos: sæpe*, inquit, *quid sit agendum videmus, nec tamen agimus, quia non delectat*. S. Bernardus *de grat.*, *& lib. arb. est ratio data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio se volveret ... ubi quippe necessitas, ibi non voluntas, seu libertas*. Quinimo Angelicus etiam Doctor pluribus in locis tradit manifestissime, nihil quidem fieri ab homine sine ratione: aliqua

ta-

tamen contra dictamen rationis: sic *in quaestionibus disputatis quaest. 22. art. 15. in corpore* scribit: *quantumcumque ratio unum alteri praefert, non est unum alteri praeacceptatum ad operandum, quoadusque voluntas inclinetur in unum magis, quam aliud; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem*: & 1. 2. q. 9. art. 1. ad 1. cum quaerat, an voluntas moveatur ab intellectu, & affirmativae sententiae, quam tuetur, opponat S. Augustini testimonium *in ps.* 118. dicentis, *pervolat intellectus: sequitur tardus, aut nullus affectus: scimus bonum, non delectat agere*: respondet: *quod ex illa auctoritate non habetur, quod intellectus non moveat, sed quod non moveat ex necessitate*. Et tandem *de malo q. 3. art. 3.* loquens de objecto voluntati ab intellectu proposito, inquit: *objectum autem propositum voluntati non ex necessitate movet voluntatem*. Quae omnia, nisi vehementer fallar, ostendunt, & invitum D. Thomam trahi in sententiam, quam impetimus, & verissimum semper esse illud Poetae: *video bona, proboque, deteriora sequor*.

1402. Neque est, quod quis hasce auctoritates exponat de judicio theoretico, non autem practico; etenim vel voluntas agere potest sine judicio practico, vel non? Primum dici nequit sine contradictione: si vero secundum; ergo auctoritates illae intelligendae quoque sunt de judicio practico; ibi enim homines redarguuntur, qui bonum noscentes non sequuntur. At si haec notio in judicio tantum theoretico consisteret, non foret homo redarguendus; voluntas enim nonnisi a judicio practico valet determinari. Deinde S. Bernardus scribit, quod rueret libertas, si ei necessitas a ratione inferretur: sed haec a solo judicio practico oriri potest; ergo &c.

1403. Ob. Si voluntas posset operari contra judicium practicum intellectus, posset homo peccare sine errore rationis: hoc vero est falsum; etenim *Prov.* 14. dicitur: *errant, qui operantur malum*: & S. Bernardus *lib. de gratia, & lib. arb.* ait: *habet voluntas, quocumque se volvat, semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod numquam sine ratione moveatur*; igitur &c.

1404. Resp.

1404. Resp. conc. maj. & neg. min. si enim omne peccatum supponeret errorem intellectus, jam nullum foret peccatum; peccatum enim consistit semper in violatione legis: at nihil volitum, quin præcognitum; ergo siquis non cognoscat, opus esse malum, illud perpetrans non peccat; neque enim hoc in casu ignoratio datur crassa, ut inquiunt, & supina, scilicet volitã, quæ opus contra legem reddit peccaminosum. Deinde ex ipsis etiam Divinis Litteris habemus hujus propositionis falsitatem; S. enim Jacobus *c.* 4. *scienti*, inquit, *bonum facere, & non facienti peccatum est*; quapropter peccatum ut plurimum fit sine judicio erroneo. Testimonium ergo Proverbiorum variis potest modis explicari: errant, qui peccant, *non errore intellectus*, ut inquit noster Lyranus, *sed errore morum, & voluntatis*, legem infringendo; sicut enim errat intellectus recedendo a vero, ita errat voluntas sequendo majorem voluptatem, & relinquendo bonum, quod ostendit intellectus, esse majus. Hoc quoque in sensu exponendus est Isaias *cap.* 8. ubi ait: *captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, idest opera bona. 2. Si de errore intellectus Salomon exponatur, intelligitur commode de errore comitante, & sequente peccatum; opus enim malum rationem perturbat, mentis aciem obtundit juxta illud *Sap.* 2. *excæcavit eos malitia ipsorum*. Ac tandem, si de errore intellectus antecedente peccatum velimus allata verba interpretari, non renuimus, de eo, quod ut plurimum accidit, loquendo, non tamen de quocumque errore, sed de defectu debitæ considerationis; malitia enim peccati tanta est, ut si eam homines considerarent, facilius a peccatis sibi temperarent secundum illud *Ecclesiastici* 2. *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*; igitur &c.

1405. Quid autem possint Adversarii ex S. Bernardo, dummodo ejusdem integrum referant testimonium eruere, non video: en ejus verba: *habet sane voluntas quocumque se volverit, semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam, non quod semper ex ratione* (intel-

lige recta) , *sed quod nunquam sine ratione moveatur* (quod & nos concedimus): *ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam , hoc est quasi per ejus ministerium contra ejus consilium , sive judicium* . Voluntas ergo ex S. Doctore rationem semper comitem quidem habet, sed pedissequam, non dominantem, imo contra judicium rationis aliquando operatur.

1405. Ob.2. Pro majori, aut minori intellectus consideratione varius est etiam libertatis actus, eaque augetur, vel minuitur; ergo ab indifferentia judicii est derivanda radix intrinseca nostræ libertatis; ergo posita judicii determinatione , determinabitur voluntas . Consequentia patet ; sicuti enim se habet magis ad magis , ita simpliciter ad simpliciter.

1407. Resp. cnm Mastrio : distin. anteced. *augetur, vel minuitur libertas moralis* , conc. *physica*, nego. Libertas, quæ in nobis est, si subordinata intelligatur cognitioni commodi naturalis, *physica* dicitur: prout vero subordinatur rationi circa morales actiones, libertas appellatur *moralis*. Modo, cum ad recte , aut non recte agendum in genere moris necessaria sit cognitio boni honesti , & mali oppositi, idcirco pro varia intellectus cognitione, varium quoque est libertatis exercitium: non quod hæc a rationis judicio determinetur , sed quia veluti prærequisitum exigitur : sicuti prout varie lignum igni approximatur , varia est ignis actio , quin appropinquatio aut sit radix intrinseca virtutis ignis , aut hunc determinet ad agendum . Libertas autem physica etiam in pueris habetur ante usum rationis : quapropter hæc non determinatur a ratione. Relatum vero axioma verum est, ubi agatur de causis præcise, & in se, non ubi sermo est de requisitis ad agendum,

1408. Potest etiam cum eodem distingui duplex genus libertatis, *essentialis* scilicet, & *accidentalis* . Prima est intrinseca orta ex indifferentia voluntatis, altera extrinseca ab indifferentia objecti, quod nempe voluntatem necessario ad assensum, vel dissensum non pertrahit. Ista quidem pro majori, vel minori intellectus consideratione au-

augetur, aut minuitur, non vera illa, quæ semper eadem est, quaque possumus uti non obstante quacumque intellectus determinatione, dummodo requisita omnia ad agendum præsto sint. Sicut igitur pro majori medii densitate tardius vel velocius corpus descendit, licet propria ruat gravitate, non vero medii: ita quoque potentia cum habitu intensiorem efficit actum, qui tamen a sola potentia oritur. Indifferentia ergo judicii adjuvare quidem nostram potest libertatem, non tamen ejus esse radix intrinseca.

1409. Ob. 3. Voluntas nequit unquam operari sine motivo (n. 1385.); ergo nequit agere contra judicium practicum intellectus; si enim contra istud posset voluntas operari, nullum esset motivum, cur ita operaretur. Quapropter si quilibet operans interrogetur, cur ita agat? reponit statim, quia id sibi bonum videtur; ergo &c.

1410. Resp. ad 1. conc. antec. & neg. conseq. Ut enim quis agat cum motivo, sufficit theoretica objecti cognitio. Potest etiam voluntas sese ad actum determinare contra judicium practicum intellectus, ut sua utatur libertate: quod motivum, cum semper animo præsto sit, semper rationem habet, cur se determinet contra practicum judicium.

1411. Sed dices cum Bellarmino. Judicium illud propriæ exercendæ libertatis est illud practicum ultimum, quod in casu allato voluntatem determinat; ergo semper verum est &c.

1412. Resp. neg. conseq. Licet enim judicium exercendæ propriæ libertatis sit in hoc casu ultimum, tamen non est ultimum, quia voluntatem necessario determinavit, sed quia illi libere voluntas adhæsit; sicut enim in aliis circumstantiis motivum illud non est anima amplexata, licet foret semper præsens, ita poterat &c.

1413. Ad 2. itaque. In primis posset quis cum Juvenali reponere *Satyra 6. sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*. Præterea non raro quidem scio, ita homines respondere, quemadmodum Adversarii contendunt, sed quid manifestius hoc fieri tantum, cum quis se ratio-

tionabiliter operari gloriatur? Quid vero familiarius, quam erubescere aliquando homines suarummet operationum, ideo quia sciunt, se contra dictamen rationis fuisse operatos? Tandem etiamsi homines semper, quod bonum videtur, sequerentur, id ostenderet, rationis dictamen esse conditionem necessario prærequisitam ad bene agendum: at quia etiam dum homines rationem ducem sequuntur, agnoscunt se benemeritos de lege, noscitur, a ratione non necessario nos determinari; ubi enim necessitas est, ibi nullum est meritum. Quapropter ne pluribus vos modo detineam, hoc semper præ oculis habete, aliud esse sine judicio practico voluntatem non operari, aliud vero, ab hoc necessario determinari: primum amplectimur, secundum respuimus. Hæc distinctio profunde pensitata medium nobis exhibet, quo quibuscumque satisfaciamus Adversariorum difficultatibus.

1414. PROPOSITIO IV.

Nulla est ratio sufficiens, quæ Voluntatem necessario ad unum determinet.

1415. PRob. Etenim posito quocumque motivo, aut voluntas se potest ad oppositum determinare, aut non potest? Si primum; ergo illud motivum non est amplius sufficiens volitionis ratio, non enim explicat intelligibili modo, cur voluntas se ita potius, quam aliter determinaverit. Si secundum; ergo voluntas non est amplius libera; se habet enim veluti causa naturalis, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, nequit non agere. Igitur &c. Deinde hæc opinio impetitur etiam ex n. 1390. quippe non differt ab ea Thomistarum (n. 1384.)

1416. Quod siquis libertatem a necessitate intrinseca non concederet, defenderetque simul recensitas superius opiniones (n. 1382. 1383.), jam is demonstratum sumeret, quod est in quæstione.

1417. *Schol.* 1. Non ulterius immoramur in hac proposi-

positione confutanda, nec Adversariorum argumenta referimus; advertimus enim in historia hujus principii, simillimum istud esse ultimo judicio practico intellectus voluntatem in Thomistarum sententia necessario determinanti; quapropter qui superiora intellexerit, poterit etiam nullo negocio contra Leybnitianos rem agere.

1418. *Schol.* 2. Duo inquirere consueverunt Scholastici non omnimode inutilia, quibus tamen satisfieri possit iis tantum intellectis, quæ superius sunt tradita. Quærebant igitur 1. a quonam Dei attributo sit derivanda libertas nostra, num scilicet ab omnipotentia, vel potius a libertate? Primæ opinioni Thomistæ: secundæ autem adhæserunt Scotistæ. Inquirebant 2. num nosmetipsos contemplantes, fontem libertatis adinveniamus potius in indifferentia illa rationis, qua in objectis considerandis nec est ad unum objectum cognoscendum determinata, nec ad unam bonitatis, vel malitiæ relationem in uno objecto intuendam, quo fit, ut semper voluntati contraria objecta proponat, aut sub contrariis rationibus unum idemque objectum, ita ut tunc reperiat voluntas quid refugere, vel quid possit amplecti: vel potius sit nostræ origo libertatis repetenda ab indifferentia voluntatis, qua pro sua libertate, quidquid ei lubeat, valet appetere. Primam quæstionem facile solvetis, dummodo Cosmologiam consulatis. Diximus ibidem, quod, semel posito Deum ad extra necessario operari, nulla foret libertas in creaturis; ergo a libertate Dei repetenda est radix extrinseca, ut inquiunt, libertatis nostræ. Quod pertinet ad secundam, puto equidem cum Angelico Doctore, necessariam esse indifferentiam judicii, ut voluntas sit libera; si enim intellectus foret ad unum determinatus, voluntas illud necessario sequi deberet, vel aversari, prout bonum, vel malum ab intellectu cognosceretur; etenim erga bonum, & malum nonnisi *libertate a coactione* gaudent voluntas (n. 1363.). At quia (n. 1390.) ostendimus, posse intellectum determinari per judicium practicum, nec tamen adhuc concipi voluntatem determinatam, ideo putamus cum Scoto, radicem, ut

ajunt, intrinsecam libertatis esse ab indifferentia voluntatis: quam propositionem aliis rationibus confirmant Scotistæ.

§. III.

De libertate, qua in hac vita humana gaudet voluntas.

1419. PROPOSITIO

Humana voluntas neque extrinseca, neque intrinseca necessitate est ad peculiaria objecta determinata.

1420. D. I. pars. Sine motivis nunquam flectitur voluntas ad aliquid volendum, vel nolendum (n. 1385.): motiva autem sunt perceptiones boni, vel mali (1387.); ergo ut voluntas necessario in objecta, feratur, vel ea necessario aversetur, debent hæc esse infinite bona, vel infinite mala objective; alias habebit in quolibet objecto, quod possit amore prosequi, quod valeat odio habere. Atqui nulla sunt bona, vel mala infinita, quæ in hac vita distincte a nobis cognoscantur, ut patet; ergo ab objectis necessario pertrahi nequit voluntas ad aliquid volendum, vel nolendum. Ergo quamlibet excludit necessitatem extrinsecam.

1421. D. 2. pars. Siquæ foret intrinseca voluntatis necessitas, hæc oriretur ab intellectu, & motivis; ab hisce enim duntaxat suam dependentiam voluntas experitur. Atqui neque a judiciis intellectus, neque a motivis necessario voluntas determinatur (n. 1390. 1414.); ergo &c.

1422. *Coroll.* Gaudet ergo vera libertate, tum, ut inquiunt, *a coactione*, cum etiam *contrarietatis*, *&* *contradictionis*: quod est corollarium præcedentium demonstrationum.

1423. Siquis superiores perlegat demonstrationes, facile conspiciet, eas vel nihil probare, vel soli intimo ani-

animi sensui semper inniti; in superioribus enim quæ fuerunt demonstrata, libertatem in homine supponebant: at libertas nonnisi ex intima nostra conscientia valet ostendi. Neque hoc infirmat ullimode causam, quam tuemur; si enim sermo institueretur de eo, quod extra nos est, argumenta quidem forent ab extrinseco desumenda: sed cum modo de eo agamus, quod in nobis est, hujus rei judices nos tantum esse possumus. Optime propterea de libertate nostra D. Du-Fenelon Cameracensis Archipræsul ratiocinans *in demonstratione existentiæ Dei par.* 1. *n.* 69. nonnisi ex intimo sensu, at simul validissime contra hostes libertatem propriam defendit, dicens: *Ego sum liber, nec de mea libertate possum addubitare. Intime, ineluctabiliter mihi suadeo, me posse velle, & nolle: quod non solum inter hoc ipsum velle, & nolle possum eligere, sed etiam inter ipsas volitiones pro objectorum, quæ mihi obvia fiunt, varietate. Sentio, ut, Scripturæ inquiunt, me esse in manu consilii mei.* Hæc qui pernegat, pernegет necesse est, se cogitare, se velle, se moveri, in deridiculum labatur oportet pyrrhonismum. Quod siquis adeo pervicax, adeo perfrictæ frontis Adversarius occurrat, qui sese liberum sentire inficietur, is fatuis viris est accensendus, neque cum ipso ullimode ducimus disputandum. Sed quoniam nec Increduli ipsi talia proferunt, sed potius libertatem nostram larvam habent nobis perpetuo illudentem, videamus cujusnam roboris eæ sint, quas afferunt, rationes, ut ostendant, videri quidem nobis esse liberi, tales tamen adesse causas nos intrinsecus determinantes, ut ab iis libertatis nostræ notio ipsa quoque dispellatur.

1424. Ob. Itaque 1. ex Collinsio in opusculo gallico, cui tit. *Quæstiones de libertate p.* 26. Si libertas ea foret proprietas animæ, quæ omnibus in propatulo est, & aperta, quæstio hæc omnibus facilior adinveniretur: atqui, nobis etiam fatentibus, hæc est omnium difficillima; igitur &c.

1425. Resp. Aliud est inquirere, quomodo simus liberi, & unde nostra oriatur libertas: aliud vero utrum

simus liberi. Insudant & quidem merito profundiores Metaphysici in adinvenienda intrinseca libertatis nostræ causa: insudant in ostendendo, quomodo dependentia voluntatis ab intellectu libertatem non tollat: at in demonstranda vera ejusdem existentia tam Philosophus, quam ignarus, tam perspicax, quam hebes statim in semetipso argumentorum evidentium fontem adinvenit. Dicat, amabo, Collinsius, nonne Philosophi omnes inquirunt, quomodo anima corpori conjuncta ideas producat, & in inquisitione torquentur, & dubii hærent, & forsan nodum non solvunt? Nunquid igitur pernegare ideo debemus nos percipere, & cogitare? Idem, quæso, dicat de libertate.

1426. Inst. 1. Atqui revera quæstio hæc de existentia humanæ libertatis est omnium difficillima, ut ferme solvi non possit; ergo &c. prob. ex Spinoza *Eth. p. 1. in append.* ubi inquit: *Homines se liberos esse opinantur, quandoquidem suarum volitionum, suique appetitus sunt conscii, & de causis, a quibus disponuntur ad appetendum, & volendum, quia earum sunt ignari, nec per somnium cogitant.* Quoadusque igitur non demonstretur, revera non existere causas istiusmodi, a quibus determinemur, demonstrata non erit libertas nostra; igitur &c.

1427. Resp. nos ignorare quidem causas, a quibus determinemur, sed hoc ideo, quia non adsunt. Et sane solus appetitus, cujus conscii sumus, nequit efficere, ut causas, siquæ sint, determinantes ignoremus. Scimus ex. gr. perfici in nobis circulationem sanguinis, & quoniam hæc naturalis nobis est, hanc natura appetit. At quis non novit, non esse eam in nostra potestate constitutam? Quia nempe, si eam velimus impedire, imperet quantumcumque voluntas, non tamen cessat. In cæteris vero operationibus, quæ liberæ dicuntur, non tantum cognoscimus, eas non perfici cogente aliqua causa, verum etiam nihil ad eas nos determinante. *Sentio*, inquit loc. citat. num. 87. D. Du-Fenelon, *sentio me esse liberum ad sedendum, dum ad ambulandum insurgo,*

go. Tam vivide, tam certe id ſentio, ut de hoc nequeam ſerio addubitare: memetipſumque inficiarer ſi oppoſitum auderem eſſercere. At liceat mihi cum Spinoza, & cum cæteris Fataliſtis ita argumentari. Si cauſas iſtiuſmodi ignoramus, ſi eæ ſunt inſenſibiles, & imperceptibiles, quomodo ergo novit Spinozam eas adeſſe? Portentoſam quidem argumentandi rationem! Quod homines quicumque clare, evidenter, vivide cognoſcunt eſſe, denegari debet, quia contendit Spinoza, eſſe aliquid, quod nec ipſe, nec hominum quiſquam agnovit adeſſe.

1428. Inſt. 2. Atqui adſunt revera cauſæ, a quibus neceſſario voluntas determinetur; ergo &c. prob. argumento illo celeberrimo Collinſii loco ſuperius citato, & propoſito deinde ab Helvetio *ſerm.* 1. *cap.* 4. Volitiones noſtræ pendent ab inclinationibus, & declinationibus: hæ autem ab impreſſionibus; ergo ſunt ut impreſſiones. Impreſſiones autem ab actione objectorum externorum, temperie corporis, & conſtitutione animi; ergo ſunt etiam, ut impreſſiones, atqui hæ neceſſariæ ſunt; ergo etiam voluntates, ſeu volitiones. Triumphat igitur Helvetius: *quoniam omnes cogitationes noſtræ, omnes voluntates aut naſcuntur, aut neceſſario inferuntur ab impreſſionibus, quas ab objectis nos circumdantibus excepimus*, ut inquit *loc. cit.*

1429. Reſp. *Scio equidem*, ut inquit Genuenſis *Met. p.* 2. *append. ad c.* 4. *plures fuiſſe Philoſophos, qui ad hunc ſcopulum illiſere, nec ulterius progredi potuerunt, dumque libertatem ſtudioſe quærerent, amiſiſſe repente, quaſi ex oculis ſubductam*. At ſcio etiam, hoc eſſe argumentum, quod ab iis tantum ſolvi nunquam poſſit, qui in voluntate bilancem vel æqualibus, vel inæqualibus utrinque preſſam momentis ſibi imaginantur, ita ut determinetur neceſſario ad eam partem, in quam ſua cognitione flectitur intellectus: habetis ſcilicet argumentum, quod, meo ſaltem judicio, nec fuit enodatum, nec enodabitur unquam ab iis, qui in judicio practico intellectus, vel in rationibus ſufficientibus cauſas

agno-

agnoſcunt voluntatem neceſſario determinantes. Perlegite, Thomiſtas omnes, ipſum perlegite doctiſſimum Valſecchi, dummodo ſemper præ oculis habeatis, nullum eſſet imperium voluntatis, quod a judicio practico rationis non ſit determinatum, videbitis, ex eorum reſponſionibus vivax iterum, validiſſimumque iterum ſemper hoc argumentum emergere. Quid vero dicam de Genuenſi, qui licet *præſidens*, ut inquit, *effectus a veritate*, *merum eſſe ſophiſma* ſuperius argumentum, plane confidat, ſe demonſtraturum, attamen §. 27. *ejuſdem append.* non dicam ſimile, ſed plane idem huic argumento proprium conformat ſyſtema? Fidem omnium ſuperaremus, niſi ejuſdem afferremus verba. *Voluntates*, ait, *pendent a libertate determinata a ratione ope impreſſionum, ſeu ope appetitus, ut inquiunt Scholaſtici. Scilicet voluntates ſunt ultimæ mentis determinationes erga bona objectiva, aut a malis objectivis: eæ vero determinationes pendent ab inclinationibus, aut declinationibus: iſtæ a ratione bonorum, vel malorum objectivorum flectente libertatem* (omnia ex demonſtratis); *ergo inde quoque voluntates*. Sic ille. At qui talem theoriam ſtatuit libertatis, ſperare ne poteſt, ſe argumentum recenſitum merum ſophiſma eſſe demonſtraturum? Alius eſto judicium. Nos interim facillime ab hoc argumento expedimur. Quid intelligunt Increduli nomine *inclinationum*, & *declinationum*? Appetitum ne ſenſitivum? an potius boni, & mali perceptiones? Quodcumque intelligant, iterum quærimus: quid intelligunt nomine dependentiæ? ſi determinationem, ſumunt, quod eſt in quæſtione: ſi vero animæ propenſionem ad adhærendum motivis, quæ ſunt vel ab appetitu ſenſitivo, vel a bono, & malo objectivo, concedimus, ab iis volutatem pendere: at quoniam ab iis neceſſario non determinatur, falſum ſemper eſt, volitiones noſtras eſſe ut inclinationes; ac per conſequens ut impreſſiones. Videte, quæſo, qua facilitate queat hoc difficillimum argumentum enodari, dummodo intimo ſenſui ſemper quidem attendentes a Scholæ tamen præjudiciis recedamus.

1430. Inſt.

1430. Inst. 3. Atqui si nomine inclinationis, & declinationis perceptiones intelligantur boni, & mali, sunt voluntates, ut inclinationes, & declinationes; ergo &c. prob. Voluntas necessario tendit in bonum, refugit a malo; ergo si intellectus cognoscat, aliquid esse bonum, aliquid esse malum, nequit voluntas illud non amare, istud non odio habere; ergo si nomine inclinationis &c. Ita argumentatur Helvetius *de Spiritu serm.* 1. *c.* 4.

1431. Resp. neg. subs. ad prob. dist. maj. *Voluntas necessario tendit in bonum absolutum, & infinitum*, conc. *secundum quid, & finitum*, neg. concedo min. in sensu datæ dist. & neg. conseq. Distinguendum est bonum infinitum, & absolutum, seu quod quolibet ex respectu apparet bonum, & sub nulla ratione percipi potest malum, a bono finito, & secundum quid, quod scilicet sub aliqua relatione malum potest apparere. Erga primum necessario fertur voluntas, quippe in illo totum expletur ejus desiderium voluptatis. At cum in præsenti vita nullum sit bonum objectivum absolute, & omni ex parte infinitum, ideo nullum est objectum, in quod necessario eadem feratur: illecta tamen ab amore bonitatis in genere, veluti a proprio fine, quærit anima media peculiaria, a quibus ad proprium finem ducatur: verum cum hæc sint numero pene infinita: nullum tamen omni ex parte appareat ei infinite bonum, ideo potest ad plura se convertere, & quodlibet ex iis pro lubitu eligere; in quolibet enim suas relationes reperit boni, & mali, ut proinde unum, idemque objectum possit amore prosequi, vel aversari. Audiatur hac de re præclare disserens S. Thomas *Q. 6. de malo art. unico ad 9. Dicendum, quod quando ad finem non posset perveniri, nisi una via, tunc eadem ratio esset volendi finem, & ea, quæ sunt ad finem. Sed ita non est in proposito, nam multis viis ad beatitudinem perveniri potest . . . . Et ideo licet homo ex necessitate velit beatitudinem, nihil tamen eorum, quæ ad beatitudinem ducunt, ex necessitate vult.*

1432. Inst. 4. Atqui sicuti homo necessario vult beati-

tu-

tudinem, ita ex eadem necessitate velle debet ea, quæ sunt media ad beatitudinem secundum perceptiones boni, & mali; ergo &c. prob. ex Collinsio *loco cit. pag.* 343. Si ab intellectu duo proponantur voluntati objecta, quæ ambo quidem bona sint, sed unum altero melius, necessario debet voluntas amplecti id, quod melius est; ergo sicuti homo necessario vult &c.

1433. Resp. neg. min. sub. ad prob. dist. antec. *Si bona sint ejusdem generis*, conc. *secus*, nego antec. & conseq. Vidimus jam n. 1356. *& seqq.* triplicis generis esse bona objectiva, quæ scilicet ab anima nostra hac in vita intelliguntur. Siquis semetipsum serio tantisper perpendat, conspiciet statim, se a quolibet ex hisce bonis non æque trahi; cum enim ut plurimum objecta diligamus propter eam, quam secum afferunt voluptatem, aversemur vero propter illum, quem adnexum habent dolorem, hinc sequitur, ea nos libentius amplecti bona, quæ jucunda sunt, quam quæ honesta; jucundis enim bonis sumus undique circumdati: ea non tantum animum, sed & corpus, quod diligit anima, afficiunt; cum ergo crescat inclinatio erga aliquod objectum in ratione, ut ita dicam, composita experientiæ, & sensibilitatis, non mirum, si jucunda magis, quam honesta bona (naturaliter loquendo) appetamus; minorem enim ex honesto, quam ex jucundo imaginamur nobis percipiendam voluptatem. Quoties igitur inter bona comparatio aliqua sit instituenda, ut hæc recte se habeat, bona debent sumi ejusdem generis. His ergo positis dicimus. Si intellectus voluntati proponat bina objecta diversi generis, quorum scilicet unum sit ex. gr. bonum honestum, alterum vero jucundum, licet illud sit majus isto, negamus tamen in illud necessario voluntatem ferri, quippe quod repugnat intimo sensui, quotidianæ experientiæ, ac est a nobis contra Thomistas falsum demonstratum. Si autem bona sint ambo ex. gr. jucunda, videndum, num ad idem genus voluptatis pertineant. Si ad diversum, nulla inter ea potest institui comparatio: si ad idem, quoties cætera sint paria, & se voluntas ad unum ex hi-

sce

ſce bonis capeſſendum determinaverit, non inficiamur, ſemper majus eligere: at quid inde? Hoc tantum valet inferri: voluntas ſcilicet in bonum neceſſario tendit. At cum innumera poſſint eſſe hæc bona: ſemper etiam præſto poſſit eſſe motivum propriæ exercendæ libertatis, cum valeat & ſe ad oppoſitum determinare bonum honeſtum amplexando, & actum ſuſpendere, ut propria utatur libertate: poteſt ne alicui libera non videri? Poterit ne Helvetius iterum concludere *loco jam cit. quod liber non eſt niſi ſynonimum illuminati*, quoties etiam contra lumen intellectus valet anima operari? Quod ſi nequeat operari ſine ratione, ſeu ſine motivis, id tantum oſtendit, nos non eos eſſe homines, quibus ſi brachio ſonipedem natura adjunxiſſet, ab equo non differremus, ut immerito ipſe contendit: ſed *ideo eſſe liberos*, ut ait S. Thomas, *quia ſumus rationales*.

2434. Ob. 2. ex Hobbeſio apud Harris *loco alibi cit. p. 3.„ Cum nihil a ſemtipſo poſſit incipere, initium oportet ſumat ab actione immediata alicujus agentis, quod extra ipſum ſit. Siquid ergo homo vult, quod nolebat antea, non a ſua voluntate rationem ſumit, ſed ab aliquo, quod in ejus ſitum non eſt poteſtate*; igitur &c.

1435. Reſp. Ut intelligatis, quam immerio Illuminati noſtri œvi Veteribus ſuccenſeant, quorum in rebus Philoſophicis ne nomen quidem audire dignantur, videte, quæſo, utrum in barbarie XIII. ſæculi fuerit hoc argumentum jam in Scholis putreſcens: en quomodo ipſum ſibi proponit S. Thomas *q. 6. de malo, art. unico in corpore, argumento 2. Secundum Auguſtinum in 1. de Trinit. nihil eſt ſibimetipſi cauſa, ut ſit; ergo pari ratione nihil eſt ſibi ipſi cauſa, ut moveatur. Voluntas ergo non movet ſeipſam, ſed neceſſe eſt, quod ab aliquo moveatur, quia incipit agere poſt, cum prius non ageret, & omne tale aliquo modo movetur.... Sed quod ab alio movetur, neceſſitatem ab alio patitur; ergo voluntas neceſſario vult, & non libere*. En idem argumentum, plaudentibus Incredulis, iterum ab Hobbeſio in ſcenas invectum poſt Scholarum barbariem.. Reſponſionem

modo

modo ab eodem S. Doctore audiamus. Et in primis; vel nomine hujus agentis extrinseci, a quo moveatur voluntas, intelligit Hobbesius Deum ipsum, primam omnium motuum causam: vel agentia naturalia, seu objecta? Si primum, reponit S. Thomas *loco cit. Relinquitur, quod id, quod primo movet voluntatem, & intellectum, sit quid aliquid supra voluntatem, & intellectum, scilicet Deus, qui cum omnia moveat secundum rationem mobilium.... etiam voluntatem movet secundum eius conditionem, non ut ex necessitate, sed ut indeterminate se habentem ad multa*. Scilicet impressit Deus voluntati motum necessarium erga bonum: ab hoc cæteri oriuntur motus, qui tamen non sunt necessarii, cum possint tendere erga infinita pene objecta, quæ ad Beatitudinem sunt media. Hoc vero ex dictis facillime intelligitur. Si vero nomine agentis extrinseci intelligat Hobbesius ipsa objecta extima, en iterum Angelicus dicens 1. *p. q.* 82. *art.* 2. *Sunt quædam particularia bona, quæ non habent necessariam connexionem ad Beatitudinem, quia sine his potest aliquis esse beatus: & hujusmodi bonis voluntas non de necessitate inhæret. Sunt autem quædam habentia necessariam connexionem ad Beatitudinem, quibus scilicet homo Deo inhæret, in quo solo vera Beatitudo consistit. Sed tamen antequam per certitudinem Divinæ visionis necessitas hujusmodi connexionis demonstretur, voluntas non ex necessitate Deo inhæret, nec his, quæ Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhæret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. Patet ergo, quod voluntas non ex necessitate vult quæcumque vult*. Ita citatus S. Doctor. Verum si hoc in sensu sumatur istud argumentum, non differet ab illo celeberrimo Collinsii (n. 1428.)

1436. Ob. 3. ex eodem Hobbesio *apud Harris cit.* & ex Collinsio *in inquisitionibus super libertatem. Qualibet sufficiens causa*, inquit Hobbesius, *debet esse necessaria, siquidem nisi necessario effectum suum producat, quid ergo ipsi deest, quod ad productionem requiritur; ac per*

con-

consequens non est hoc in casu causa sufficiens. Ergo totum, id, quod producitur, necessario producitur, quoniam non posset produci sine sufficienti causa; & hinc oritur, quod omnes voluntariæ actiones sunt necessariæ.

1437. Resp. Audiamus hoc ipsum argumentum majori in luce positum a S. Thoma *q. 6. de malo art. unico. arg.* 10. *Si voluntas aliquid determinate vult, oportebit, quod sit aliqua causa, quæ faciat ipsam velle: causa autem posita, necesse est, effectum poni, ut Avicenna probat, quia si causa posita, adhuc est possibile, effectum non poni, indigebit adhuc alio reducente de potentia in actum, & sic prima non erit sufficiens causa; ergo voluntas ex necessitate movetur ad aliquid volendum.* Audiamus modo, quid S. Doctor reponat. *Dicendum*, inquit, *quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiamsi sit causa sufficiens, eo quod causa potest impediri, ne quandoque effectum suum consequatur, sicut causæ naturales, quæ non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum: scilicet, quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum.* Hucusque ille. Et nos quoque facillime hoc argumentum solvimus. Quid intelligit nomine causæ sufficientis volitionum nostrarum? motiva ne, à quibus anima pendet: an potius animam ipsam? Si primum, sumit quod est in quæstione; tuemur enim, motiva non esse causas volendi, sed tantum conditiones prærequisitas ad volendum. Si vero sumat ipsam animam, duplex distingui debet status, ille nempe, in quo aliquid vult, & ille, in quo se determinavit ad volendum: in primo quidquid vult anima, necessario vult; omne enim, quod est, quando est, necesse est esse, nec fieri potest, ut velit simul, & nolit: in secundo autem, quia potest ad utrum-

que

que se determinare, libera omnino est.

Appendix

De inclinationibus, affectibus, & habitibus animæ.

1438. Inclinatio, vel propensio animæ est illius promptitudo ad aliquod objectum amandum: contra aversatio est promptitudo animæ ad fugiendum, vel odio habendum objectum quodpiam; etenim cognitionem, quam habet anima sui ipsius, sequitur desiderium felicitatis, quæ sita est in perfectione. Cum vero perfectionem per se non habere, homo conscientia noscat, eamdem quærit ab eo, quod putat summum bonum, cujus possessionem conatur sibi comparare per bona minora possessa; hæc enim experimento novit, aliquam perfectionem sibi adjungere; quare eadem appellat bona, & sensus voluptatis, quo anima perfunditur ob alicujus minoris boni consecutionem, promptam efficit animam ad illud amandum. Quod si alicujus objecti extantia, vel actio felicitatem imminuit, aut adfert infelicitatem, ab illo refugit anima, hoc est illud odio habet, quæ aversatio oritur a sensu doloris, sive tristitiæ, quo anima afficitur.

1439. Inclinatio in summum bonum, & aversatio a summo malo, quæ consequuntur desiderium felicitatis, originem habent cum ipsa anima, neque sunt unquam cessaturæ; idcirco naturales sunt, nec subjiciuntur animæ imperio. At inclinationes in bona peculiaria, & aversationes a minoribus malis sunt modificationes illarum promptitudinum naturalium; etenim sicut anima vel ratione, vel experimento, vel fide novit, se ab hoc objecto voluptate perfundendam, aut tristitia cruciandam esse: ita judicium fert de relatione ejusdem objecti ad felicitatem, quam sibi præstituit; unde oritur promptitudo ad amorem, vel odium.

1440. Ex his nonnulla sequuntur. 1. inclinationes naturales perennes sunt, sed illarum modificationes, hoc est

est inclinationes particulares cessare possunt; multa enim per errorem bona, vel mala creduntur, contra ac revera se habent: 2. inclinationes particulares possunt augeri, & minui, prout voluptates, & dolores animæ fuerint vividiores, diuturniores, vel breviores: 3. inclinationes particulares non afferunt animæ ullam necessitatem, quippe sunt erga bona, vel mala particularia, quæ per articulum præcedentem anima libere amat, libere odit: 4. afferunt tamen difficultatem aliquam faciendo oppositum ejus, ad quod inclinant: 5. dum anima id eligit, ad quod non propendit, vel minus inclinatur, non idcirco cessat inclinatio præcedens; libertas enim electionis non pendet ab inclinatione, sed a vi activa indifferenti ipsius animæ: & ideo potest esse actio libera, in quam non influat inclinatio præcedens, quæ idcirco non minuitur: ita viator, qui libere dat pecuniam latroni, ne vitam det, non amittit inclinationem erga pecuniam: 6. itaque cessatio inclinationis particularis refundenda est in judicium de objecto plane diversum ab eo, quod anima prius ferebat de objecto eodem. Hæc diversitas judicii oritur a diversitate sensuum ipsius animæ; si enim ab objecto non amplius afficiatur anima voluptate, non amplius crucietur dolore, anima aliter, quam prius comparabit objectum cum felicitate, & idcirco diversis patebit inclinationibus: 7. hoc tamen non obstat, quominus desuetudine, oblivione fieri possit, ut anima non amplius recordetur aut voluptatis, aut tristitiæ, quam olim ab hoc objecto perpessa est: quare hoc etiam modo cessare possunt particulares inclinationes.

1441. Ob falsa judicia, ob diuturniorem consuetudinem, ob præcedentes inclinationes anima interdum felicitatem sibi fingit, quæ vere felicitas non est: quapropter de præsentibus objectis non raro judicat aliter, quam ea petunt; quare voluptates, vel tristitias interdum sentit omnino falsas. Inclinationes, quæ sequuntur hujusmodi falsos animæ sensus, dicuntur *non rectæ*, seu *vitia*, quippe animam promptam faciunt ad amandum, vel fu-

giendum, quod non est amore, aut odio dignum: quæ vero inclinationes oriuntur ex sensibus comitantibus recta judicia, eædem *virtutes* sunt.

1442. Actus ipsius animæ, quatenus ea assentitur inclinationi, aut aversationi cuipiam, a nobis appellatur *affectus*; qui propterea in homine esse nequit absque motionibus quibusdam sanguinis, spirituum animalium, partium corporis, quibus motionibus vel ab anima imperatis, vel ultro ab animalibus spiritibus excitatis conatur homo satisfacere inclinationibus, quibus assentitur: idcirco affectus semper sunt cum voluptate, vel tristitia, & facile possunt in habitum excrescere.

1443. *Habitus* est facilitas, & promptitudo agendi diuturniori exercitatione comparata, quare ut homo facilitatem adipiscatur, necesse est, in animam hæc inducatur, & in corpus. Ea, quæ pertinet ad corpus, oritur a vario gradu mollitiei, vel rigiditatis, quo nerveæ fibræ, & musculi afficiuntur: prætere a majori, vel minori copia spirituum animalium, qui in nervos, & musculos procurrunt. Facilitas vero, quæ pertinet ad animam, unice videtur repetenda a memoria; siquidem memoria fit, ut subeant mentem objectorum proprietates, illorum ad objecta alia relationes, mutuæ videlicet eorumdem convenientiæ, vel repugnantiæ. Anima hac memoria instructa solet capax appellari, quæ facillime objecta inter se comparare potest, ad judicia descendere, ratiocinationes nectere, successive quidem, tanta autem celeritate, ut videatur sibi unico temporis puncto sexcentas res intelligere. Hæc facilitas est habitus intelligendi. Memoriæ itidem deferenda est facilitas, seu habitus agendi; etenim ob recordationem voluptatis, vel tristitiæ, quam sæpius anima ab eodem objecto est experta, promptius judicat, objectum bonum, vel malum esse; quare inclinationes ipsæ, quas diximus promptitudines quasdam esse (n. 1439.), magis magisque promptæ fiunt ad amandum, vel aversandum, uno verbo ad eligendum. Ceterum habitus ipsi nullam afferunt necessitatem eligendi, augent tantummodo inclinationes.

1444. Hoc

1444. Hoc pacto possunt in habitum excrescere affectus ipsi, qui possunt esse vel noxii, vel innocui, vel recti, vel vitiosi, prout anima assentitur inclinationi aut rectæ, aut vitiosæ. Hæc est origo affectuum animæ: idcirco eadem est origo & vitiorum, & virtutum, & illorum quoque affectuum, qui habentur tamquam medii, propterea quod videntur ipsi per se neque boni, neque mali esse. Harum rerum disputationem instituit Ethica facultas: ad nos attinet paulo diligentius perpendere habitum animæ in intelligendo.

1445. Præcipuus mentis habitus in cognoscendo dicitur *scientia*. Ea est collectio plurium cognitionum, quæ certæ, atque perspicuæ sunt, eoque ordine dispositæ, ut evidenter proponant principia, proprietates, vires, effecta, atque species objecti cujuspiam. Hujusmodi cognitionum series, si eo tendat, ut aliquid perficiat, dicitur *ars*, sive *scientia operatrix*. Si sui objecti contemplatione contenta nihil docet efficere, appellatur *scientia theoretica*. Vulgo tribuimus nomen scientiæ, seu facultatis etiam illi cognitionum seriei, quæ præter nonnullas certas, & perspicuas notitias complectitur etiam aut opiniones tantum probabiles, aut cognitiones humana fide comparatas. Equidem humanæ mentis imbecillitas certitudinem, atque evidentiam vix obtinere potest in longioribus demonstrationibus, quæ non versantur circa abstractas notiones: hinc fit, ut scientiæ abstractæ, quæ contemplantur objecta non prorsus realia, possint esse perfectissimæ: at scientiæ reales aliquid obscuritatis, & incertitudinis semper admixtum habeant.

1446. Scientia nulla sive theoretica, sive practica fuerit, evadet unquam in habitum perfectum, nisi mens plures comparaverit sibi facilitates. Multitudo rerum in scientia cognoscendarum exigit facilitatem inveniendi: scientiæ certitudo exigit facilitatem demonstrandi: scientiæ perspicuitas, quæ plurimum pendet ab ordinata facultatis constructione, exigit facilitatem methodi, sive ordinandi: postremo si fuerit scientia practica, hoc est

ars, adsit etiam necesse erit facilitas operandi, quæ prorsus alia est a facilitate contemplandi.

1447. Facilitates, quæ pertinent ad animam, quatenus veritatem contemplatur, diuturno rationis exercitio acquiruntur. *Ratio* prout inest rebus, est connexio veritatum universalium cum veritatibus minus universalibus, & etiam singularibus. Verum ipsa quoque mens appellatur *ratio*, quatenus potest eam connexionem sibi repræsentare: quinimo interdum ratio dicitur ipsa etiam cognitio, quæ est (ut ita dicam) perspicientia illius nexus, quo simul veritates cohærent: hinc *rectum*, sive rationi consentaneum dicitur id, quod connectitur cum universalibus veritatibus, quas scientiæ suppeditant: rationi vero adversum dicitur id, quod nullo pacto conjungi potest cum iis veritatibus.

1448. Nemo negaverit, majorem rationis vim ei esse concedendam, qui plurium universalium veritatum connexionem perspexerit, sicut minori rationis vi ille præditus dicitur, cui non licet longiorem meditationem protrhaere, propterea quod non perspicit nexum duarum, vel trium propositionum universalium cum pluribus aliis veritatibus, quæ ab illis pendent. At simul fatendum est, diuturniori exercitatione, memoria potissimum opem ferente, posse quempiam evadere idoneum longioribus meditationibus protrahendis, novis meditationibus excogitandis, & concinne ordinandis, quarum rerum facultatem qui sibi comparaverit, vix fieri potest, ut ei non accedat facilitas inveniendi proprietates, vires, & alia omnia, quæ in suo objecto scientia investigat, & demonstrat.

1449. Practicæ facultati, sive arti necesse est accedat habitus operandi: hic solo usu acquiritur, ita ut interdum ille sit perfectior in rudioribus, quam in doctioribus viris; hi enim potiorem temporis partem dant meditationibus: contra rudes id agunt, quod alios agere vident, ita ut imitatione tantummodo addiscant, quæ necessaria sunt arti exercendæ, meditatione parum, aut

nihil

nihil valeant : longissima tamen operandi consuetudo in causa est, cur minutiores etiam circumstantias norint aut cavendas, aut prosequendas in opere perficiendo.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Memoria.

1450. F*Acultatem ideas reproductas, consequenter & res per eas repræsentatas (recognoscendi, memoriam dicimus. Quoniam itaque ideas reproductas recognoscere valemus, memoriam habemus.* Ita Wolfius *Psych. Empir* §. 175.

1451. Perceptionum præteritarum reproductio, & recognitio *reminiscentia* vocatur : quapropter *memoria* est potentia, *reminiscentia* autem, seu recordatio est actus.

1452. *Coroll.* Ut ergo actus animæ dicatur reminiscentia, requiritur 1. ut idea producatur : 2. ut ea sit jam olim ab anima iterum producta : 3. ut cognoscat anima, se ideam producere, quam olim jam produxerat. Nisi primum habeatur, non habebitur actus animæ : si vero illud solum contingat, reminiscentia non differt a perceptione ; requiritur ergo quoque 2. sed non sufficit, alias memoria confunditur cum imaginatione ; quapropter si etiam 3. accedat, vera habetur reminiscentia.

1453. Memoriam in præsenti statu a corpore pendere, nemini dubium esse potest, idque ex infra dicendis fiet manifestum : non iis tamen assentior, qui videntur memoriam constituere solum in certa cerebri dispositione, ita ut anima se habeat in reminiscendo, quemadmodum in percipiendo. In primis enim, nisi anima cognoscat, illum eumdem motum, quem sentit, dum reminiscitur, jam olim fuisse in corpore productum, ex dictis reminiscentia non habetur : hæc autem cognitio non est corporis, sed animæ, nec corpus quid exhibet, per quod id cognoscatur. Persuadere insuper mihi non pos-

sum, quod animæ a corpore sejunctæ facultas supersit cogitandi, non autem reminiscendi, quod contingeret, si in quadam cerebri dispositione memoria essentialiter constitueretur; licet enim anima a corpore hoc in statu ita dependeat, ut sine ejus servitio nequeat cogitare, tamen id non obest, quominus in alia vita sine corpore cogitet (n. 1134.); a pari igitur licet nequeat anima in præsentiarum sine corpore reminisci, sejuncta tamen a corpore poterit præteritorum recordari. Præterea spiritum per se rationalem esse, omnes concedunt; ergo debet etiam reminisci; usus enim rationis nequit haberi, nisi uno dato judicio alterum nobis præteritum memoria suppeditet; si ergo memoria careant Spiritus, rationales non erunt.

1454. Intellectiva igitur memoria, quæ in perceptione præsentis cum apperceptione præteriti constituitur, videtur mihi agnoscenda.

1455. Verum, cum in præsenti vita procul dubio anima a corpore pendeat in reminiscendo, quæritur, quid sit hæc memoria sensitiva, seu in quo consistat? Videtis, quæstionem istam ad Physicam potius, quam ad Metaphysicam pertinere; agitur enim de corpore, non de anima; quapropter sicuti de sensationibus in Physica quæstio instituitur, ita etiam ibi foret hæc alia agitanda. At cum modo agamus de triplici potentia animæ, quarum unam memoriam omnes appellant, ideo ceteris morem gerentes hoc in loco de memoria juvat agere. Arbitratur vulgus, non esse memoriam nisi promptuarium quoddam phantasmatum, in quo omnes sint depictæ imagines rerum, quas olim mente percepimus; ita ut rerum usu exigente iterum ab illo promptuario educantur, aut a mente perlegantur. Ita etiam rem istam explicare visus est Cartesius *de passion. Animæ par.* 1. *art.* 42. verum cum dicat ibidem, *quod illa vestigia nihil aliud sunt, quam quod pori cerebri, per quos spiritus antea ceperunt suum cursum, & acquisiverunt eo pacto facilitatem majorem, quam alii sese rursus aperiendi eodem modo spiritibus, qui ad se veniunt*, a ceteris Philo-

losophis non admodum dissentitur. Quidquid tamen de hoc sit, sententiam vulgarem erroneam esse, ostendit Wolfius *Psych. Empir.* §. 177. ut enim advertit Genuensis *Met. p. 2. Sch. ad prop. 51. nec ullo modo intelligi potest, vestigia in cerebro ab objectis externis producta haberi posse pro eorum objectorum imaginibus: nec si id tantisper detur, sibi quisquam persuadebit, tot rerum myriades posse distincta in cerebro, parva illa, & molli materia habere vestigia.* Quapropter

1456. PROPOSITIO

Memoria sensitiva necessario dependet a quadam fibrarum cerebri flexibilitate ex prima rei notitia ab illis contracta, ratione cujus ad nutum solius animæ moveri deinde possint eodem modo, eodemque ordine, quo movebantur, cum rem præteritam primo animæ retulerunt.

1457. PRob. Mens humana nequit quid percipere sine peculiari quodam motu, quem objecta extima cerebro impresserint (n. 1331.): atqui reminiscentia est perceptio rei jam olim perceptæ; ergo requiritur, quod motus jam olim in cerebro productus, iterum producatur, quemadmodum dum ab objecto sensus immutabantur: cum igitur memoria sit facultas ideas reproducendi, & agnoscendi (n. 1450.), memoria sensitiva necessario dependet &c.

Hinc autem facillime, quæ ad memoriam pertinent, explicantur.

1458. Occurrunt in primis duo memoriarum genera cum suis oppositis, *memoria* scilicet *bona*, & *magna*, quibus *mala*, & *parva* opponuntur. *Memoria bona* illa dicitur, quæ quidquid cito, seu facile excipit, id diu retinet. Patet, quænam sit mala. Dicitur autem cito aliquid memoriæ mandari, cum minus diuturna objecti contemplatione, seu paucioribus iteratis actibus id faci-

mu . . Diu autem retinemus, cum ideam rei reproducere, & reproductam recognoscere possumus, etiamsi longo tempore eamdem non reproduxerimus. *Memoria* autem *magna* illa nuncupatur, quæ multarum rerum ideas reproducere, & recognoscere, longam quoque rerum seriem retinere valet. Qui utrumque habet gradum bonitatis in sua memoria, hic itidem eam habet *magnam*, ut patet. Cognoscitur vero ex nostra propositione, unde sint derivanda memoriarum diversa genera; *si enim*, optime inquit Wolfius *Psych. rat.* §. *306. alicujus fibrillæ nerveæ, ex quibus cerebrum constat, ita fuerint dispositæ, ut mutatio ista, in qua facilitas reproducendi ideas materiales, quæ semel eidem inextiterunt, paucis actibus induci, nec semel inducta, actibus licet eamdem inducentibus minime repetitis, longo temporis spatio cesset, is bonam memoriam habet.* Potest etiam exinde explicari, cur habeatur *memoria magna*.

1459. Raro admodum bonæ occurrunt memoriæ; qui enim cito aliquid addiscunt, non diu retinent: qui vero tardius memoriæ mandant, diutius etiam possunt reminisci; si enim fibræ cerebri flexibiles admodum sint, cito etiam flectentur, at etiam cito restituentur: si vero rigidæ eæ sint, tardius configurationem aliquam recipient, sed diutius conservabunt. Si tandem nimis sint rigidæ, quia nimis etiam sunt elasticæ, ob primum difficilius flectentur, ob secundum statim restituentur: unde oriuntur memoriæ pessimæ.

1460. Exercitatione memoria quælibet augetur; sæpe enim repetita in fibris ea motione, cui idea rei in animia respondet, promptiores evadunt fibræ eædem ad eumdem concipiendum motum imperio animæ adveniente. aut mutatione accedente sensuum, effecta ab objectis extimis, quæ facillime secum ferat illam exercitio partam.

1461. Facilius retinentur ea, quæ actione objectorum externorum, quam quæ sola imaginatione memoriæ mandavimus; validius enim in externa sensatione, quam in intrinseca imaginatione fibræ cerebri commoventur,

tur; quapropter majorem dispositionem ad eumdem arripiendum motum acquirunt. Hinc ægre eorum recordamur, quæ vidimus somniantes: facilius vero eorum, quæ vigilantes percepimus.

1462. Tam nimia cerebri siccitas, quam nimia ejusdem humiditas memoriæ officiunt; illa enim efficit, ut fibræ difficile impressionem recipiant: hæc vero, ut acceptam non retineant,

1463. Tam pueri, quam senes deterioris sunt memoriæ, quam juvenes; illi enim, ut Anatomici norunt, nimis molle, hi vero nimis siccum habent cerebrum: juvenes autem in medio consistunt; quapropter ex n. *præc.* patet &c.

1464. Ex eo autem, quod tam in pueris, quam in senibus deterior sit memoria, quam in juvenibus, patet, memoriam adjuvari, & lædi a causis materialibus; dum enim pueri ad pubertatem, virilitatemque contendunt, robustiores evadunt: exinde autem memoria fit melior. Dum autem viri jam senescunt, nimium adipiscuntur fibrarum rigorem, sicque memoriam amittunt (n. 1462.); ergo a causis materialibus læditur, & perficitur memoria. Videmus propterea, quod in morbis acutis, iis præsertim, qui in capite sedem habent, memoria plerumque omnimode amittitur. Sed quænam sint hæc remedia, quibus memoria juvetur, & extendatur, non tam facile est definire. Veteribus excolebatur maxime hæc ars, quæ *mnemonica* appellabatur, quamque omnium primum Simonidem invenisse, auctor nobis est Tullius *l.* 2. *de Orat.* Sed si perlegamus Auctorem operis *ad Herennium lib.* 4. patebit, in ingeniosis tantum adinventis Veteres hanc artem reposuisse. Quidquid tamen de hoc sit, illud mihi certum est, neminem medicamentis memoriæ roborandæ causa debere uti; sicuti enim eam juvare, ita & lædere possunt. Etiamsi veluti a veritate aliena ea rejicere non velis, quæ hac de re tradunt rei herbariæ Scriptores. ex illis tamen iisdem plura habebis, ob quæ ab iis remediis debeas perpetuo abstinere; ubi enim de re agitur magni momenti, vel minimum dubium in

ad-

adversam partem debet sufficere: sic ex. gr. licet *confectio anacardina* sit præstans remedium memoriam & majorem, & meliorem efficiendi, scimus tamen eamdem dosi nimia sumptam, vel promiscue quibuslibet datam furoris causam extitisse: & quis insuper ignorat, eos, qui memoriam roborare intendunt, eam non tarde admodum debilitatam experiri? Quapropter illa duntaxat mihi videntur adhibenda, quæ cum lædere nequeant, plurimum certe hanc facultatem adjuvant. Hæc autem sunt.

1465. Memoriam exerce; tunc enim facilius aliquid retinemus, cum reiteratis actibus illud memoriæ mandamus (n. 1460.): hoc autem est exercitium; igitur &c.

1466. Si imaginationem, ac memoriam per consequens extendere velis, a gradu minoris extensionis ad majorem progredere; ad extrema enim nonnisi per intermedia possumus pervenire.

1467. Nitere, ut, quæ memoriæ sunt mandanda, distincte a mente percipiantur; id enim non solum experientia probat, optimum esse, verum & ratio evincit; dum enim distincte objectum percipimus, plura in ipso cognoscimus (n. 36.); si ergo unius obliviscamur, plurima supersunt, quorum recordemur: at memoria nostra ita est comparata, ut si fibræ uno cieantur motu, facillime illum etiam producant, qui priori erat affinis; igitur &c.

1468. Quæ abstracte percepisti, vel mediis vocabulis, vel signis quibusdam visibilibus sensibilia reddito; melius enim ea retinentur, quæ sensatione, quam quæ sola imaginatione memoriæ mandantur (n. 1461.)

SECTIO II.

Dæmonologia.

1469. Secundam hanc Pneumatologiæ sectionem tribuimus considerationi substantiæ omnino spiritualis, quæ non est a Deo destinata, ut corporibus copuletur. Hujusmodi substantiæ solent vulgo *Angeli* appellari, quod no-

nomen accipitur a muneribus, quæ obeunt ſubſtantiæ illæ; proprie enim Angelus ſignificat *nuncium*: Spiritus vero nuncii appellantur, quia ſunt Dei miniſtri, cujus voluntati obtemperantes pro Eo ad homines legatione funguntur. Eoſdem etiam *Dæmones* appellaverunt multi ex Ethnicis, & nonnulli ex Eccleſiaſticis Scriptoribus, quam vocem major illorum pars ſic interpretatur, quaſi ſignificet ſcientes, ac peritos. Eam interpretationem Scholæ fere omnes amplexæ ſunt, quæ Angelos appellaverunt *Intelligentias*: diſſimulandum tamen non eſt, plures ex Chriſtianis Doctoribus nomen Dæmonis ſolis malis Angelis tribuere, quippe quibus poſt amiſſa per peccatum Divinæ gratiæ dona ſola relicta ſit naturalis rerum notitia, & mens ad cogitandum ſagax, & prompta. Nobis, qui naturæ ductum ſequentes philoſophamur, modo *puri Spiritus*, modo *Angeli*, modo *Dæmones* dicentur.

ARTICULUS I.

An ſint puri Spiritus.

1470. DUm quærimus, an iidem ſint, hæc eſſent nobis præſtanda: 1. inveſtigandum eſſet, an ſint ſubſtantiæ ſpirituales a Deo, hominibus, & humanis mentibus diſtinctæ: 2. an eædem nullo pacto poſſint eſſe materiales: 3. an etſi materiales illæ non ſint, aliquo tamen tenuiſſimo corpore amiciantur nobis non ſenſibili, quo utantur veluti miniſtro quopiam in ſentiendo: quæ fuit veterum fere omnium Philoſophorum ſententia, cui adhæſerunt plures ex vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, & quam recenter amplexus eſt Leybnitius cum ſuis. Secundum, atque tertium non agemus; ſi enim conſtiterit, eſſe Angelos cogitantes ſubſtantias, eodem pacto iidem ſpirituales erunt, & corpore omni deſtituti, quemadmodum diximus de anima hominis. Itaque de primo tantum inveſtigando ſolliciti ſumus.

1471. Angelorum exiſtentiam nos docet Divina Fides innumeris fere Divinarum Scripturarum oraculis, at-

que

que unanimi Patrum, & Conciliorum consensione: verum humana mens sibi relicta nondum invenit perspicuam ejus confirmandæ rationem. Aristoteles pluribus in locis, præsertim vero *l.* 12. *Metaph.* eam conatur demonstrare per motum cælestium corporum, quæ neque ipsa per se, neque ab homine ullo moveri posse putat: unde colligit, esse Dæmones, sive Intelligentias. Porphyrius apud S. Aug. *lib.* 10. *de Civ. Dei c.* 11. & Theodoretum *lib.* 3. *contra Græcos post medium*, Jamblicus *lib. de Mysteriis* §. 36., & alii plures utuntur in ea ostendenda miris quibusdam effectibus, quos Magi præstant, aut quos in iis observamus, qui Energumeni dicuntur. Claudianus Mamercus *lib.* 1. *de statu Animæ c.* 4. Richardus Victorinus *lib.* 4. *de Trinitate c.* 25. quos Scholastici Theologi secuti sunt, contendunt, mundum non futurum perfectum ablatis puris Spiritibus, quippe deesset nobilissima omnium creatura, quam nulla ratio demonstrat repugnare. Joannes vero Lodovicus Vives *lib.* 1. *de veritate Fidei c.* 11. urgens illud Theophili Alexandrini 2. *Paschali, cælum Angelorum metropolis*, ita ratiocinatur. Sedes præ omnibus illustris non est a Deo fabrefacta, ut incolis vacua esset: homines vero terram colunt; igitur cælum patet puris Spiritibus, sive Angelis. Eadem fortasse fuit ratiocinatio Varronis, qui apud Augustinum *lib.* 7. *de Civit. Dei c.* 6. suos incolas cælis assignabat. Hæc fere solent in medium afferri ab iis, qui conantur Angelorum existentiam demonstrare.

1472. Verum hæc omnia nec perspicua sunt, nec satis firma. Primæ Aristoteleæ ratiocinationis imbecillitatem neminem latere puto; etenim cælestia corpora moventur, & vi activa, qua sunt prædita, alioquin neque substantiæ essent, & motione semel illis a Deo impressa iis legibus, quas novit Deus, necessario iisdem corporibus servandas esse, ut suas absolvant conversiones. Docent hanc rem Physici experimentales, & omnes Astronomi, ut propterea non sit diutius immorandum in Peripatetica ratiocinatione refutanda.

1473. Secundæ ratiocinationi a Platonicis in medium

alla-

allatæ aliqua videtur inesse vis. Athei, Materialistæ, & nonnulli Calvini sectatores ea phænomena tribuunt melancholiæ, vitiatoque corporis temperamento, aut lunæ, aliorumque astrorum actioni in corpus humanum, vel denique (peculiaris est hæc Calvinianorum opinio) virtuti Divinæ, quæ etiam eo pacto velit sese ostentare in hominibus. At quis non censeat, eum omnino insanire, qui docet, melancholiæ abundantia, aut per lunæ actionem homines repente novisse remotas res, secretorum conscios fieri, exoticas linguas nunquam antea auditas, nullo labore, præceptore nullo, extempore addiscere? Impium vero fuerit Deo auctori ea tribuere phænomena, quorum pleraque præstant malefici lege violata Divina, quæ observamus cessare ope implorata Divina. Hæ itaque responsiones non enervant illam Platonicorum ratiocinationem.

1474. Nihilominus non videtur eadem satis firma esse, propterea quod non possumus perspicue demonstrare, eos effectus portentosos non præstari ab aliqua, vel pluribus animabus jam a corpore sejunctis. In hanc sententiam nonnulli trahere conantur non modo Plotinum, & Apulejum, verum etiam S. Justinum in *Apolog. ad Antoninum*, ubi ait: *credite, idem confirmantibus iis, qui agitantur a defunctorum spiritibus, quos arreptitios, & furiosos vulgus vocat*. Item, si credimus, id commercii intercedere posse inter homines, & puros Spiritus, ut hi quibusdam ab illis editis signis vel alliciantur, vel fugentur, quam ob causam persuadebimus ipsi nobis non posse homines eamdem inire societatem cum animabus eorum, qui aliquando vixerunt? Sane ex *Æthiopica Heliodori* colligere possumus, hanc fuisse opinionem Sagarum apud Ægyptios.

1475. Neque majoris est ponderis tertia ratiocinatio, cui nimium videntur fidere nonnulli Scholasticorum; siquidem a Deo bono, & perfecto singula prodeunt bona, & perfecta: non tamen necesse est, ut sint omni prorsus modo bona, & perfecta: id nempe uni convenit Deo. Potest mundus esse perfectus, & bonus, si omnia

in

in eo contenta conspirent in eum finem obtinendum; quem illis præstituit Deus: esset vero omni prorsus modo perfectus. mundus, si omnia, & singula contineret entia bona, & perfecta, quæ possunt a Deo produci. Prior illa perfectio utique mundo convenit, qua si esset destitutus, non esset a Deo bono, perfectoque creatus: altera hæc perfectio nec convenit mundo, nec potest ei convenire; nam entium possibilium species sunt infinitæ, quæ infinita complectuntur individua: mundo vero constanti ex entibus omni modo finitis non est infinitas concedenda.

1476. Postremo a Lodovico Vives doceri petimus, quam ob caussam cælestia corpora dicenda sint nobiliora, ac præstantiora nostra tellure? Deinde quid caussæ sit, cur nobilius corpus incoli debeat, potissimum vero cum nobilissima omnium corpora, videlicet sol, & stellæ fixæ videantur ex igne plane constare, qui nullum patitur dignitatis decrementum, si incolis careat? Mitto alia prorsus inepta principia, quibus innititur illa ratiocinatio, quæ profecto nullimode demonstrant, puros Spiritus esse. Itaque nulla perspicua ratione quis demonstraverit existentiam Intelligentiarum.

1477. Neque tamen propterea ostenditur earum impossibilitas; aliud enim est non ostendere actualitatem, vel possibilitatem, aliud demonstrare alicujus rei impossibilitatem, vel non existentiam. Accedit, quod recitatæ ratiocinationes etsi rigidæ demonstrationes non sint, haud tamen destituuntur omni prorsus gradu probabilitatis, quinimo pro verisimilibus opinionibus habendæ sunt, potissimum vero secunda, quæ sane verisimilior est præ tribus reliquis. Sed purorum Spirituum existentiam suadet præterea totius orbis consensio; etenim, si paucos demamus Epicureos, Sadduceos, atque Atheos, omnino & Philosophi omnes, & omnes gentes Angelos, sive Spiritus esse crediderunt, quamquam de illorum natura neque omnes eadem senserint, & nullus fortasse illorum recte senserit.

1478. Hujus opinionis primos Auctores eosdem habe-

bemus, qui & Philosophiæ auctores primi fuerunt, videlicet Orientis Philosophos, Chaldæos, Persas, Sabæos, quorum sententiam legere potestis in Stanlejo, & Brukero. Horum doctrinis imbuti Ægyptii omnia loca Intelligentiis repleverunt, quemadmodum narrat Auctor *Theologiæ Ægyptiorum*. Transit ad Thraces eadem sententia: notissima sunt Orphei carmina *de laboriosis Spiritibus*, quibus id muneris dant, ut adstent Throno Dei. atque præterea ut curam gerant, quomodo homines suas res agant Non dissimilis fuit Græcorum Philosophorum doctrina; quod enim spectat Philosophos Jonicos, & eos, qui ex illis orti sunt, res est clarissima: nemo ignorat, Thaletem Sectæ auctorem omnia Diis replevisse, affirmante id Cicerone *de leg. lib.* 2. *c.* 11. nemo item est, qui nesciat, Deos minores Platonis, aut substantias separatas, sive Intelligentias Aristotelis: & Stoicis etiam traditum fuisse, esse dæmones res spiritales, narrat Plutarchus *de plac. Phil. lib.* 1. *c.* 8. ut mirum sit, Senecam inficiatum esse, Dæmones ullos existere, quemadmodum habet Sirenius *lib.* 3. *de fato c.* 4. Verum Seneca Pantheistis potius videtur accensendus, quam Stoicis (n. 808.). Quid porro de Secta Italica? Antiquorum Pythagoreorum, qui a scribendo abstinebant, nulla recitare possumus testimonia, attamen de Pythagora fidem facit Pletho *in orac. mag.* recentior vero Pythagoræus Onatus *in lib. de Deo*, *&* *divino* (apud Stobæum *in eclog. phys. c.* 3.) præter summum Deum Deos minores docet esse, qui eidem pareant, & illum recte ducentem sequantur. (n. 980.). Taceo Philosophos reliquos, quorum sententiæ magis apertæ sunt.

1479. Philosophis adjungenda est totius orbis consensio; nulla enim fuit unquam natio, cui non persuasum fuerit, Dæmones, seu Spiritus esse humana natura præstantiores, sive eosdem Genios, sive Lares, sive Penates, sive Deos minores, sive alio quocumque nomine appellaverint. Hujus tantæ totius orbis consensionis origo repetenda videtur mihi a paucis illis hominibus, quorum opera restitutum est humanum genus aquis interemptum; etenim

etenim hi liberis, hi deinde nepotibus simul cum præteritarum rerum historia Religionem tradiderunt. Inde puto factum fuisse, ut hujus sententiæ lineamenta quædam in omni secta, in omni Religione deinceps aspiceremus. Lineamenta, inquam, nam sententiam ipsam & otiosi homines deturpaverunt fabulosis narrationibus eidem admixtis, & commaculaverunt Philosophi rebus spiritalibus contemplandis parum idonei, qui phantasiæ plus æquo indulgentes corporeis tantum imaginibus delectabantur. Hæc origo est tum poeticarum fabularum, tum perniciosarum opinionum Philosophorum.

1480. At non crediderim, fabulas tantum posse, ut nullum veritati locum relinquere eædem censendæ sint. Circa nullam rem aliam plura, vel inepta magis Poetæ jocati sunt, quam circa solem, & lunam, quominus eorum corporum extantiam multitndo fabularum possit incertam reddere. Eodem jure credimus, Herculem, Achillem, aliosque fuisse, de quibus innumera Poetæ mentiti sunt: eodemque jure credemus, Angelos esse, nec tamen omnia accipimus, quæ de iis fabulæ canunt.

1481. Porro Philosophorum quorumdam absurdas fuisse de Angelis opiniones, non auserim inficiari, quemadmodum iidem & mentis humanæ, & Dei quoque naturam, proprietatesque tenebris obvolverunt, si quandoque ita locuti sunt, quemadmodum non Philosophia, sed populus, & imperitum vulgus postulabat, si aliqui illorum in errorem prolapsi sunt; nam certo constat, eorum plures habuisse Angelos pro substantiis immaterialibus, quemadmodum de Pythagoricis, Platonicis, Peripateticis, Stoicis res in comperto est; hi enim tantum subtile corpus addebant Spiritui, qui illo perpetuo indueretur, cum tamen Spiritus naturam longe præstantiorem esse traderent. Constat igitur & divina, & humana Fide Intelligentiarum existentia.

AR-

ARTICULUS II.

De viribus activis, natura, & ordine purorum Spirituum.

1482. UNius substantiæ unica est vis activa: quocirca nulla Intelligentia prædita est pluribus facultatibus activis: attamen dissimilitudo actionum, quæ ab una, eademque vi activa originem habere possunt, satis est. ut virtuali quadam distinctione plures memorentur vires actuosæ unius, ejusdemque substantiæ; hinc spiritibus puris tribuuntur intellectus, memoria, voluntas, atque vis movendi citra contactum, quam alii dixerunt *loco-motivam*.

1483. Quemadmodum fide tantum novimus Angelorum existentiam, ita fide quoque novimus, eosdem aliquando esse homines allocutos, iisdem consilia dedisse, interdum ultro, interdum interrogatos: quæ omnia absque intellectu & memoria præstari non possunt. Videtur vero illorum mens majori pollere facilitate intelligendi, propterea quod nulli corpori adstricta multo minoribus, & paucioribus obnoxia est deceptionibus. Accedit huic facilitati memoria, quæ cum non pendeat a fibrarum motu, sicut ab iis pendet hominis memoria, detrimentum nullum videtur pati posse. Ergo facilitas cogitandi magis magisque in dies augetur, ita ut Intelligentiæ habitu polleant ratiocinandi valde perfecto, cujus aliquos quidem terminos necesse est esse, quippe finita gaudent Spiritus vi agendi, amplissimos tamen, & quos mente comprehendere non possimus.

1484. Nullis phantasmatibus indigent Angeli in cognoscendo, quemadmodum (n. 1331.) affirmavimus de mente humana. Graves hoc in loco difficultates occurrunt, quarum plenam solutionem fortasse nulli hominum hucusque largitus est Deus. Duæ præcipuæ ita quidem se habent. 1. Quomodo Angelus alterius Angeli, vel etiam hominis cogitationes novit? seu quo pacto Ange-

li inter se commercium gerant, quomodo se mutuo alloquantur? Altera, quomodo novit Angelus rerum existentiam? Si enim repraesentat sibi objecta nullis speciebus ab objectis haustis, ex aequo repraesentare sibi potest & res possibiles, & actuales.

1485. Primam difficultatem solvimus, concedendo puris Spiritibus eam vim, ut altera in alteram agat, & illius statum permutet. Fateor, nos non posse dilucide explicare, quid sit actio Spirituum, aut quomodo mutuo agant, & patiantur: at simul mementote, posse quidem nos ostendere multitudinem causarum activarum, minime vero posse nos explicare, quid sit actio ipsa.

1486. Alteri difficultati non habemus, quid reponamus praeter analogiam sumptam a nostra mente, siquidem in re obscurissima multum fecerit, qui probabiles conjecturas in medium attulerit. Mens humana de objectorum existentia judicat per apperceptionem medii, quo usa objecta novit: illud autem medium est fides, vel sensus, vel ratiocinatio. Fidem, & ratiocinationem non possumus Angelo adimere: principio itaque, Deo revelante, noverunt Intelligentiae, creatas res esse iis viribus, atque eo ordine, ut hi, non alii effectus, hoc, non alio tempore essent orituri. Ratiocinatione, quae ab ea fide repetatur, possunt certo scire, nunc esse haec, non alia creata entia, in hoc, non alio statu, atque ita objectorum existentiam certo cognoscere. Verum (iterum ajo) obscura nimis res est, & hypothesis nostra valde incerta.

1487. Voluntatem concedere debet Intelligentiis quicumque eis non adimit ratiocinandi facultatem; siquidem frustra omnino tribueretur spirituali naturae vis perfectior cognoscendi, & secernendi bona a malis, nisi eidem concederetur facultas quoque amandi bona, & aversandi mala. Quaerunt hic nonnulli, an Spiritibus puris conveniant ii omnes libertatis gradus, quos (n. 1419.) tribuimus animae humanae. De libertate a coactione nullum dubium esse potest; coactio enim nulla locum habere potest in voluntate: quare quidquid voluntarium est, hoc sensu plane liberum est: si autem sermo sit de libertate a necesses-

cessitate, nihil humana ratio definire potest. Accedit tamen fides Divina, qua docemur, Angelorum alios peccavisse, alios recte sese gessisse: illos pœna mulctatos, hos vero æterno præmio donatos esse. Atqui sub justo Judice Deo neque præmio, neque pœna locus esse potest, nisi adsit immunitas a necessitate; quare hoc etiam sensu liberos eos conditos fuisse, prorsus manifestum est. Quærunt præterea Theologi, num, & quæ libertas iisdem superstit post peccatum, vel victoriam de peccato relatam. Hujusmodi quæstionibus abunde satisfacit Petavius, aliique Christiani Theologi: eæ ad nos non pertinent.

1488. Facultatem movendi & se, & res alias præter se, potissimum vero corporeas substantias negant Angelis Cartesiani, & qui cum eis nullam concedunt creatis rebus vim activam. Ea in re a cæterorum Philosophorum opinione recedunt; qui enim Intelligentiarum existentiam agnoverunt, præcipue in earum notitiam adducti sunt a motu cælestium corporum, vel a præstigiis, & portentosis phænomenis, ut diximus articulo præcedente. Hæc vero non possent puri Spiritus operari, adempta iisdem vi motrice. Diximus n. 1252. pollere animam hominis vi movendi proprium corpus, & determinandi cursum animalium spirituum: non video itaque, cur ea facultas sit Angelis neganda, præsertim cum in sacris, & profanis historiis multa puri Spiritus effecisse narrentur, quæ sane non effecissent, si vi movendi destituerentur.

1489. Per vires activas Angelorum facile colligere possumus illorum naturam; sunt enim spirituales substantiæ, & ideo simplices, inextensæ, immortales, quæ possunt in definito loco esse, eumque mutare, non secus ac anima rationalis. Creatione tantum potuerunt esse: omnes vero Angelos simul a Deo creatos fuisse, communis est Theologorum sententia.

1490. Angelos non modo ab animabus humanis, sed etiam inter sese specie differre, tradunt Theologi. Ea discrimina nos prorsus latent: quare animam ab Angelo secernimus, quod ea destinata sit ad subeundam con-

junctionem cum corpore, Angelus non item. De Spirituum ordinibus nihil explorati habemus præter id, quod tradunt Divinæ Litteræ, & Patres Ecclesiæ, quorum doctrinam hac in re non absque impietatis nota irrident Calvinus, Erasmus, & Magdeburgenses.

1491. Boni itaque Angeli in tres Hierarchias dividuntur, quarum quælibet complectitur tres ordines, sive choros. Prima Hierarchia ii continentur, qui propius ad Deum accedunt: horum primus ordo est *Seraphin* a caritate dictorum: in altero sunt *Cherubin* ita appellati a scientia: tertius est *Thronorum*, in quibus Divina Majestas præsertim enitet. Secundæ Hierarchiæ peculiare est universum regimen rerum agendarum: itaque primus ordo habet *Dominationes*: hi Spiritus disponunt, quæ sunt agenda ad Dei gloriam: in secundo ordine sunt *Virtutes*, quæ intelliguntur promptam opem parare rebus perficiendis: in tertio ordine collocantur *Potestates* ad fundenda malorum Angelorum agmina. Postrema Hierarchia non jam universe, sed singillatim curam suscipit rerum gerendarum: in primo ordine sunt *Principatus*, hoc est primi duces in exequendo, & Viris principibus opem ferunt: in secundo ordine *Archangeli* militant sub Principatibus, & Regnorum, Imperiorumque curam gerunt: tertii ordinis *Angeli* singulos homines regunt.

1492. Intelligitis porro, etiam Divinam fidem docere nos, omnia in hoc Mundo entia conspirare, & propriis viribus activis contendere in unum finem. Humana ratio id quidem deprehendere potest, sed tamen ipsa per se prorsus ignorat, quibus legibus, quibus nexibus hujusmodi rerum ordo perseveret: paulo clarius id nobis Fides declarat, affirmans, esse communionem quamdam inter spiritales, materialesque substantias. Malorum quoque Angelorum ordinem quemdam, & multiplicem cohortem nonnulli descripserunt, sed quæ de re ista narrantur vulgo, somnia sunt Cabbalistarum insanientium.

AR-

Articulus III.

De Spirituum poteſtate.

1493. Spirituum poteſtas innoteſcit conſiderando ea, quæ poſſunt intelligere, & quæ poſſunt efficere: primo agamus de illorum cognitione. Diximus in præcedente articulo, quod etſi præditæ ſint Intelligentiæ longe perfectiori cognoſcendi vi, quam homo, attamen hujus facultatis ſunt quidam limites. Et ſane ſi Angelorum mens nullo Divino peculiari favore evehatur ad cognitionem, quæ illius vires ſuperet, agnoſcet quidem aliquo pacto ſubſtantias alias natura præſtantiores, non vero perfecta, & adæquata cognitione: quæ eſt Chriſoſtomi quoque ſententia *homil.* 5. *contra Anomæos, ſubſtantia ſuperiorem ſubſtantiam intelligere nequaquam poteſt, etiamſi parum inter eas interſit*; etenim exceſſus perfectionis naturæ ſuperioris officit perfectioni cognitionis naturæ inferioris: laborans vero aliquo defectu cognitio nequit appellari adæquata. Id experimur ipſi in nobis; cum enim velit modo Deus, animam aliquo pacto pendere a corpore in cognoſcendo, jam non pura intellectione ſpiritales ſuperiores naturas cognoſcimus, ſed noſtris perceptionibus aliquid corporei ſemper admiſcet phantaſia.

1494. Inde conſequens eſt, ut Angeli boni plus debeant Divino lumini, quo undequaque irradiantur, quam viribus propriæ mentis: quippe, Deo ſe illis manifeſtante, cognoſcunt in Eo & rerum naturas, & ſingulorum objectorum exiſtentias præſentes, aliquando etiam præteritas, & futuras, ut ipſi Deo libet, eoſdem hæc omnia intelligere plus, minus, clarius, obſcurius pro cujuſque Angeli dignitate, meritis, & muneribus, quibus exequendis deſtinatur.

1495. Contra mali Dæmones, quibus peculiare clarioris luminis munus ſubtraxit Deus, nec iiſdem niſi raro paucas res manifeſtat, ea omnia norunt, quæ vi-

res illorum naturales investigare, & deprehendere possunt. Cæterum super eas vires fere nihil compertum habent, ignorantia laborant, neque prospiciunt, quæ sunt futura, quæque a Divina libertate pendent. Nihilominus tot sæcula illuserunt mali Dæmones oraculis suis, sive prædictionibus, quarum nonnullæ aliquando minime falsæ fuerunt: cujus rei non una est ratio, quemadmodum indicabimus; primo enim interdum a bonis Angelis, Deo jubente, addiscunt mali Dæmones, quæ sunt eventura: ita docet S. Aug. *lib.* 4. *de Trin. c.* 17. secundo, multa sunt nobis quodammodo futura, quæ sunt illis præsentia; ut enim ait Tertullianus *in Apolog. c.* 22. *Angeli*, *& Dæmones sunt spiritus*, *& alites: momento ubique sunt*, *hoc est brevissimo temporis spatio norunt*, *quid ubique geratur*. Remotas itaque, & locorum intervallis dissitas a nobis res, quæ jam sunt, possunt hoc in loco annunciare tamquam futuras. Profert exemplum S. Athanasius *quæst.* 25. *ad Antiochum* de prædictionibus circa exundaturum Nilum: *tamquam spiritus videntes imbres*, *qui sunt apud Indos* (fortasse legendum est Æthiopes) *prævertunt*, *& anticipant in Ægypto*.

1496. Tertio addunt nonnulli, malos Dæmones ex cælestium corporum situ, atque positione conjectura interdum assequi ea, quæ deinde eveniunt: hoc vero minus mirum sit, posse Intelligentias præstare, cum homines tantumdem aliquando præstitisse compertum sit. Profecto narrat Aristoteles *lib.* 1. *Polit. c.* 2. Thaletem ob sydерum peritiam olei ubertatem eminus prospexisse. Verum hanc scientiam, quam appellant *astrologiam*, totam, quanta est, deridiculam habent viri cordatiores, quippe quæ levissimis conjecturis innitatur. 4. Solemne vero fuit oraculis omnibus sermonis uti ambiguitate, quare Cicero *lib.* 2. *de Divinat. flexiloquum*, *& ambiguum* vocat *Apollinem*: Plutarchus quidem, ut suorum Numinum consuleret dignitati *in lib. Pythia* plures comminiscitur causas tortuositatis illius, & ancipitis linguæ oraculorum: at sincerior Aristoteles *lib.* 3. *Rhetor. c.* 5. eam vitio vertit Vatibus, & Sacerdotibus vaferrimis,

mis,

mis, qui oraculorum ignorantiam tegere conabantur.

1497. Itaque siquando nonnulla prædixerunt Dæmones, vel Fatidici, quibus respondit eventus, id vel propterea contigit, quod res mediocri tantum prudentia indigebat, vel prorsus ex casu fortuito evenit. Nihil vero mirum, si ex innumeris fere prædictionibus aliquæ minime falsæ deprehensæ sunt; nam Tullius *lib. 2. de Divinat.* testatur, Chrysippum implevisse volumen falsis Apollinis oraculis. Ex his porro colligite, mendaces esse omnes divinationes, quas olim maximi fecerunt Ethnici; sive enim illæ sola vaferrimorum hominum calliditate constent, sive Dæmonum humano generi illudentium ope fiant, necesse est, ut vel prædicantur, quæ non contingent, vel prænuncientur, quæ notum non est, sint ne aliquando futura.

1498. Accedimus ad ea proponenda, quæ efficere possunt Intelligentiæ per vim motricem. Ac primo quidem satis compertum est non modo ex Sacris, sed etiam ex Ethnicis Scriptoribus, posse Angelum Angelo resistere, eidem reluctari, & loco pellere, alio transferre, in servitutem mancipare etiam invitum. Præbuerunt hæc omnia Veteribus nonnullis occasionem affirmandi, Angelos vel corporeos esse, vel saltem corporibus amictos: sed error ex eo ortus est, quod crederent, vim motricem non posse sese explicare, nisi in contactu, & idcirco eam exigere extensionem, quasi extensio esset vel causa, vel conditio, ob quam ens quodpiam posset locum mutare, alio transferri &c. 1. igitur inficiamur, extensionem esse ens, quare neque potest esse causa, vel conditio motus: deinde addimus, motum convenire posse omni prorsus substantiæ, quamquam non sit extensa, & idcirco credimus, moveri posse, mutuo sese attrahere, vel repellere elementa materiæ, quamquam inextensa sunt. Quod itaque corpora invicem per motum non agant nisi in contactu, hoc quidem experimenta confirmant, sed illud minime transferendum est ad ea, quæ sese contingere nequeunt, cum ratio ipsa suadeat, vim motricem convenire etiam entibus simplicibus inextensis, quorum nullus potest contactus esse.

1499. Non itaque inficiabimur, Intelligentias sese movere, in se mutuo agere per motum, eo quod eam rem dilucide non licet nobis explicare: numquid clarius intelligimus, quid sibi velit, corpus alterum motum alteri communicare? Tantum cavendum est, ne inde colligamus, Angelos extensos, & corporeos esse, siquidem neque extensio est ens, neque soli corporeæ substantiæ peculiaris est motus, neque motus exigit ipse per se vel extensionem, vel contactum.

1500. In corpora quoque vim suam exercere possunt puri Spiritus, sive illa vivant, sive sint vita destituta. Eunapius in Jamblico narrat, eum sublimem a terra plusquam decem cubitos non semel visum esse rapi, corporis etiam, & vestimentorum colore mutato, quod procul dubio mali Dæmonis opera præstitum est. Eas nonnulli appellant *præstygias*, quasi in corpora Intelligentiæ revera non agerent, sed tantum organis sensoriis hominum illuderent: verum organa sensoria non percientur, nisi motus nervis communicetur. Præterea procellas, incendia, morbos, hominum translationes, urbium eversiones non semel Angeli modo boni, modo mali, Deo vel permittente, vel jubente, effecerunt, ut plane ridiculum sit inficiari, hanc esse concessam vim Intelligentiis, qua in corpora agant. Illud certum est, hæc omnia a Spiritibus non præstari illorum arbitratu; cuncta enim regit, & moderatur Deus, qui homines infinito amore prosequitur. Illius nutum verentur omnes Intelligentiæ, ita ut ab odio, quo hominum genus persequuntur mali Dæmones, nihil sibi metuendum sit iis, qui puro corde Deum colunt.

1501. Hac eadem vi motrice utuntur Spiritus in subitis quibusdam aliquarum rerum generationibus efficiendis; possunt enim illi rerum semina ex uno in alium locum transferre, & addere, quæ magis idonea sunt, ut ex seminibus prorumpant corpora organica, vel ea subducere, quæ præsenti generationi impedimento essent. Videntur hæc mira, & portentosa iis, qui naturæ vires penitus ignorant: attamen in iis omnibus supra naturæ potestatem nihil contingit.

1502.

1502. Multo vero magis possunt puri Spiritus aut corpora vita functa ita agitare, ut nonnullæ prodeant actiones similes earum, quas edunt homines viventes: hujusmodi phænomenon non raro se præbet conspiciendum in Poloniæ, & Russiæ Regionibus: aut sensoria hominum organa ita movere, quemadmodum ab aliquo præsente objecto moverentur: fortasse hoc pacto Sagis illudunt Dæmones: aut denique aerem, aut aliquam aliam materiam ita compingere, ut specietenus referat extimam formam hominis, aut alius cujuspiam corporis: unde explicantur apparitiones bonorum Angelorum, & spectra malorum Dæmonum. Sed ea non dicenda sunt vera corpora, quorum iidem Spiritus sint formæ; non enim inter eam materiam, & Spiritum intercedit commercium ullum ope sensationum, & sensuum, quale inter animam, & corpus hominis intercedere, diximus (n. 1250.) Idcirco etiamsi viventia hominum corpora, ita Deo permittente, nonnunquam Dæmones possideant, atque in iis mira quædam operentur, nullus tamen a corporeis actionibus percipitur sensus a Dæmonibus; quare formæ tantum assistentes sunt, non informantes. (n. 1225.)

ARTICULUS IV.

De Spiritibus bonis, & malis ex Ethnicorum Philosophorum sententia.

1503. NOn abs re videtur nobis futurum, si hoc in loco quædam addemus de Philosophorum Ethnicorum sententia circa puros Spiritus. Nulli dubium est, antiquissimos omnium philosophando sese contulisse Chaldæos, aliosque Orientalium Regionum incolas. Ab iis Angelos bonos, & malos fuisse memoratos, res est manifesta, quam indubia confirmant historicorum monumenta; sane Persarum, quorum doctrina Chaldæis promanaverat, constans opinio fuit, præter summum Deum bonum *Horomazen*, esse alium quoque æternum malorum omnium auctorem, quem appellabant *Arimanium*: atque

que inter hos medium Deum *Mithram* curare, ut homines ab Arimanii potestate abductos ad Horomazen summum Numen adduceret: ita narrat Plutarcus *in lib. de Iside, & Osiride*. Verum tres hos veluti duces innumerabilium Spirituum a Persis creditos fuisse, tradit *Pletho in Orac. mag.*

1504. Quamquam hæc certo constent de Orientis Philosophis, minime tamen adhibenda est fides (me judice) iis, quæ dicuntur superesse, doctrinæ Caldæorum fragmentis. Ea inscribuntur *Oracula magica*: *oracula*, quod breves sententiæ sint: *magica*, quod dicantur profecta a viris doctis Chaldæorum, quos *Magos* illi appellabant, quemadmodum suos Sapientes Græci *Philosophos* dixerunt. Eadem oracula potissimum celebraverunt Philosophi, qui 2. 3. & 4. sæculo Cristiano floruere. Sed ea videntur mihi putidissimam imposturam sapere, quare existimo, ea quoque esse rejicienda tamquam supposititia, quæ in iisdem oraculis leguntur de Angelorum discrimine, & variis eorumdem ordinibus.

1505. Primo enim certo scimus ex Diodoro *lib.* 2. Chaldæos minime suetos fuisse philosophari, uti Græcos; non enim dogmata sua scribebant, neque erat Sectarum penes illos distinctio, neque celebritas Scholarum. Familiæ nonnullæ, Regum beneficio a publicis vacantes muneribus, ita Philosophiæ se tradebant, ut infra familiam ipsam doctrina contineretur: pater filium docebat oretenus, ut nonnisi traditionaria philosophia apud illos viguisse, dicenda sit. Hunc philosophandi morem extremæ Orientis nationes nunc quoque servant, si credimus itinerantibus; narrant enim, eos, qui docti viri ab illis censentur, traditione a majoribus acceptam doctrinam ad minores transmittere, non litteris consignare.

1506. Deinde siquid scribere Chaldæi consuevere, cur id & Græcis, & Latinis ante Christianam æram omnino incompertum fuit? Aristoteles quidem, philosophicæ historiæ investigator diligentissimus, Callistheni Nepoti cum Alexandro in Orientem misso id curæ dedit, ut, quidquid scitu dignum reperisset, ad se transmitteret:

po-

potissimam vero operam impenderet Chaldæorum eruditioni cognoscendæ. Victo Oriente, Alexandro cuncta patebant: Principi enimvero litterarum amanti, illarum nationum dominatori, nec carius, nec facilius quidquam fuisset, quam doctrinas Magorum, si illæ quidem litteris consignatæ fuissent, in Græcam linguam vertendas, easdemque Aristoteli Præceptori, quem diligebat unice, transmittendas curare. Id tamen non est præstitum, neque magicorum oraculorum occurrit vel semel mentio in Aristotelis operibus. Tantumdem dicendum de Cicerone Latinorum omnium longe doctissimo, quem diligentia, & judicio Aristoteli æquare, vel etiam pluris, quam eum facere decet. Hujusmodi silentium suspicionem augeat necesse est, impostorum fraude hæc oracula in lucem emissa esse nomine ementito.

1507. Accedit, quod nullum extat horum oraculorum exemplar nisi Græcum, nusquam repertum est ullum Chaldaice scriptum. Joannes quidem Picus Mirandulanus scripsit Marsilio Ficinio, contulisse sese ad studia Chaldaicæ, & Arabicæ linguæ, ut disciplinarum illarum nationum particeps fieret, atque codices reperisse antiquos, in quibus oracula integra, atque fusius explicata legebantur. At post Pici mortem codices illi reperti sunt eo charactere scripti, qui facile proderet recentius opus, quam quod credi posset a Magis profectum, atqui sic etiam male affecti, ut ne legi quidem potuerint. Non igitur iidem satis sunt ad fidem faciendam.

1508. Quidquod? Stanlejus in oraculis his colligendis, & Clericus in iisdem explicandis scriptores antiquitatis peritissimi nullius antiquioris Philosophi mentionem faciunt, iis tantum utuntur, qui primis Ecclesiæ sæculis scripserunt. At iidem pessimæ fidei sunt homines: conabantur Christianæ Religionis defensoribus vetustissimos opponere Philosophos, qui de Deo, de animabus humanis, de Angelis, de vitiis, & virtutibus præclare locuti essent, ut ostenderent, non esse necesse novam amplecti Religionem, quippe cum eadem dogmata in iis Philosophis legerentur. At Philosophos hujusmo-

di

di habebant nullos; ergo fingebant, quæ poterant, & nostris auctoribus surrepta tribuebant vetustissimis quibusdam viris, quorum sapientiæ opinionem alte homines ebiberant. Sane Proclum ita se gessisse agentem de Intelligentiis, dilucide ostendunt Eugubinus *de peren. philos. a capite 10. ad 18.* Foxius *in secundam partem Timæi*, aliique: tradunt isti, Proclum ab opusculis, quæ modo Dionisii Areopagitæ nomine laudantur, suam de Angelis doctrinam furatum esse, & præterea ineptum sese ostendisse, qui eam se jactet de Platonis *Philebo* accepisse. quo in loco Plato rem agit aliam omnino.

1509. Perspicuum itaque videtur mihi, magica oracula, quæ habemus, neque a Chaldæis profecta esse auctoribus, neque vetustatem præferre, quam solent illis concedere, sed primis tribus, vel quatuor Ecclesiæ sæculis eadem ab impostoribus fuisse conficta. Fieri fortasse potuit, ut Orientalium Philosophorum nonnulla dogmata fuerint traditione conservata ad usque ætatem illam: verum quod spectat collectionem ipsam, & divinandi rationes in iis memoratas, & hjerarchicum Intelligentiarum ordinem totum, ex integro videtur mihi suppositium esse.

1510. Eadem, atque etiam faciliori opera ostendere possumus, ea omnia, quæ a Philosophis illorum sæculorum præsertim a Platonicis, seu verius Eccleticis tradita sunt de Angelorum discrimine, illorumque Hjerarchiis, *hausta esse de Prophetarum fonte*, ut ait Tertullianus *c.* 37. *apolog.* Hujusmodi furta plurimi Ecclesiæ Patres gentilibus Philosophis exprobraverunt: qui præterea eo etiam nomine culpandi sunt, quod turpiter duo peccaverunt; nam ut ea tribuerent antiquioribus Sapientibus, qui de iis scribendis ne cogitaverant quidem, illorum verba a nativo sensu detorquere coacti sunt, quare illorum sententias densioribus tenebris obscuraverunt: præterea ne manifesti plagii damnari possent, inanes fabellas addiderunt iis, quæ sumpserant ex Christianorum operibus: quo circa & seipsos, & alios in fraudem impulerunt.

1511. Quan-

1511. Quantum itaque colligere licet ex veterum Ethnicorum monumentis indubiis, communissima quidem fuit opinio Philosophorum omnium, qui ab Epicuro, & Cyrenaicis dissentiebant, esse Intelligentias bonas, & malas, de quarum cum hominibus consuetudine, & familiaritate articulo sequente verba faciemus. Discrimen illud, affirmante Plutarcho, agnovit Hesiodus: idem Ægyptiis innotuisse, colligimus ex Jamblico: uno verbo, illud legimus in omnium nationum Mythologiis.

1512. Sed ordinem Intelligentiarum, & Hjerarchicam illarum distinctionem, qualem declaravimus (n. 1491.) non credo absque divina Revelatione hominibus compertam fuisse, & eamdem ne conjectura quidem assequi homines potuisse, omnino censeo; absit enim, ut credamus, malorum Dæmonum opera effectum esse, ut hæc homines scirent. Numquid illi ea ultro dixissent, quæ sibi summo dedecori fuissent futura, seque ex aris penitus deturbavissent? Itaque notitiam ordinis, quo sese excipiunt tres Hjerarchiæ Angelorum, & quos singulæ tres classes complectuntur, uni doctrinæ Divinæ lumini fas est referamus acceptam.

ARTICULUS V.

De Spirituum, & hominum commercio.

1513. INter Deum, atque Intelligentias commercium intercedere, nemo est, qui inficietur, & satis constare puto per ea, quæ sunt a nobis hucusque dicta. Sic etiam manifestum censeo, communionem esse quamdam inter ipsos puros Spiritus, aut saltem commercium aliquod; namque alii aliis patent, alter alteri adversatur, viribus activis invicem agunt, invicem videntur pati posse. Superest, ut exploremus, an aliqua sit communio inter homines, & Intelligentias.

1514. Equidem Christiana Religio docet, bonos quidem Spiritus addidisse Deum singulos singulis hominibus custodes pro malis, incommodisque vitandis, atque duces

ces vitæ recte instituendæ, transigendæque: Regibus; atque Principibus eadem de causa Angelos adesse, qui Regnorum quoque, Provinciarumque curam gerant. Docemur præterea, eosdem venerari, ab iisdem petere, ut doceant, quæ recta sunt, & utilia: ab his vero precibus omnino abstinendum esset, nisi iidem aliquid interdum in nobis agerent movendo, consulendoque; quare constat, inter eos, atque homines commercium esse quodpiam. Nec dissimile judicium ferendum est de malis Dæmonibus, quibus interdum permittit Deus, ut pravis consiliis sollicitent homines ad facinora, nempe, ut isti Divina ope freti gloriosam magis de illis victoriam referant.

1515. Aliquando hoc commercium præstitum est sensibilibus prorsus signis, propterea quod non semel Intelligentiæ sese humana forma conspiciendas hominibus præbuerunt. Ex sacris Historiis plurima possent in eam rem exempla peti, sed prophanorum quoque Scriptorum opera non vacant hujusmodi monumentis. Italicorum Poetarum facile principi Torquato Tasso tale quidpiam accidisse ipsemet auctor est, quamquam Mansius in illius vita opinetur, a propria phantasia illum sibi illudi passum esse. Ceterum hæc communio inter Spiritus, & homines solet exerceri fere semper absque hujusmodi sensibilibus formis; neque enim illis Intelligentiæ necesse est utantur. Probe illæ sciunt, quæ perceptiones quibusque cerebri motionibus respondeant: vi motrice, qua præditæ sunt, facili opera in hominum cerebro motiones excitant, quibus respondent cogitationes, quibus hominem occupari volunt.

1516. Innotuit commercium istud etiam Ethnicis Scriptoribus, qui Regna, Provincias, Urbes, domos Geniis repleverunt: de Antisthene diserte id tradit Lactantius *de ira Dei cap. 11. & lib. 1. institut. cap. 5.* quin etiam Prudentius *2. contra Symmacum* insultat Romanis fingentibus millia multa Geniorum, *ne propria vacet angulus ullus ab umbra*. Hinc Ethnicis ritus fuit Deos evocandi in expugnandis Urbibus, ut memorant Plinius *lib. 28. c. 2.*

c. 2. & Macrobius *lib.* 3. *Saturn. c.* 9. idcirco Romani Urbis Genium summa cura colebant, ne posset ex Urbe evocari.

1517. Sed & montibus *Oreades*, arboribus *Dryades*, fluminibus *Nymphas* præesse, omnes Poetæ tradiderunt, quibus minoribus Diis montium, arborum, fluminum cura esset vel a fatis, vel a summo Jove demandata. Ex Proclo *lib. 6. Theol. Platonis c.* 12. discimus, credidisse Vetustiores nonnullos, orbem stellarum, atque septem planetas non esse destitutos suis præsidibus, & incolis: quæ fuit Varronis quoque sententia. A Ficinio autem 4. *de Immortal. c.* 1. docemur, Orpheum singulis ex quatuor elementis Intelligentiam præsidem concessisse, quæ duplici vi esset prædita, altera, qua cognosceret, altera, qua regeret: in elemento terræ vim cognoscendi dictam esse *Plutonem*, vim regendi vocatam esse *Proserpinam*, in aqua appellatam esse *Oceanum*, & *Thetim*, in aere *Iovem*, & *Junonem*, in igne *Vulcanum*, & *Venerem*. Atque Veteres quidem hoc pacto consensionem docebant esse, & commercium mundi sensibilis cum mundo intelligibili.

1518. Neque minori cura domibus, & familiis suos Genios præfecerunt Veteres, quos peculiaribus sacrificiis colebant, quæ *Sacra Patria* dicta sunt a Romanis. Notissima est Apuleii sententia in opere *de Deo Socratis*, quæ a communiori veterum Scriptorum opinione recedit; docet enim, animas humanas post hominis mortem *Lemures* appellari: *Lemurum* vero esse tres quasi species, *Lares*, *Larvas*, & *Manes Deos*. Qui enim sancte, honesteque vita traducta ab hoc mundo discessissent, iidem a fatis suorum posterorum curam sortiebantur, placato, & quieto numine domum possidebant, & *Lares* appellabantur. At eorum animæ, qui hac in vita flagitiis sese commaculaverant, nullam certam sedem sortitæ, hac illac errantes vagabantur, terriculamentum hominibus erant, sceleltos incommodis afficiebant: eæ vero dicebantur *Larvæ*. Postremo, de quibus incertum erat, quas accepissent sedes, easdem vocabant *Deos manes*. Etsi non omnes gentiles

tiles Scriptores Apulejo assentiantur in explicandis iis vocibus, perspicuum tamen est, paulo diversa munera *Laribus*, & *Larvis* ab omnibus Scriptoribus tributa esse.

1519. Aliqua addamus de singulorum hominum custodia, & quidem ut habet Ethnicorum doctrina. Narrat Origenes *lib. 8. contra Celsum post medium*, Ægyptios humanum corpus in triginta sex partes distinxisse, quarum singulis suum præficiebant Dæmonem, quem proprio nomine appellabant, ut morborum pellendorum caussa quemque vocare possent. Præterea non Platonis modo, sed etiam Platonicorum omnium doctrina fuit, cujus meminit Apulejus *loc. cit.* & Clemens Alexandr. *lib. 5. stromatum cap. 6.* animas, postquam in cælis vitam egissent, quam sortitæ erant antequam sese corporibus sociarent, ordine accessisse ad *Lachesim*: hanc vero cuique animæ concessisse Dæmonem, quem ipsa anima voluisset, cum quo deinceps missa fuerit ad suum corpus. Dæmonis porro munus erat vitæ custodem se gerere, atque animæ opitulari in iis explendis muneribus, quæ a sortibus erant animæ demandata. Plura in rem istam tradit Ficinius *in lib. 4. Enead. 3.* Plot. *cap. 1.*

1520. Hæc eadem fuit vetustiorum quoque Philosophorum opinio, qui Homeri exemplum secuti, peculiaria quædam præesse Numina tradiderunt rebus difficilioribus peragendis, & hominibus singulis, potissimum vero Regibus, ac Principibus viris erudiendis, tuendisque: agunt de re ista Eugubinus *lib. 8. de perenni Philosoph. c. 40.* & Justus Lipsius *lib. 1. Physiol. Stoic. cap. 18.* Ne porro vos tædeat aniles hujusmodi fabellas legere; primo enim constat per eas, omni tempore omnes homines credidisse aliquam communionem esse inter Spiritus, & hominum genus: deinde hæc eadem insulsa somnia magis magisque confirmant necessitatem alicujus revelatæ doctrinæ, de qua loquemur in sequentibus. Qui enim fieri posset, ut a tot fabularum, a tot errorum laqueis sese homo propriis viribus expediret? Id omnino sperandum non est; quare Divinæ lucis cælestis quispiam radius hanc dissipet necesse est caliginem tenebricosam.

1521. Nec

1521. Nec vero putetis, istud commercium esse humanæ libertati adversum; facile enim foret prolabi inde in gravissimos errores, quasi tantum Intelligentiæ possent, ut arbitrii jura, quæ integra hominibus reliquit Deus, illæ sibi subjicerent. Spiritus sive boni, sive mali fuerint, possunt quidem consilia hominibus dare sive bona, sive mala: possunt etiam interdum motiones in cerebro excitare, quibus respondere solent certæ quædam cogitationes, at nisi homo libertate sua usus iis consiliis adhæserit, eas cogitationes fovere perrexerit, irritus cedet omnis Spirituum labor.

1522. Quæ sunt hucusque dicta, facile vobis persuadere possunt, non esse adnumerandum impossibilibus, vel imaginariis rebus impium illud commercium, cui scelestissimi nonnulli homines vacare solent cum malis Dæmonibus agentes, qui signis quibusdam ex condicto Dæmonem evocant, cujus opera utuntur, ut mira quædam præstent. Eos *Magos*, *Sagas*, *Veneficos* vulgo appellare solent, neque immerito postremum hoc nomen iis tribuitur, qui potestate Dæmonum frequentius in hominum perniciem abutuntur. Præter rationem omnem perditissimos hujus generis viros, & mulieres esse, negant nonnulli, atque phantasiæ viribus omnia concedere videntur, quæcumque de illis narrantur. Equidem phantasiæ viribus aliquid tale, mulieribus potissimum posse contingere, inficiandum non est; quippe non desunt Historiæ, quæ docent, falso quandoque cum Dæmone agere nonnullos sibi visos esse, qui tantum cum sua phantasia colluctabantur. At videtur mihi plane impudentiam sapere inficiari, nunc quoque accidere aliquando, quod sacræ Ecclesiasticæ, atque profanæ Historiæ repetitis monumentis affirmant, multoties evenisse. Caute itaque legendum est caput decimum opusculi *de viribus phantasiæ humanæ* a Lodovico Muratorio Italica lingua conscripti.

1523. Ego quidem judicare nolo, an in hunc censum vocanda sint ea, quæ præstant, qui nostra ætate *Cabbalistæ* vocantur, qui videlicet arithmeticis nonnullis calculis subductis jactant se & absconditas res detegere,

& futuras posse prospicere. Illud procul dubio certum est, neque numerum esse quidquam præter res numeratas, neque illum per seipsum, neque chartam, neque atramentum, neque calamum vim habere intelligendi. Idcirco seu vera, seu falsa oracula fundant Cabbalistæ, mentem aliquam respondendo necesse est præeide: si ipsi prout libet respondent, sunt impostores: si alia quæpiam Intelligentia, non vacant gravissima impietatis suspicione.

SECTIO ULTIMA.
De Anima Brutorum.

1524. Nescio, an ulla unquam efferbuerit acrior Philosophos inter disceptatio, quam quæ de belluinis animis instituitur. Tam miræ semper omni retro, & præsenti ætati eorum visæ sunt operationes, ita vero abdita, atque altis in penetralibus natura reposita, ut plures cum Nicolajo (*Lez. 13. della Gen. p. 223.*) optimo forsan consilio desperaverint, se esse umquam ejus veram notionem consequuturos, consultiusque duxerint, eam inter naturæ arcana referre, quam in absurda plurima incidere, illius tantum contenti.

Corpora brutorum, quæ sive carentia sensu,
Sive instructa putes, mirare, & Numen adora.

1525. Operosa, nimis & inutilis res esset omnes modo exponere hoc in nodo solvendo Philosophorum conatus, cum apud Anonymum adnotatorem libelli, cui titulus: *Anima brutorum secundum sanioris Philosophiæ canones vindicata*: fuso calamo legantur exposita: sufficiat vobis hic in limine animadvertere, ad quinque classes posse omnia commode reduci. Aliis brutorum anima *principium* est *quoddam spirituale*: aliis merus est quidam *instinctus*: nonnullis certa quædam *substantia corporea*: quibusdam nescio quæ *tertia substantia* spiritum inter, & corpus media: cæteri tandem bruta simplicia, puraque esse *Automata* contendunt.

dunt. Nolim credatis, eamdem omnes trivisse viam in hoc principio spirituali ponendo, quicumque belluarum animam spiritualem tradiderunt. Ex Veteribus ii omnes, qui vel animam mundi, vel mundum ipsum cum Deo turpiter immiscuerunt, animam brutorum spiritualem quidem dixerunt, sed a Deo non distingui autumarunt, juxta Virgilianum illud *Georg. Lib. 4. v. 225.*

. . . . . Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenuem nascentem arcessere vitam.

Metempsycoseos Patroni spiritum quidem belluina informantem corpora agnoverunt, sed transmigrationem ad libitum confictam statuentes ejusdem spiritus modo in humanas, modo in brutales machinas, ita spiritualem illum venditarunt, ut nullum inter homines, & belluas præter organicum corpus discrimen admitterent. Non defuit, qui a Spiritibus Tartareis veluti in ergastulis inclusis motus omnes in bestiis inspectos dixerint produci: quam restauravit opinionem Germanus quidam Bougeant in libro, qui sic inscribitur: *Amusement philosophique sur le langage des Betes*. Ac tandem inter defensores belluini spiritus adnumerandus occurrit D. Lodovicus Barbieri Comes Vicentinus; hic enim licet nullum in belluis principium agnoscat spirituale, contendit tamen, *quod Deus motus, qui in bestiis observantur, ad instar eorum producat, qui fierent ab anima, quæ ab Ipso posset creari, cujusque actio non se extenderet ultra notiones, & inclinationes sensibiles, appetitivas* &c. ut legitur *in hist. litter. Ital. Vol. 6. l. 1. c. 5. p.* 139. Plures tamen ex Recentibus hæc omnia vel execrantes, vel irridentes spiritualem animam in brutis agnoscunt ejusdem naturæ, ac est humana (inspecta nempe spiritualitate), perceptionis, appetitionis, & umbratilis alicujus ratiocinii capacem, quæ cum corpore debeat interire, non quidem per corruptionem, sed per annihilationem.

 1525. De-

1426. Defensores vel naturalis instinctus, vel substantiæ mediæ in bestiis ii omnes fuerunt, qui in Peripatetica Schola enutriti, ut difficillimas explanarent quæstiones ad notiones ambiguas, ad vocabula nec intellecta, nec definita sese receperunt. Contenderunt itaque aliqui, omnia peragi in brutis per instinctum aliquem naturalem: at quid sit istiusmodi instinctus nunquam tradidere. Ex Aristotele vero constat, referente Guerio *Historia crit. T. 2. p.* 189. hanc esse instinctus notionem, *legem* scilicet *quamdam invariabilem Creatoris Dei, ad cujus normam animal quodcumque seriem elicit actionum, quibus propriam vitam semper tueatur*. Opinioni huic plures ex Recentibus subscripserunt, uti Grotius *de jure belli, & pacis Proleg. n. 6.* Gaspar Ziegler *in annot. Grotii*, Sperlingius *l. 1. Instit. Phys. c. 6. p. 3.* Joannes Fridericus Hornius *de subjecto jur. nat. c. 6.* D. Cappella, de quo mentionem facit Nicolaus Toppi *in Bibliotheca Neapolit. p.* 124. Eminentissimus Gerdil *nell' Introd. allo studio della Relig. pag.* 161. aliique. Reliquis autem Peripateticis vis brutorum animans corpora *est substantia quædam materialis*, ipsis Josephi Ferrari recentis in nostra Familia Peripatetici verbis utor, *capax materialis itidem perceptionis, ex intrinsecis suis ordinata ad corpus brutorum per modum formæ substantialis, quæ cum illo constituit unum compositum, eidemque motum, & vitam tribuit*. Hæc est semi-illa substantia, principium illud androgynum, materiale scilicet, & spirituale, quod explicare non valentes, tandem corporeum reddiderunt, & ita nolentes etiam Epicureis, quos refutaverant, nomen dederunt; cum enim per istos, tradente Tullio, nihil sit, quod atomorum turba non præstet: anima etiam belluarum ex minutissimis, & ignitis seminibus constat, nec sensu tamen, nec perceptione, nec umbratili, & imperfecto ratiocinio destituta. Nec desunt inter recentes Epicureos præsertim, qui opinionem hanc tueantur: legi possunt Hjeronymus Junctinius *in annot. ad Poema Philos. Jo. Laurentii Stecchi*, Thomas Willis *de anima brutorum p. 1. c. 2. p.* 14.

p. 14. *&* 15. & P. Pardies specietenus huic adhærens sententiæ, re tamen vera Cartesianismum defendens, & alii quidam pauci.

1527. De systemate *Automaton* dicamus tandem. Quicumque systemati huic patrocinantur, motus omnes, qui in brutis contingunt, non provenire ab anima quapiam cognoscente, aut sentiente, sed tantum a mechanismo corporum brutalium, arbitrantur. Bruta itaque per ipsos mera sunt *automata* organis iis instructa, in quæ objecta sensibilia impingentia tales motus producunt, quibus similes in horologiis, aliisque artefactis machinis conspiciuntur. Quæstio exagitatur modo inter Eruditos de primo hujus systematis inventore; licet enim arbitrati sint plures, omnium primum illud Cartesium excogitasse, tamen cum Guerio *in hist. crit.* & Huetio *in censura Phil. Cartes. c.* 8. *p.* 28. *edit. Paris. ann.* 1689. imo cum ipso Baillet exaratore accuratissimo vitæ Cartesii contendunt, fuisse aliis, & præsertim veteribus Stoicis apprime subodoratum, ut sibi videntur colligere ex Augustino *de quant. animæ c.* 30 & ex Tullio *Tusc. QQ. l.* 1. *&* 4. ex Seneca *epistola* 124. aliisque pluribus: hanc tamen falsam esse opinionem, dilucide, & nervose simul cit. anonym. Adnotator ostendit *a p.* 258. *usque ad* 278. præsertim si de Stoicis sermo sit, *quibus*, ut inquit Laertius in Zenone, *a Deo, idest mundi anima, anima hæc* (brutorum non secus, ac hominum) *est*. Legatur propterea prædictus Auctor; omnia enim referre superfluum modo esset. Veteribus tamen relictis, arbitrati sunt plures cum Vossio *de origine, & progressu Idololatriæ l.* 3. *c.* 41. *pag.* 398. quos inter P. Ferrari *in Phys. part.* 2. P. Fortunatus a Brixia *in Phys. part. p.* 2. *sect.* 3. *n.* 4336. ac Baylius *in Dict. crit. T.* 3. *art. Pereira*, aliique, Gometium quemdam Pereiram Philosophum, ac Medicum Hispanum hoc systema primum omnium cudisse, ob opus 30. annis a se elaboratum, quod ab Antonii, & Margaritæ parentum suorum nominibus *Antonianam Margaritam* inscripsit, & ob apologiam hujusmet libelli, in quibus libris systema suum de automatibus bel-

luinis contra Michaelem a Palacios Theologum Salmaticensem tuetur. Verum cum contendat quidem Philosophus iste, *omnes motus belluarum*, ut Vossius loco inquit citato, *non fieri a brutis videntibus, aut audientibus, aut gustantibus, seu per quemcumque alium sensum exteriorem, seu interiorem vitaliter sensifice immutatis*, sed simul asserat, ut Vossius ait ibidem, *ea, quæ nos facultati sensitivæ tribuimus, proficisci a quadam sympathia, & antipathia*, a quibus tantopere abhorruit Cartesius, qui per leges tantum mechanicas omnia vult esse explicanda, patet optimo, meritoque jure systematis hujus Cartesium vel inventorem primum, vel certe adornatorem extitisse. His præmissis, videndum modo superest 1. utrum bruta mera sint automata, vel eorum potius operationes ab aliquo animante principio derivent: 2. autem utrum hæc anima spiritualis potius, quam materialis sit statuenda naturæ; quæ enim ad instinctum illum, vel formam pertinent substantialem, videntur nobis in propriis vocabulorum tenebris sepelienda.

1528. Antequam tamen rem omnem aggrediamur, quoniam quamplures sunt, qui Peripateticis nimium addicti principiis, ut propria queant absurda probare, ad Scripturas statim se recipiunt, earumque sensus intorquendo, & invertendo Aristotelicis forsan absurdis accommodant, sicque a Stagyritis recedentes non indignos tantum Philosophi, sed & Christiani nominis honore traducunt, ideo cum quæ usuvenire solent, in hoc etiam liceat conspicere, sed non a Peripateticis tantum, verum & ab eorum Adversariis perpetratum; ideo, ut erroris larva etiam quæcumque in materia saltem Religionis semper a nostris Scholis, Deo dante, quantum in nobis est, exulet, operæ pretium ducimus ostendere, quid possit ex Scripturis desumi pro brutalium animorum assequenda natura.

PRO-

1529. PROPOSITIO.

Nihil potest erui ex Scripturis, quod vel materiali, vel spirituali belluini animi naturæ aliquo pacto faveat.

Testimonia proferuntur, quæ materialem brutorum animam videntur ostendere.

1530. OB. 1. ex P. Fortunato a Brixia *Phys. Part. p. 2. sect. 3. prop. 2.* In Genesi *c. 1. v. 24.* legimus: *producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.* Ejus igitur est naturæ anima belluarum, ut vis a supremo Opifice telluri insita, adeoque pure corporea eam producere potuerit: certum est autem, substantiam spiritualem a vi corporea minime posse produci; ergo &c.

1531. Confirmatur ex plane diverso loquendi modo, quo Moses usus est in exprimenda, nobisque indicanda prima hominis, & reliquorum animalium formatione; loquens enim ille de generatione belluarum, ait, *jussisse Deum, ut terra produceret animam viventem in genere suo, jumenta, reptilia* &c. loquens vero de formatione hominis, non ait, Deum tunc quoque jussisse, ut terra, vel aqua, aut aer illius animam produceret, sed dixit, *Deum ipsum inspirasse in ejus faciem* (scilicet hominis) *spiraculum vitæ*, nempe animam: atque hinc *factum esse hominem in animam viventem* (*c. 2. v. 7.*); anima ergo belluarum, & anima hominis plane differunt inter se, quemadmodum omnino diversus fuit modus, quo suam illæ originem habuerunt. Certum est autem, animam hominis esse spiritualem. Ergo anima belluarum est materialis.

1432. Resp. verba SS. Scripturarum, ubi de rebus agitur philosophicis non esse nimium urgenda; Deus enim utilia magis, quam subtilia voluit homines edocere. Quod profecto ex hac eadem allata auctoritate manife-

stum sit; ponamus enim, in sensu arcto, & philosophico ea verba esse intelligenda: igitur & quoad corpus, & quoad animam ex terra, & ex aquis fuerunt animalia efformata; ex præexistente igitur materia. Ergo (en primum absurdum) mundus etiam iste non creationis est opus, sed modificationis tantum præexistentis, rudis, & informis materialis substantiæ; licet enim dicat Moses de mundi loquens efformatione: *in principio creavit Deus Cælum, & Terram*, tamen tò *creavit* non productionem ex nihilo, sed modificationem materiæ valet etiam significare; etenim licet Scriptura post citata verba dicat *v. 21. creavitque Deus Cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem*, tamen non vera creatio ibi innuitur, sed modificatio tantum præexistentis materiæ.

1533. Nec respondere juvat, esse aliter Scripturam interpretandam, quoties sensus aliquis corollaria præbeat, quæ sint evidenter rectæ rationi contraria, quod profecto eveniret, nisi veram creationem cæli, & terræ in allatis verbis intelligeremus. Non juvat, inquam; absurda enim plurima consequerentur quoque ex alio litterali sensu Scripturarum; sequeretur enim, terræ, & aquis talem inesse vim, qua possint & organica corpora, & eorum animam producere, quod certe Philosophorum nullus, ac præsertim recentum unquam dabit, cum nihil ab eo possit oriri, in quo effectus perfectio non reperitur.

1534. In sensu igitur aliquantisper lato, qui tamen conformis sit Scripturarum sensui, & rectæ rationi sunt ea verba intelligenda, *quod scilicet*, ut inquit Benedictus Pererius *Comm. in Gen. l. 1. cum aqua sit naturalis piscium locus habitationis, generationis, & conservationis, extra quem nec gigni, nec bene habere, nec naturales actiones suas exercere, nec vitam tueri queunt*, ideo dicuntur terra, & aquæ jumenta, & reptilia produxisse. Et sane, quæ ratio valet de animabus animalium terrestrium, ea quoque militat pro piscium anima; eadem enim per Fortunatum *loco citato hyp. 5.* materialis anima in omnibus statuitur: at quando divinus Scriptor productio-

ctionem narrat illorum, non inquit, terram eorum animam produxisse, sed tantum corpora, quæ erant ab anima informanda; ait enim: *dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viventis*: non vero ipsam animam; igitur patet, quod illud *producat* &c. *non denotat*, ut inquit loco citato Pererius, *vim activam, & effectricem animalium ..... Non enim credibile est, Terram capacem esse tantæ virtutis, ut per se animalia cujuslibet generis generare queat. Denotat igitur tantum materiem, e qua postea per omnipotentem Dei vim facta sunt animalia. Denotat etiam, terram esse locum naturalem ejusmodi animalium, in quo nimirum generantur, aluntur, & conservantur. Itaque nonnulli hebraice scientes existimant, illud producat positum esse phrasi hebraica pro eo quod producantur ex terra, vel producantur in terra.*

1535. Ad confirmationem. Diverso quidem modo loquitur Moses de hominis, & belluarum formatione: at quid inde? diversa est ergo eorum anima? non ita sane; novimus enim de eodem subjecto loqui aliquando Scripturas, & tamen diverso modo: sic in Genesi legimus: *omnis caro corruperat viam suam*. Hic per carnem totus homo intelligitur. In Genesi pariter habemus: *omnes animæ, quæ egressæ sunt de fœmoribus Jacob, &c.* & sermo hic habetur de homine: & tamen caro, & anima hominis idem non sunt. Imo ut intelligatis, non esse vocabula quæcumque in Scripturis adhibita rigorose urgenda, animadvertite, quæso, quod ubi de anima tantum rigorose loquendo sermo est, quæ duntaxat est capax peccati, ibi vocabulum carnis usurpatur: ubi vero de corpore agitur, quod solum per generationem traduci valet, vocabulum animæ adhibetur. Si tamen vellemus rationem aliquam afferre diversæ illius a Fortunato allatæ elocutionis, possemus reponere, quod cum prima quæstio de materialitate, vel spiritualitate belluinæ animæ mere philosophica sit: 2. vero de anima hominis Fidem respiciat, ideo Divinus Auctor fideles volens homines efficere, non vero Philosophos, ita loquutus est de anima belluarum, sicuti vulgo videbatur,

stri-

stricto vero, & rigoroso in sensu de anima hominis, ne quis error in Fidem irreperet, verba fecit.

1536. Obj. 2. ex eodem. Interdicens Deus Hebræis esum sanguinis illorum animalium, quibus vesci iisdem permittebatur, hanc unam affert rationem, quia brutorum animantium sanguis ab eorum anima nequaquam distinguitur. En Legis verba. *Homo quilibet de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eum de populo suo, quia anima carnis in sanguine est* (Levitici c. 17. v. 10. & 11.) sive, ut vertunt LXX. *quia anima omnis carnis sanguis ejus est*; ergo &c.

1437. Resp. Aut verba ista sunt per Fortunatum philosophico in sensu sumenda, aut secundum vulgarem hominum locutionem. Si primum, corrigat, quæso, propositionem illam, qua in Metaphysica asseruit, hominis animam esse spiritualem; ut enim argumentatur S. Augustinus *l. 3. QQ. in Lev. q.* 56. Divinus Scriptor non inquit: *anima omnis carnis pecoris sanguis ejus est, sed anima, inquit, omnis carnis sanguis ejus est. In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur*. Si ergo etiam anima hominis est sanguis; ergo nihil habet homo jumento amplius: quod cum sit absurdum, sinat, quæso, in hoc etiam testimonio nos illam usitatissimam loquendi phrasim in Scripturis agnoscere, quæ est vulgi captui accomodata. Igitur Augustino duce allatum testimonium est accipiendum vel de temporali vita animalium, aut secundum tropicam significationem; ut enim inquit loco citato: *sanguis pro vita corporis sumitur, quia per sanguinem potissimum in hac vita vivitur, qui in omnibus venis, & corporis junctura diffunditur: unde vita ista temporalis maxime sanguine continetur*: quo in sensu loquens Apostolus de corporis vita hujus sæculi, sive de proprio sanguine, quem pro Apostolico implendo ministerio, propagandoque Christi nomine fundere non verebatur, inquit in actis Apostolorum: *non facio animam meam pretiosiorem quam me*. Possunt etiam

lau-

laudata verba intelligi secundum tropicam significationem eo pacto, quo *Gen.* 41. *v.* 26. *septem spicæ*, *septem anni dicuntur* : & *Corint.* 10. *v.* 4. Christus dicitur *Petra*. Quapropter prosequitur loco citato Augustinus : *sanguis animam significat*, *quia sicut anima inter res invisibiles principatum tenet*, *ita sanguis prævalet inter res visibiles*, *adeoque melius anima significatur per sanguinem*. Quocumque vero in sensu testimonium illud usurpetur, nequaquam materiali brutorum animæ favet.

1538. Urget P. Fortunatus probando, in philosophico sensu esse allata verba usurpanda; licet enim possit testimonium illud etiam ad homines extendi, attamen cum de belluina tantummodo carne Moses eo loci fuerit loquutus, de belluarum anima tantum verba quoque tunc fecisse, dicendum est.

1439. Resp. Egregius profecto est hic Scripturas interpretandi modus. Dum Scripturarum verba assertæ favent sententiæ, ad apicem usque, imo usque ad nauseam sunt urgenda : dum vero eidem adversantur, benigne sunt interpretanda. Prius igitur loquitur quidem Scriptura de esu carnium belluarum : at rationem afferens interdicti illius, ex omnibus animantibus rationem desumit dicens : *quia anima omnis carnis sanguis ejus est*. Aut igitur ea Augustini argumentatio quid roboris habet, vel omni prorsus destituitur : non secundum, ut patet; ergo primum.

1540. Ob. 3. Si belluarum anima esset spiritualis, cogitaret : non cogitat autem; *in psal.* enim 31. *&* 38. inquit David : *nolite fieri sicut equus*, *&* *mulus*, *quibus non est intellectus*. *Homo*, *cum in honore esset*, *non intellexit*, *comparatus est jumentis insipientibus*, *&* *similis factus est illis*.

1541. Resp. neg. min. ad prob. dicimus, non semper vocem *intellectus* usurpari in Scripturis pro facultate intelligendi, sed aliquando, imo persæpe pro uberiori illo lumine, quo humanæ mentes perfunduntur ad Divina intelligenda, ad probitatis leges assequendas, & ad vera a falsis, ab honestis turpia secernenda. Innumera

pro

pro hac veritate confirmanda possent exempla proferri; sed unum, vel alterum sufficiat. *Intellectum*, inquit Dominus Davidi, *tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris* (*Ps.* 31.). *Da mihi intellectum*, David ipse inquiebat Deo, *ut sciam testimonia tua*: quod sæpe repetit *Ps.* 118. Rogantibus Christum Apostolis, ut quamdam explicaret parabolam, respondit *Matt.* 15. *v.* 16. idem Christus: *adhuc & vos sine intellectu estis*. At nunquid & David, & Apostoli ea, quæ intelligendi dicitur, præditi non erant facultate? Intellectus ergo aliquando sumitur in Scripturis pro participatione sapientiæ Dei ad ea efficienda, quæ superius tradidimus. Hoc autem duntaxat in sensu esse testimonium illud intelligendum, patet manifestissime; non enim homo, nisi metamorphoseon subeat, valet intellectu, seu facultate intelligendi privari: at ea orbaretur, si philosophico in sensu ea verba sumerentur, & vero intellectu essent bruta destituta, ut patet; igitur .... Sed antequam veram, & clarissimam conclusionem eliciamus, animadvertite, admonere Deum homines, ne sicut bruta intellectu priventur, & eo quidem intellectu, quem Davidi *v.* 8. *immediate præcedenti* ipse spoponderat dicens: *intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos*. At ibi Deus non promisit Davidi intelligendi facultatem, sed tantum uberius lumen; ergo in sequenti etiam versiculo hunc intellectum admonet cum Davide homines cæteros, ne amittant. Igitur, concludam solidius cum Augustino *ennarr. in ps.* 103. *sunt aliæ creaturæ, quæ non possunt fieri participes sapientiæ Dei, sicuti omnes bestiæ ...... Non ergo exigit Deus intellectum de equo, & mulo, sed hominibus dicit: nolite &c. Quod equo natura est, homini crimen est. Hoc ergo dicit Deus: non exigo participationem sapientiæ meæ ab iis, quæ non feci ad imaginem meam, sed ubi feci, inde exigo, & usum ejus rei postulo, quam donavi. Homines ergo reddentes Deo, quæ Dei sunt, reddentes Deo imaginem suam, erigunt ipsam mentem suam non ad se, sed ad Artificem*

suum,

suum, & ad Lumen, unde sunt, & unde recedentes contenebrantur. Sensus itaque verborum illorum est, scribit Card. Toletus *serm.* 11. *in Ps.* 31. *Nolite dari passionibus, & appetitionibus carnis, & sensus: sed ratione, & intellectu in iis, quæ agitis, non faciatis quod caro, & sensus appetit, non quo vos passio impellit, sed quod intellectus, & ratio dictat. Qui illud facit, sicut equus, & mulus est, qui similiter fertur.*

1542. Hæc ea sunt, quæ pro materialitate belluini animi a Peripateticis, & a quibusdam Recentibus afferuntur. His vero solutis, inspiciamus, num meliora proferant, qui spiritualem illum esse contendunt.

Testimonia Scripturarum, quæ spiritualismo belluarum videntur favere, exponuntur.

1543. Ob. 1. ex anonymo citato Scriptore *lib. Anima belluarum* &c. Nomen spiritus æque belluarum, ac hominum animis tribuitur in Scripturis: sic Moses loquens de diluvio ait, *interfectam fuisse omnem carnem, in qua erat spiritus vitæ*. Et in Ecclesiaste legitur: *quis novit si spiritus filiorum Adæ ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quibus positis, ita argumentatur Cl. Auctor: aut nomen spiritus in allatis testimoniis veram, propriamque indicat substantiam spiritualem, vel contra? Si primum; ergo cum eodem modo belluis æque, ac hominibus illud tribuatur, belluæ non secus, ac homines spirituali anima ex Scripturis donantur: si secundum; ergo anima hominis non est spiritualis.

1544. Resp. Miramur quidem Cl. Virum, qui *in Dialago 6.* testimonia exponens, quæ materiali brutorum animæ faveri videntur, deprædicat ubique, non esse Scripturas in rebus philosophicis admodum arcte exponendas, eumdem postea, ubi sibi visæ sunt Scripturæ patrocinari, ita pro litterali sensu dimicare, quasi ignoret, nomen spiritus etiam inanimatis materialibus rebus tribui in Divinis oraculis. Audiatur quicumque sit Auctor operis *de cognit. vera vitæ*, quod sub Augustini nomine circumfertur. *Sex modis in scripturis Spiritus appellatur,*

ut

ut ibi : Spiritus est Deus , & qui adorant eum in spiritu oportet adorare . 2. *Angeli spiritus dicuntur , ut ibi : qui facit Angelos suos Spiritus .* 3. *Animæ Spiritus nuncupantur , ut ibi : exibit Spiritus ejus , & caro revertetur in terram .* 4. *Vita brutorum animalium Spiritus vocatur , ut ibi : quis scit , si spiritus jumentorum descendat deorsum .* 5. *Venti dicuntur spiritus , ut ibi : spiritus procellarum .* 6. *Aer scribitur spiritus , ut ibi : os meum aperui , & attraxi spiritum .* Si ergo in Scripturis vocabulum spiritus promiscue & veris spiritibus , & rebus etiam minime spiritualibus tribuitur , eccur tam confidenter sumit Auctor Cl. ibi nomine spiritus veram in sensu philosophico spiritualem substantiam designari.

1545. Ipsa profecto Scripturarum dogmata a litterali sensu testimonii allati esse recedendum , manifeste innuunt ; si enim eodem modo , quemadmodum ipse contendit , spiritus vitæ hominibus adjudicatur , & belluis , veramque significat substantiam spiritualem ; ergo cum spiritus hominis cogitet , & ratiocinetur non de sensibilibus tantum , verum etiam de abstractis , supernaturalibus & insensibilibus , talis quoque erit anima brutorum , quippe quod non videam , cur argumentum , quod Auctor citatus proponit , siquid probet , non possit æque a nobis urgeri . At ipse contendit , quod certum est , animam nempe belluinam quacumque Dei cognitione destitui ; ergo allata testimonia nil minus probant , quam brutalis animæ spiritualitatem : quod præsertim patet de testimonio Ecclesiastis ; semel enim dato , testimonium illud ex propria Salomonis mente esse depromptum , aut litterali in sensu esse accipiendum , viderit , quæso , qui talia tuetur , quot possint ex illo contra Fidem deduci : nihil ibi dicitur habere homo jumento amplius , & æqua esse utriusque conditio ; *sicut enim moritur homo , sic & illa moriuntur .*

1546. Igitur spiritus ille vitæ , qui æque in testimonio allato hominibus tribuitur, & belluis , vere convenit utrisque , & ideo non est cur anonymus inquirat Scriptor , cur eadem loquendi phrasi Scriptura utatur . At neque

que in hominibus, neque in belluis spiritualem indicat substantiam, sed vel respirationem, quæ indicium præbet præcipuum vitæ animalium, vel substantiam illam, quæ spirituum vitalium nomine donatur, fitque in cerebro ex puriori, ac vivaciori sanguinis substantia. Hinc S. Augustinus *q. 9. in Gen.* eam veluti meliorem commendat versionem, in qua loco spiritus *flatus* ponitur, & Paraphrasis Chaldaica hæc habet, *omnia, in quibus est spiraculum spiritus vitæ in naribus suis .... mortua sunt*. Auctor etiam libri *de spiritu, & anima cap. 33.* priori subscribens expositioni *spiritum*, inquit, *corporeum voco aerem, vel potius ignem, qui præ sui subtilitate videri non potest, & corpora interius vegetando vivificat*. At veræ, vel falsæ sint expositiones hujusmodi, nobis sufficit, nomine spiritus vitæ intelligi non posse substantiam spiritualem.

1547. Ob. 2. ex eodem. Ea in Scripturis belluis tribuuntur, quæ nonnisi facultate præditis cognoscitivam queunt adjudicari: cognoscere autem nequit, nisi substantia spiritualis; ergo &c. prob. maj. Tobiæ c. 11. dicitur. *Tunc præcucurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat*. Isaiæ *c. 1. cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Jeremiæ *c. 8. milvus in cælo cognovit tempus suum. Turtur, & hyrundo, & cyconia custodierunt tempus adventus sui*. Proverbiorum *c. 6. vade ad formicam, o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam: cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum, & congregat in messe, quod comedat*. Matthæi 10. *estote ergo prudentes sicut serpentes*. Quibus hæc addi possunt Proverbiorum *c. 30 quatuor sunt minima terræ; scilicet formica, yepusculus, locusta, & stellio, & ipsa sunt sapientiora sapientibus*. Pluries in Scripturis possunt conspici punitæ belluæ propter crimen aliquod, *Exodi c. 21.* sic etiam bellua homicidii rea, vel quæ crimini infando instrumentum se præbuerit, ut legitur *Lev. c. 20.* morte mulctabitur. *Exodi* similiter 23 imperat Deus requiem sabathi non

homi-

hominibus tantum, sed etiam brutis. In Ægypto eodem supplicio affecti sunt majores natu filii non hominum solum, sed etiam bestiarum: ex hisce autem omnibus, & innumeris aliis, quæ prætermittimus, optime colligitur, cognitionem aliquam inesse belluis; ergo &c.

1548. Resp. Non inficiamur operationes belluarum non leve, imo maximum præbere nobis argumentum agnoscendi in ipsis principium aliquod spirituale harum actionum efficiens; sed ut propositio aliqua ex Scripturis, vel ex alio quocumque auctore educatur, non sufficit, ut major, vel minor expressis verbis in ipsis reperiatur, requiritur insuper, quod ambæ syllogismi præmissæ ejusdem sint auctoris, alias non ejusdem potius, quam nostra dici posset conclusio (n. 984.). Sic in casu de quo agimus: belluæ, inquit cit. Auctor, cognoscunt, ut patet ex Scripturis: cognitio nequit materiæ tribui; ergo earum anima est spiritualis. Possent Adversarii libenter majorem concedere, quæ tamen, ut infra dicemus, suam patitur interpretationem: at cum minor in Scripturis non reperiatur, conclusio non Scripturarum est, sed nostra. Et sane, si consequentia illa vere Scripturarum esset, dogma constitueret Fidei, quod Catholicorum nemo unquam dabit.

1549. Satis, superque argumento allato hæc responsio facit, verum penitius inspiciamus, quæ possint ex citatis erui testimoniis. Profecto si Scripturæ veram ibi vellent innuere cognitionem inesse brutis, nimis certe argumentum probaret; probaret enim, ipsa non tantum esse cognitionis capacia circa res sensibiles, sed & illius cognitionis, quæ insensibilia respicit, quæ nempe ad leges pertinet honestatis, justitiæ, Divinitatis &c. non enim possunt belluæ justo ob crimen supplicio plecti, cujus nullam habent ideam: nequeunt autem ideam habere moralis mali, nisi & notionem habeant legis. Hinc sequitur etiam, esse ipsa meriti, vel demeriti capacia. Probaret, eas non dicam hominibus in cognoscendo æquales, sed & ipsis multo superiores, alias ad ipsas veluti ad magistras isti non mitterentur. Innumera proba-

barentur absurda, ut ex sola patet testimoniorum illorum lectione; cum ergo hæc omnia absurda sint, cognoscitur manifestissime, nihil posse ex Scripturis erui, quod spiritualitati belluini animi queat aliquo pacto favere. Potest itaque Fortunatus optime reponere, verba illa esse exponenda (aut saltem exponi posse) non de interna, & propria cognitione, sed de externa tantummodo, & apparenti: videlicet cognitionem belluis tribui in Divina Scriptura, non quia ejusmodi illæ sint, ut vere, proprieque cognoscant, sed quia ita operantur, seque gerunt extrinsecus, ac si a cognoscitivo principio interno dirigerentur.

1550. *Corollarium*. Cum hæc ea sint, quæ pro utraque afferuntur sententia, omniaque, ut mihi videor, ita exposuerim, quemadmodum videbatur requirere Divini sensus eloquii, patet manifestissime, quam egregie fuerit Muratorius locutus in opusculo *de Ingen. moder. l. 1. c.* 21. dum inquit. *Profecto cum præteritis temporibus, tum nostris potissimum non defuere, nec desunt homines, quibus familiare est profanas disciplinas, atque sententias quasi verbis Divinis infestas, atque contrarias insectari, & proscindere internecino odio perpetuis clamoribus. Siquid novi Physica, aut astrorum scientia, aut ars medica, aut eruditio profana adfert, istud hominum genus mille pericula continuo timet Sanctissimæ Religioni, & certis Fidei decretis. Solliciti ergo nullum non movent lapidem, quo auctores novarum opinionum, licet nihil rei cum S. Religione habentium, infament, eorumque libros dilacerent, proscribant, & supremis Ecclesiæ Tribunalibus configendos exhibeant. Et eorum zelus utique laudandus, modo tamen sit secundum scientiam, & cautis gressibus procedat; deplorandum enim est, si errores, ubi non erant, somniet, si illic pericula confingat, unde nihil mali effluere potest, & injustos, neque necessarios compedes injicere velit naturali humanarum mentium libertati. Et revera non animadvertunt interdum docti pariter, piique viri, se unius Aristotelis causam agere, cum Religio-*

gio-

gionis causam tueri videntur, Peripatetica Philosophia capti, atque distenti, quidquid ab ista abhorret, continuo falsum ducunt. Tantum nempe amoris, & venerationis huic uni scriptori, aliisque antiquis auctoribus præjudicata opinio comparavit. Hæc omnia, repetam, longius fortassis, quam par erat, protuli, ut intelligatis, quorsum evadat quorumdam audacia, qui non verentur, quam statuemus, propositionem Fidei, & Religioni, quibus nihil sanctius valet unquam reperiri, veluti contrariam traducere. Rem omnem modo exordiamur.

HYPOTHESIS I.

1551. Veluti certo falsam supponimus opinionem illam Bougeantii, corpora nempe brutorum a Dæmonibus in ipsa detrusis animari; ridicula enim est, & nullo fulcitur probabili fundamento.

HYPOTHESIS II.

1552. Certum sumo, bruta omnia ejusdem, quoad animam eorum efficientem operationes, esse conditionis, scilicet aut omnia esse mera, & simplicia *automata*, vel omnia materiali, aut spirituali anima donari. Etenim ultraquamquod eodem pacto loquitur Moses de productione omnium belluarum (n. 1530.), insolubilis insuper, ac infinita, si ita loqui fas est, ferme evaderet hæc quæstio, si diversa anima quamcumque brutorum speciem crederemus informari, cum nec omnes eorumdem species sint nobis notæ, & aliunde certi simus, eas esse propemodum infinitas. Quibus si addamus, mirabilem æque in omnibus esse & corporis organizationem, & modum operandi, nihil nos coget ad statuendam in diversis brutorum speciebus animam diversam. Igitur, ut inquit Cl. Polignachius v. 548.

Cun-

Cunctarum tamen similis est natura ferarum:
Omnibus, aut nullis mens est: si mentis honores
Concedas aquilis, & habebunt ostrea mentem.

1553. PROPOSITIO I.

Bruta nequeunt esse automata quædam mere materialia.

1554. PRob. Et primo quidem, semel dato operationes omnes belluarum ex vi mechanica, non secus ac in horologiis, a nullo imperari intrinsecus dirigente principio, quis me certiorem reddet, me nonnisi cum automate, cum horologio, cum machina modo non disputare? Sane inficiari non poterunt Cartesiani, non omnem suam potentiam, atque sapientiam impendisse Deum in simiæ, aut in elephantis automatibus efformandis. Poterat igitur talem etiam machinam construere, quæ operationes omnes referret hominum; eccur igitur credam potius, motus tuos, Lector optime, a sapientia magna, a perspicacitate summa dirigi, quam a calybe quodam interno, a rotulis quibusdam, a machinis ita affabre elaboratis, ut in hoc tantum ab horologiis discrepes, quia illa elaterii restitutione interdum, & periodice egent, Tu vero interdum quidem, at irregulariter indiges? Non me latet, se Cartesianos recipere, vel ad fidem Divinam, vel ad intimam conscientiam, quibus certiores reddimur, ab interno animante principio actiones nostras & moderari, & regi. At intima conscientia testimonium tantum mihi præbet animæ meæ rationalis: aliorum vero perscrutari non possumus nisi interrogando & inquirendo, utrum meo simile reperiatur in ipsis actionum externarum efficiens principium: ita vero esse, cum alii in respondendo non hæreant, illuc redit, unde mea discessit oratio, eccur scilicet, semper quæram, responsio illa ab automate tantum materiali non poterit oriri? Quod vero pertinet ad Fidem, frigidum illud, ac plumbeum est; Fides enim duntaxat docet, veros, & reales homines anima gaudere rationali: at undenam re-

rescire potero, Petrum ex. gr. verum esse vivens; non autem machinam quamdam imaginem hominis ad amussim referentem? Nunquid hoc Fides innuit, hoc Revelatio docet? Posito igitur &c.

1555. His tamen omissis, videamus tantum, utrum, qui claras, distinctasque ideas rudibus, & imperitis venditant, philosophentur modo ex ideis hominum, an machinarum potius. Quis unquam sibi persuaserit, cute cani detracta, contorqueri illum, angi, dentibus fremere, clamores emittere sine ullo vel doloris sensu, vel saltem mæroris, sed non secus, ac plantam cruore perfundi, cui cortex detrahatur? Sinite, ut cum P. Pardies ratiociner in italico opusculo, cujus titulus latine redditus sic se habet: *de anima belluarum. Belluæ, si eos audiamus, non sunt nisi machinulæ ab elaterio, viribusque mechanicis motæ. Arteriarum pulsus tam nobis earum vitam indicat, quam sonus indicet horologii. ... Anxius sit canis, qui proprium Dominum amisit, tripudiet quantumvis, ipso adinvento, non exinde gaudet, non mæret, imo nec suum agnoscit Dominum. Micat oculis, & non cernit: voci obtemperat, sed non audit, ita ut hos omnes conspiciendo motus, itus hosce, molestosque reditus, saltus, blanditias, quibus lætitiam suam pandere velle videtur; non ideo tamen majores affectus, animique sensus ei possumus tribuere, quam magneticæ cuspidi, dum anxie polum quærere, in eoque adinvenire quietem apparet. Præterea dicunt, quod sauciatus canis non tangitur dolore, & quantumvis ejulet, machina illius tantum movetur, sensus indicia non majora præbens, quam tympani rumor, aut non uncti plaustri stridor; quapropter sævitiæ immerito ii accusantur, qui bestias interficiunt.*

1556. *Sed, ut verum fatear, male quidem agimus, mirandas hasce machinas solvendo, non tamen magis desævimus, quam si Raphaelis tabulam, vel aliud quodlibet perpulchrum antiquitatis opus crudeliter in frustula conciderremus. Sic etiam dum cæsa bestia nos mordet, arbitramur ipsam furore vel ultionis stimulo tactam: sed stulti sumus non secus ac simplices illi incolæ Gnidi, qui saxa frangentes*

tes, ut isthmum perforarent, seu rupem mare dividentem, destiterunt statim.; cum enim fragmenta saxi faciem peterent, non dubitaverunt amplius, quin eorum consilio mons indignatus vellet ulcisci ipsis eruendo oculos : & hinc Oraculum consuluerunt de modo reintegrandi foederis cum lapide, qui certe nihil contra eos moliebatur (Erodotus l. 1.). At nonne hæc manifeste ostendunt, cæcitatem hanc esse Cartesianarum mentium exortam a nimia illa, acutaque luce, qua perfunduntur in claris, distinctisque ideis excipiendis? Ne tamen nobiscum conquerantur, quasi nullam videant claram, perspicuamque demonstrationem, quæ funditus eorumdem sententiam convellat, oculos, quæso, injiciamus in quasdam brutorum operationes, quæ certe a machina industria etiam, ac sagacitate summa elaborata provenire non possunt. Verum ne operationes illas recensendo, quæ vestros quotidie ob oculos sunt, æquo tædio vos afficiam, animos omnium recreabit, ut puto, elegantia maxima Eminentissimi de Polignac, qui *l. 6. Anti-Lucretii* magna parvis mirifice componens haice belluarum refert actiones.

Quondam inter milvos fuit audacissimus unus
Imbelles anteac solitus vexare columbas.
Hic tandem aut fato, aut famæ melioris amore
Dedignatus aves timidas, prædamque fugacem
Alituum regnantem aquilam ad certamen iniquum
Provocat, & rostro, & penna bis, terque lacessit.
Sprevit principio malesanos alitis ausus,
Nec minus incæpto per nubes illa volatu
Institit: at reducem rursum temerarius urget,
Plumaque avulsa circumfert ore trophæum.
Plus æquo tunc visa sibi tolerasse, procacem
Occupat, & vitæ parcens, in rupe relinquit
Implumem. Hic quid agat? non occubuisse pudori est:
Non animos posuit tamen, at nudatus, & algens
Ulcisci meditatur. Ibi sub tegmine quodam
Vermiculis pastus simul artus nutrit, & iras,
Dum redeat vigor, atque levis reparetur amictus.

Adfuit expectata dies: juvat ire per auras,
Magnanimamque nimis, si non vi, at fraudibus hostem
Debellare: dolo virtus se victa tuetur.
Pons erat undarum conflictu exesus, & annis,
In medioque trabes corrosas inter hiatus:
Hunc sibi pro laqueo, pro retibus eligit ultor,
Vindictæque locum, siqua fortuna juvabit,
Destinat. Ingreditur primum pedes, utque capacem
Agnovit, caute tentat penetrare volando:
Inde intrat præceps, ac totus concitus alis:
Quod cum sæpe, diuque, omnique ex parte probavit,
Erigitur cœlo, & victricem quærit in auras.
Ergo insultanti similis sese obvius infert
Indignanti aquilæ: venit ipsa, paratque rebellem
Aut iterum spoliare, aut certæ tradere morti.
Ad notum refugit vafer insidiator hiatum,
Et vix transiliit, cum desuper impete rapta
(Urget enim cæcus furor, & spes proxima prædæ)
Angustum in spatium ruit, atque impingitur ultro
Infelix aquila, & pennis luctantibus hæret,
Corpore dimidio jam prætergressa meatum.
Advolat è latebris milvus, pœnamque reposcens
Vellicat elisæ plumas, ultusque recedit.

1557. Libenter modo prætermittimus, quæ de reliquis non sagacioribus tantum, verum & stupidioribus enarrat brutis animantibus; ut enim inquit ipse:

Et quid non elephas, quid mimo simia gestu
Non præstat? Vafra & felis, saltator & ursus?
Lucifuga enutrit truncatos noctua mures,
Ne fugiant, prædamque sibi, gnatisque saginat.

1558. Omittimus formicarum industriam, earumque labores: societatem pariter, leges, regnum, regemque omittimus apum: & quod maximum probationi præberet robur, nunc itidem prætermittimus, earum scilicet *sexangula horrea ductilibus effecta ceris, quæ musivum*

cre-

crederes opus comtum ordine Dedalæo , vel in ipsis ædificandis omnes Euclidem adhibuisse figuras : hisce omnibus , inquam , silentio prætermissis , tria tantum afferam , quæ invicte probant , evidenterque demonstrant , non a mechanicis quibusdam legibus , sed a mente tantum quadam rationis luce donata operationes saltem aliquas brutorum provenire . Recensens Vanierius in suo *Prædio rustico* curam omnem apum , industriamque in suis horreis , casisque nitide perpoliendis , hoc vere mirabile enarrat facinus lib. 14.

Excubias vigilum fallens , impune penates
Cum semel intrasset Limax cornutus , eosque
Turparet fluidæ crasso lentore salivæ :
Obstupuere domi-gerulum , stimulisque frequentes
Invasere fero retrahentem corpus ab ictu ,
Seque suæ vallo testæ ; spumisque tegentem .
Irrita jam cum tela forent , apis advocat artes
Ingeniosa suas , & ceræ prodiga totam
Incrustat cochleam , monstrum fatale recondens
Hoc veluti tumulo , ne tetrum afflaret odorem ;

1559. Huic simile recenset P. Scotti in sua *phys. p. 2. l. 9. p.* 2008. scilicet , *quod nonnullæ hyrundines indignatæ aspiciendo passerem contumacem possessorem unius ex earum nidis , turmatim concurrerunt super nidum cum jugulo pleno luto , ut hiatum clauderent , sicque usurpatorem suffocarent .* Missa tamen hæc facientes , binas alias exponamus assiduas observationes , ut mea fides tandem solvatur . Cani fame correpto ostendas , quæso , a longe frustulum panis : ad panem currit . Idem secundo , & tertio videbis ab ipso præstari , si eamdem escam eidem cani , loco etiam non mutato , ostenderis . Quarta autem vice loco panis saxum in manu teneas , canis decipietur , illudque nitetur arripere . Fac idem quinta vice , & secundum intueberis canis errorem . At si sexta , vel septima vice lapidem tenens iterum manu idem tentaveris , frustraneum certe reddes conatum . Relicto cane ,

ne, modo equum animal familiarissimum inspiciamus. *Constitue*, inquit P. Ferrari *T. 2. p. 387. in fovea valde profunda fœnum, in quam nemo possit nisi ex uno latere descendere. Ex alia parte foveæ emitte postea equum fame laborantem. Tunc ille velocissimus recta quidem versus foveam curret, verum ad illius oram perveniens gradum sistet, nec se in foveam præcipitem dabit, quantumvis etiam calcaria adhibeas. Tum vero circumibit foveam, donec locum inveniat, per quem possit descendere.* His breviter, quantum fieri potuit, expositis, sinite, quæso, ut cum Cartesianis modo aciem congrediar, & quidem paulisper telis tantum scholasticis. Agens per naturam, ut Scholæ inquiunt, ita est comparatum, ut positis omnibus prærequisitis ad agendum agat: his sublatis, cesset ab actione: iisdem iterum positis, eamdem denuo eliciat actionem: his vero ex parte mutatis, mutet & illud actionem ex parte. Atqui bruta sic agunt, ut his mutatis, actiones suas non mutent &c. igitur bruta nequeunt agere per naturam, seu quod in idem recidit, nequeunt esse mera automata materialia. Minoris veritatem dilucide ostendunt experimenta nuperrime allata; etenim 1. eodem posito limace in apum alveari, aculeis illæ utuntur: eodem vero ibidem permanente, iisdem non amplius illum invadunt, sed ceris ejus cochleam incrustant. Hyrundines ad præsentiam ejusdem objecti modo alis debaccantur, luto deinde ipsum circumvallant. Panis 1. 2. 3. & 4. vice canem attrhait: 5. vero nequaquam: lapis itidem 1. canis machinæ motum impertitur, in eadem deinde machina nullum motum producit. Interdum fœnum non diversos tantum, sed & contrarios motus efficit in equo; iisdem igitur &c. Concludamus itaque verbis sæpe citati *de Polignac v. 355.*

.... quos edit bellua motus,
Non veniunt a principiis extrinsecus haustis
Organa ad hos usus fabrefacta moventibus, ut cum
Altus habet nautas nocturno tempore somnus,

Vi

Vi sola regitur ventorum structa carina,
Nimirum prout hos in vela parata receptat:
Sed velut in nobis e principio intus agente,
Ut cum pervigilat Rector, nautæque laborant,
Et varie flectunt, prout imperat ipse, carinam.

1560. *Scholion.* Merito nobis videmur abstinere ab aliis probationibus in Cartesianos afferendis, quas fuse exponunt quotquot cognitionem in brutis nituntur ostendere. Prima desumitur ex organorum brutalium analogia cum sensoriis organis hominum. Verum huic argumento satis optime facit P. Fortunatus *loco supra citato*, utpote minime demonstrativo. Secundam, quam eruditus affert Magalottus *epistola* 11. nihili, aut saltem parvi nos facimus, licet utantur illa omnes modo recensiti Philosophi; hæc enim deducitur tantum ab amore, quo belluas prosequimur: at in primis cum hujusmodi amore in omnes æque bestias non feramur, ut experientia patet, sequeretur, quasdam esse cognitione destitutas: possunt deinde optime, meo quidem judicio, Cartesiani reponere, ex præjudicata opinione hanc dilectionem oriri, qua credimus bruta vivere, & anima quadam sentiente esse donata, non secus ac pueros conspicimus vehementius forsan in pusiones fictos, quam in proprios parentes amore ferri. Quapropter iis, quæ retulimus, contenti ad Adversarios audiendos gradum modo faciamus. Animadvertite tamen, minime nos ea esse tradituros, quæ ex Cartesianis quidam fuse exponunt, ut aliquam venditent nobis ideam illius mechanismi, quo brutorum peraguntur actiones; saniores enim Cartesiani, quos inter P. Fortunatus a Brixia, optime cognoscunt, non posse se consequi ullam claram, distinctamque ideam illius impossibilis assumpti. Quapropter

1561. Ob. 1. Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora: atqui poterat Deus ita machinas quasdam construere, ut omnes referrent brutorum operationes; ergo ita revera fecit. Minor ex eo patet, quod

quod limites potentiæ Divinæ nequeant constitui.

1562. Resp. transeat maj. & neg. min. ad ejus prob. dicimus, certis, statisque finibus non coarctari a nobis Divinam potentiam, dum contendimus, non posse Deum, quod impossibile est, efficere: probavimus autem, non posse machinam eas præstare, quæ in brutis conspiciuntur, actiones; ergo licet vellemus concedere, verum esse generaliter sumptum principium illud, de quo tamen Physici disputant, non sequitur, mera automata posse bruta existimari.

1563. Inst. Atqui merum automa materiale potest eas brutorum producere actiones; ergo &c. prob. subs. Plura in nobis fiunt per simplicem duntaxat mechanismum, quæ tamen totam rationis consulationem, & deliberationem præseferre videntur; ut enim inquit *loc. sæpius cit.* Polignachius v. 788.

Rusticus, urbanus pariter, juvenisque, senexque,
Sicubi per saxosa via, aut per lubrica nutant,
Persensere sibi nondum vestigia falli,
Corpora cum subito librant, crus, brachia tendunt
Ignari, quid agant, & cur, aut quid sit agendum:
Porrectis tamen hi firmant se vectibus, artem
Mechanicam gestu, non cognitione professi.
In teneros etiam improvisum siquid ocellos
Involet, en refugit caput, it manus ante, periclum
Avertens animus, quod sensit, opemve ferendam:
Sic & palpebras aperire, & claudere pronum est:
Sic inopinantes interdum verba ciemus,
Seu vigiles aliquid meditamur, seu quoque noctu,
Dum sopor altus habet. Ne multa insomnia dicam,
Queis permissa sibi, & tamquam rectore sepulto,
Utque per insanos agitatur machina pulsus,
Ambulat, exercet certamina, flumina tranat,
Tamquam animi vacua, & menti subducta magistræ,
Flumina, quæ tranare vigil mens ipsa vetaret,
Aut artem ignorans, aut capta horrore pericli.

Si

Si igitur operationes istæ, quæ videntur quidem cognitionem præseferre, tamen sine consilio mentis peraguntur, eccur non poterunt solo instructæ mechanismo easdem belluæ præstare?

1564. Resp. Falsum in primis est, hasce omnes operationes fieri sine interventu saltem mediato cognitionis. Prætermittimus modo, non solum nostræ inesse animæ vim cognoscendi, & ratiocinandi, sed & vim corpus ipsum movendi: ac per consequens, quod certum est, omittimus, omnes scilicet corporeas motiones ab anima ipsa in nos derivare. Liceat tantum animadvertere, nos sine mentis consultatione ea tantum peragere, quæ mens eadem prius inspexit: hinc motus omnes illos mechanicos, vel in imminenti lapsus periculo, vel in somniis, vel alio quocumque in statu non ederemus, nisi prius ad discrimen vitæ animum contulissemus, vel ea, quæ in somniis proferimus, antea mente nostra didicissemus. Hoc autem ex eo manifeste apparet, quod ea omnia ita eximie non peraguntur a pueris, in quibus parva admodum est mentis cognitio. Verum hoc etiam dato, operationes scilicet illas oriri omnes a mechanismo, nulla interveniente animæ saltem mediata operatione, tantum possent Cartesiani inferre, aliquas belluarum actiones ab automate confici materiali, non vero omnes; adsunt enim nonnullæ superius a nobis recensitæ, quæ soli machinæ nequeunt convenire.

1565. Inst. contra 2. hanc responsionem. Idem corpus per solum fluxum rerum sensibilium modo attrahitur, modo repellitur ab eadem magnete: imo corpus unumquodque hac attractrice, & repulsiva vi respectu etiam ejusdem objecti, ut ostendit Newtonus, donatur; ergo poterit quoque eadem canis machina modo attrahi, modo autem a pane repelli; igitur spontaneæ etiam operationes poterunt &c.

1566. Resp. Dispar omnino est ratio de belluinis operationibus, ac de vi illa magnetica; certum enim est quidem, idem corpus ab eodem objecto modo attrahi, modo repelli: hoc tamen vel nunquam contingit, nisi mu-

mutetur distantia, vel certe nonnisi constantissime evenit, ita ut, si centies eadem instituatur observatio, centies pariter idem effectus habeatur: quod profecto argumento evidentissimo est, ferrum amoris stimulo, aut furandi animo in magnetem non ferri, sed tantum propter vim aliquam materialem, quemadmodum si corpus ligneum in vortice fluminis constituatur, secundum diversam ejusdem corporis positionem vel attrahetur, vel pelletur a centro: quod idem dicendum occurrit de atmosphæra magnetis. Rem vero omnino dissimilem, imo contrariam in brutis conspicimus; posito enim eodem cane, eodemque pane, loco etiam non mutato, modo canis attrahitur a pane, modo vero repellitur: quod in corporibus, in caussis scilicet materialibus nequit evenire.

1567. Inst. Quod evenit in corporibus inorganicis mutata objecti distantia, idem poterit contingere in brutis mutatis corporeis affectionibus; ergo operationes illæ, quæ spontaneæ videntur, a simplici mechanismo poterunt derivare.

1568. Resp. Aut affectiones illæ brutales oriuntur a diversitate objecti, aut ab automate ipso. Si a diversitate objecti; ergo lapis primum cani ostensus debetet statim mutationem illam in canis corpus inducere, & canem repellere: si vero hæ proficiscantur ab eodem canis automate, aut datur harmonia illa præstabilita Leybnitianorum, qua Deus decreverit, ut posito lapide, a lapide retrahatur, vel pòsita ea nova canis affectione, non panis, sed saxum sit ipsi objiciendum: vel casu tantum hujusmodi motus coincidunt. Neque primum, neque secundum puto Adversarios asserere; primo enim posito, jam non amplius per verum mechanismum relativum objecta inter, & automata brutorum, sicuti contendit Cartesius, omnia evenirent: 2. vero posito, casus purus iterum in Scholas inveheretur; ergo &c.

1569. Inst. Possunt homines tales machinas construere, quæ plures referant actiones belluarum, & etiam hominum; ergo potest Deus talia efformare automata, quæ easdem præbeant brutorum motiones, ac illas, quæ no-

nobis spontaneæ videntur. Prob. antec. *Conspicitur*, inquit P. Regnault Tom. 3. Phys. p. 110. *in diario Sapientum equus artificialis valens quotidie in via plana percurrere septem, vel octo leucas: & ferrea statua a captivo excogitata, quæ e carcere egressa, per plures tortuosas semitas perrexit ad pedes Marocani Regis supplicem exhibens libellum, & ad carcerem rediit.* Cæteris prætermissis, quæ apud eumdem Fortunatum a Brixia, Ferrari, cæterosque inveniri poterunt, probemus modo consequentiam: major est proportio inter machinas recensitas, & belluas, ac sit inter potentiam hominum, & Dei; atqui illas homines efficere potuerunt; ergo potuit etiam Deus istas construere. Optime igitur ad rem nostram Polignachius *loco citato*

Quod si autem potuere homines caligine mersi,
Qui per cancellos obscure, nec nisi rerum
Extima percipiunt, magnisque laboribus ægre,
Ac multo coguntur opus sudore pacisci,
Materiamque renitentem, & parere negantem
Contrectare diu, perque organa multa domare,
Induat ut varias tandem subacta figuras:
Cur tandem haud valuit mundi Pater, atque hominum
Rex &c.

1570. Resp. Magno quidem verborum apparatu hæc a Cartesianis proponuntur, sed nihil aliud evincunt, quam propriam mentem innumeris esse obsitam præjudiciis; in primis enim argumentum æque urgeri potest, ut ostendat, cæteros quoque homines meras esse machinas, sicuti in probatione demonstravimus. Quapropter concesso antecedenti, consequentiam pernegamus, & ad ejus probationem dicimus, quod major illa proportio &c. ostendit tantum, potuisse, & posse Deum machinas, non dicam perfectas, sed & perfectissimas condere: non vero probat, posse Deum, quæ sunt impossibilia, efficere, quod eveniret, si materiales machinas construeret, quæ materiales quidem essent, at operarentur simul

contra proprietates essentiales materiæ, quas inter præcipuum obtinet locum inertia. Demonstratio autem hoc ostendit præstitisse Deum, si bruta mera essent automata; ergo &c.

1571. *Scholion.* Argumenta modo non afferimus, quæ contra sententiam in brutis cognitionem asserentem proferri solent; licet enim vellemus concedere, bruta non cogitare, tamen possemus cum Eminentissimo de Polignac *l. 6.* & Equite Ludovico Barbieri defendere, motus omnes belluarum ab ipso Deo immediate provenire. Quapropter contra sequentes propositiones ea reservamus.

1572. *Corollarium.* Aliqua ergo reperitur in brutis anima, quæ motus illos, aut saltem ex illis plures spontanee producat. Ut enim constat ex n. 1527. aut bruta sunt automata, aut aliqua donantur anima: non primum per n. 1553.; ergo secundum.

1573. PROPOSITIO II.

Anima, quæ in belluis debet admitti, nequit esse materialis.

1574. PRob. Ideo quoddam belluas animans principium est a nobis agnoscendum, quia tales sunt ipsarum operationes, quales provenire nequeunt a mero automate, seu, quod idem est, a materia inerti. Atqui pura, & mera automata essent belluæ, si materiali tantum anima donarentur; ergo &c. Prob. min. Purum illud dicitur automa, in quo nullum adinvenitur cognoscens principium, quod ejus imperet operationes: at belluæ cognoscere non possent, si a materiali informarentur principio; materia enim nequit cogitare (n. 1113.); igitur &c.

PRO-

1575. PROPOSITIO III.

Anima brutorum est spiritualis.

1575. PRob. Datur in brutis principium aliquod eorum animans actiones (n. 1553.): hoc autem non est materiale (n. 1573.); ergo debet esse spirituale (n. 1109.)

1577. Ob. 1. cum P. Fortunio a Brixia. Si anima brutorum esset spiritualis, esset quoque immortalis; sicuti enim demonstravimus (n. 1157.), ideo anima rationis est natura sua immortalis, quia est substantia incorporea. At hoc repugnat; ut enim inquit Antonius le Grand *Dissert. de carent. sensus, & cognit. in brutis*: *si æternæ sunt bestiarum animæ, & immortalitate donantur, quæ erit inter homines, & cætera animantia distinctio? .... Ubi animæ illæ degunt, quæ ab orbe condito extitere? Quibus in locis reconduntur? An iis peculiares campi elisei assignati sunt, in quibus vagentur, & excurrant?* ergo &c.

1578. Resp. miramur certe, tantum dignitatis, & honoris Adversarios proprio conferre systemati, ut nisi illud sequamur, nutet omnino necesse sit immortalitas animæ nostræ: nutaret potius, imo corrueret, si soli brutorum mechanismo illa inniteretur; cum enim ridiculus hic sit, & illa cachinnis foret excipienda; alio igitur se vertant, oportet, ut animæ rationalis ostendant immortalitatem. Duplex distincta semper fuit a Philosophis naturæ spiritualis æternitas, una, quæ dicitur intrinseca, altera, quæ extrinseca nuncupatur. Prima in eo sita est, quod principium illud immortale appellatum neque partes, neque principia agnoscat, in quæ possit resolvi. Secunda vero in hoc constituitur, quod velit conditor, & conservator Deus existentiam semper enti spirituali conservare (n. 1150.). Ut igitur aliquid æternum vivat, non sufficit, ex nihilo ipsum constare, quod possit ad corruptionem aliquando tandem protendere, sed requiritur insuper, quod illi conservet Deus & exi-

existentiam, & operandi vires; si enim primum sufficeret, ergo rueret prorsus dogma illud non Catholicorum tantum, sed & omnium Philosophorum de necessitate concursus Divini ad creaturarum conservationem. Anima itaque brutornm simplex aliquod est ens omni carens concretione corporea, in quo nihil duplex, nihil mixtum reperitur, non secus ac in anima hominis. Quænam igitur est ex hoc elicienda conclusio? scilicet ista; ergo anima brutorum, non secus ac anima hominis est immortalis intrinsece, nihil videlicet continet, nihil etiam reperitur extrinsecus, quod illi queat naturæ viribus letum afferre: at sufficit istud, ut demonstretur, semper & in æternum duratura? Minime certe, requiritur insuper, quod libera Creatoris voluntas nobis patefiat; sicuti enim ad illum pertinet eam conservare, ita & ejus est ipsam destruere. At nunquam legimus, velle Deum in ævum usque belluarum animis existentiam continuare, neque ulla est ratio, quæ ad hoc asserendum nos cogat. Confidenter igitur tueri possumus, animas belluarum esse aliquando defecturas.

1579. Inst. P. Fortunatus. Igitur nulla amplius ratione, & quidem naturali demonstrari poterit animæ rationalis immortalitas. Ergo causa excident Philosophi Catholici, qui contra Epicureos cum Tullio *l.* 1. *Tusc. c.* 29. ex quo nihil sit in animis mixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex, semper evicerunt, eos nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrhai posse: uno verbo, eas esse immortales. Frustraneum ergo erit Sacrosancti Concilii Lateranensis V. decretum, quo *omnibus, & singulis Philosophis in Universitatibus studiorum generatim, & alibi publice legentibus præcipiendo mandavit, ut cum Philosophorum principia, aut conclusiones, quibus a recta fide deviare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explanaverint, quale hoc est de animæ immortalitate . . . . . teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere: ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta, cum*

om-

omnino subtilia existant, pro viribus excludere, atque resolvere.

1580. Resp. nihil profecto minus potest ex hisce omnibus concludi, quam quod Adversarius contendit; adsunt enim argumenta, quibus, *si non protervo, & repugnanti, saltem docili, & ad disciplinæ leges bene composito*, ut inquit Melchior Canus, possit veritas immortalitatis nostræ demonstrari. Et sane ex generali omnium hominum consensu, quibus veluti animo insculptum est, & quasi innatum, quemdam adesse statum, in quo & benefactis præmia, & criminibus supplicia rependantur, non leve desumitur hujus veritatis argumentum. Quapropter Tullius, licet argumento illo ex simplicitate animæ deducto ostendere immortalitatem animæ conetur, non ipsi tamen uni innititur, sed ex eo, quod *illud unum*, ut loquitur *Tusc. QQ. l.* 1. §. 12. *n.* 27. *priscis erat inditum, neque excessu vitæ hominem deleri, ut funditus interiret*, optime concludit, *quod si omnium consensus naturæ vox est, & omnes, qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est.* Vehemens deinde in nobis perpetuæ felicitatis desiderium experimur, quod nonnisi a natura proficisci, seu, quod idem est, ab ipso Deo manifeste deprehenditur, ita ut, si homines universi, ut Augustinus inquit, possent interrogari, utrum beati esse vellent, sine ulla dubitatione, velle responderent. At quod a Deo proficiscitur, frustraneum esse nequit: si autem dissoluto corpore & anima quoque foret annihilanda, ad quid cupiditatem istam nobis Deus contulisset, numquid ut miseri in hac vita semper essemus? ita sane; *qui enim*, inquit Tullius *l.* 2. *de finibus n.* 86. *qui enim diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando amissis istis sit miser*. Hoc autem a summa Dei bonitate abhorret. Immortalitas igitur animæ nostræ & suaderi, & persuaderi optime potest, etiamsi nolimus ad Revelationem recta confugere, ex eo duntaxat, quod hominis natura non sit ad usus tantum temporalium, & corporalium rerum coarctata, sed ita ordinata, ut per temporalia, & sensibi-

sibilia etiam ad spiritualia, & intelligibilia pertingat; quæ beatam spiritualem faciunt naturam. At quænam sunt argumenta, quæ aliquo imbecilli etiam modo valeant ostendere, velle Deum in perpetuum usque brutorum animas servare? Si Pythagoricos, nonnullosque alios excipias delirantes Philosophos, nemo umquam somniavit hanc bellulini animi immortalitatem. Nullum in ipsis conspicitur æternæ illius vitæ vel desiderium, vel idea: nulla potest in ipsis demonstrari abstractorum cognitio; nihil denique pro ipsis militat, quod probabiliter æternam ostendat eorum durationem. Ergo patet manifestissime, quod valemus optime rationalis animæ immortalitatem demonstrare, licet in brutis principium supponamus spirituale, defectibile tamen, & caducum, non quidem ex natura sui, sed propter liberam creatoris Dei voluntatem. Quapropter cum tot adsint argumenta pro animorum rationalium immortali vita demonstranda, merito in Concilio Lateranensi cautum est, ut Philosophicæ scientiæ Professores pro viribus hanc veritatem ostenderent.

1581. *Schol.* Siquis paucis vellet hoc Cartesianorum argumentum enervare, posset cum Eminentissimo de Polignac *l. 6. v. 537.* respondere,

Sed si Pythagoram sequerer, vel Gymnosophistas,
Atque ferarum animos aboleri morte negarem,
Et nova perpetuo nascentum in corpora ferri,
Aut asservari vellem, dum prisca resumant:
Dic, oro, qui me falsi convicere posses?
Quo te argumento, Quinti, natura juvaret?
Hæreres, ut in hoc puncto Lucretius hæsit.

1582. Inst. 2. Atqui si anima brutorum esset spiritualis, esset pariter immortalis; ergo &c. prob. subsum. Si anima brutorum esset spiritualis, non differret essentialiter ab anima hominis: atqui quæ non differunt essentialiter, eumdem sortiuntur statum; ergo &c. prob. maj. Spiritus cognoscens esset anima hominis: spiritus cognoscens esset anima brutorum; ergo &c.

1583. Resp.

1583. Resp. neg. subsum. ad prob, neg. maj. ad ejus prob. dist. antec. *& diversis essent limitibus circumscripti*, conc. *secus*. neg. antec. & conseq. Mirari certe solemus, cur Physici omnes materiales inter substantias species fere innumeras constituant, ita ut una sit altera vel perfectior, vel aliquo modo imperfectior, & nolint deinde Metaphysici quamplures innumeras, ut ita dicam, spirituum species agnoscere, qui ab homine usque ad accarum descendendo magis, magisque sint imperfecti; eccur enim mundum materialem innumeræ adornent species, non vero mundum intelligibilem? Et sane universa Thomistica Schola si audiatur, tot in Angelis propugnat diversas species, quot sunt individua; eccur igitur innumeræ ferme spirituum species infra humanam non existent?

1584. Per nos igitur est anima brutorum spiritualis, non secus ac humana, at non est æque ac humana cognoscitiva; *hominem enim inter, ac belluam*, optime ajebat Cicero *l. 1. de Off. c. 4. hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque præsens est, se accommodat: homo autem qui, quoniam rationis est particeps, conscientia cernit, principia, & causas rerum videt &c. eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationem, & vitæ societatem*. Anima itaque hominis, quia non solum sensibilia percipit, verum & ad insensibilia consurgit, a rebus materialibus abstrahit, earum ideas immutat, dividit, extendit, & comparat, in quibus origo, & fundamentum ratiocinationis perfectæ reperitur, essentialiter a belluarum anima differt, quæ nonnisi sensibilium gaudet perceptione, nonnisi sensibilia appetit, & in his veluti mortua torpescit.

1585. Inst. 3. ex P. Fortunato. Si hoc verum foret, a brutis differret homo secundum magis, & minus: atqui magis, & minus non variant speciem; ergo &c.

1586. Resp. dist. min. *in corporibus*, transeat min. *in spiritibus*, subdist. *si diversa non sit essentialiter objectorum, quæ percipi possunt, sphæra*, conc. *secus*, nego.

Miramur in primis, quomodo P. Fortunatus recentiorum dogmatum optime meritus ab ipsis modo discedat, quorum commune est adagium, magis, & minus non inter Spiritus tantum, verum & inter corpora essentiale inducere, & evidens discrimen; corpora enim, licet per Recentiores non differant substantialiter, quippe quæ ex eadem substantia sunt, homogenea scilicet in omnibus materia, differunt tamen essentialiter, diversitate orta a mechanicis affectionibus: quæ propterea diversitas dici potest secundum magis, & minus. At hoc etiam concesso, essentiale scilicet corporum discrimen ad magis, & minus reduci non posse, idem ne erit asserendum de spiritibus? Non ita sane, ut arbitror; spiritus enim differre non possunt essentialiter propter diversam substantiæ essentiam, sicuti & propter substantiæ materialis essentiam non differunt diversæ corporeorum species: nec differre queunt ob aliquam mechanicam partium substantialium modificationem, quippe qui partibus quibuscumque destituuntur. Eorum igitur essentiale discrimen duntaxat a diversa essentialiter objectorum sphæra, in quæ tendere possunt, erit derivandum. Et ne ad libitum conficta videatur hæc doctrina, audiendus est Angelicus Doctor, qui rem omnem angelico more suo absolvit. Inquit itaque 1. *part. q.* 50. *art.* 4. *Magis, & minus, secundum quod causantur a formis diversorum graduum, diversificant speciem, & hoc modo Angeli diversificantur secundum magis, & minus*: eodemque articulo hæc habet: *differunt specie animalia irrationabilia secundum diversos gradus determinatos naturæ sensitivæ: & similiter omnes Angeli differunt specie secundum diversos gradus naturæ intellectivæ*. At diversi per nos sunt gradus naturæ intellectivæ, & sensitivæ in hominibus, & belluis, ut diximus; semper igitur essentiale reperitur discrimen inter animam humanam, & belluinam, licet utraque sit ex æquo spiritualis.

1587. Inst. 4. Si anima bellurarum foret spiritualis, abstracta etiam, & insensibilia posset percipere: quod multiplici ostenditur ratione. Primo itaque objicit Bay-

lius.

lius. Certum est, bruta super suas operationes reflectere; si enim cognoscunt objecta externa, eccur non cognoscent se cognoscere? Nisi hoc concedas, anima ergo canis avem volare videbit, quin videat se videre, quod perridiculum est: imo vero cum multo difficilius sit videre arborem, quam agnoscere actum, quo arbor conspicitur, jam si anima brutorum distinguit infinita pene objecta extra se posita, multo magis cognoscet proprias perceptiones, easque comparabit, multiplicabit, & abstrahet, cum idea universalis sit perceptio pluribus similibus communis.

1588. Secundo objicit Cl. alter Vir. Unaquæque facultas in objectum fertur, cum quo habet naturæ similitudinem: & ideo omnes facultates corporeæ, cujusmodi sunt instrumenta sentiendi, tendunt in objecta corporea; ergo quævis facultas spiritualis tendet in objecta spiritualia. Animadvertit 2. quod anima belluarum libera esset dicenda, si ideo spiritualis dicatur, quia ex ejus operationibus hoc manifeste deducitur; utrumque enim in illis esse, eadem argumenta demonstrant. Certe dum canis extraneo adlatrat, eidemque postea domestico blanditur: dum matres patiuntur catulos lac exprimentes, & ipsis alias irascuntur: dum feræ homini quandoque obediunt, quandoque ipsum dilaniant, videntur ea omnia signa edere libertatis, quæ eduntur ab homine. Si ergo est libera, ideas debet habere generales boni, & mali, honestatis, & pravitatis. Observat 3. quod ex operationibus belluarum æque concluditur, ipsas cognoscere, ac perfecti ratiocinii esse capaces; notum enim est hoc de apibus, de formicis, de scarabæis, de canibus, quod tempori futuro prospiciunt, mel, triticum, stercora, & ossa congerendo. Atqui prospicere futuris necessitatibus ejus est, qui ideam futuri temporis generalem habet, quique futuram inopiam, ciborumque utilitatem generatim cognoscit: has igitur abstractas ideas, quæ cum ratione perfecta necessario junguntur, habebunt bruta. Quid enim? An providentiam, & præsensionem futurarum necessitatum experimentis compararunt? Quid cum prima

vice futuris temporibus consulunt? An hæc addiscunt disciplina, & institutione majorum? Sedilla, quæ primum a Deo creata sunt, a quibusnam didicerunt?

1589. Accedit, belluas quærere, atque internoscere antidota, quod & nobis perspicuum est, & innotuit etiam Veteribus. At medicinas neque experimentis, neque institutione majorum cognoscunt; cognoscent igitur per ideas universales, quæ cum ratione nectantur. Postremo si canis cujuspiam dominus catulo extraneo blandiatur, canis catulo vehementer irascitur, si servus, vel quipiam familiaris minetur hero, aut ipsum cædat, vel cædere simulet, mirum quantum canis rabie excandescat, quibusque latratibus, ac morsibus in aggressorem domini sui feratur. Hæc velim modo non commentitiis hypothesibus, neque involutis opinionum fabulis, sed satis vere, ac dilucide sine ratione perfecta exponantur. Quid enim est aliud invidia, & zelotypia laborare, quam boni, & mali generales ideas habere? si illud primum, & cur hoc postremum non est?

1590. Insurgit tandem P. Fortunatus. Impotentia attingendi objecta spiritualia vel est intrinseca animæ belluarum; vel extrinseca? Si extrinseca, ortum nempe ducens a voluntate Dei; ergo anima belluarum non amplius essentialiter differt ab anima humana, cum sola accedente Divina voluntate utraque tunc queat ex æquo ad rerum spiritualium notitiam pervenire: si vero est intrinseca; ergo perperam ii argumentantur, qui ajunt, ideo animam rationalem posse attingere entia immaterialia, quia est spiritualis.

1591. Resp. Fatemur quidem, & ingenue quidem fatemur, non posse hæc omnia facillime a nobis ita explicari, ut quæ contradictionem videntur involvere, solvamus, nec simul in ridiculas, & a recta philosophandi methodo assertiones aberrantes ruamus, ac tandem tueamur quoque nostram de spirituali brutorum anima sententiam; cum enim nobis impervia fere omnino sit spiritus etiam finiti essentia, non ita fidenter, quæ ad ipsum pertinent, quæ vero ab ipso abhorrent, valemus determinare. Ne ta-

tamen exinde vim sumant Cartesiani, eamdem & pro chimeris suis responsionem usurpando, dicimus.

1592. Ad 1. incertum omnino est, utrum bruta reflectant eo reflexionis genere, quod perfectum dicitur, quod nempe exigit, non solum ut præteritorum reminiscamur, sed etiam sciamus actu, & animadvertamus, ad priorem ideam animum nos convertisse: imo si meam mihi liceat opinionem proferre, firmiter teneo, hoc reflexionis genere esse bruta destituta: ex hoc autem non licet inferre, eadem anima spirituali non esse donata; certum est enim, infantes & spirituali anima gaudere & tamen proprie dicta reflexione, & meditatione carere, licet materialia sentiant objecta. Sicut igitur infantes materialia percipiunt, nec tamen meditantur, reflectunt, abstrahunt, & ratiocinantur vel propter cerebri mollitiem, vel propter defectum præcedentium idearum, vel aliis quibuscumque de causis, ita bruta sentiunt quidem, & si velimus, sciunt etiam se sentire, nec tamen vere, & proprie reflectunt, non abstrahunt, non comparationem instituunt idearum perfectam, non denique quid agunt, quod objecti materialis limites prætergrediatur. Hoc vero in ipsis oritur a propria essentia hisce finibus coarctata.

1593. Ad 2. Tendit quidem unaquæque facultas in objecta, cum quibus proportionem habet, at hæc proportio, ut Scholæ loqui amant, non sufficit, quod sit tantum entitativa, quæ videlicet constituitur in prædicatorum similitudine, sed requiritur insuper proportio illa, quæ objectiva nuncupatur, quæ scilicet exigit, ut tanta sit facultatis potentia, quanta necessaria est ad attingendum objectum: sic ex. gr. licet inter hominem, & hominem proportio reperiatur entitativa, non tamen potest alterius hominis secreta cordis homo rimare, quia ad hoc destituitur potentia objectiva. Cum igitur hæc desumenda sit a fine, propter quem unaquæque res est creata, anima autem belluarum creata sit ad usus tantum temporales, patet &c.

1594. Urget tamen. Facultas spiritualis habet pro-

portionem naturalem cum objecto spirituali; naturæ igitur legibus conveniens est, eamdem ferri in objecta spiritualia; naturæ igitur legibus contrarium est, eamdem non ferri in ejusmodi objecta: Auctor autem naturæ non adversatur legibus naturæ; non igitur fecit animam spiritualem, quæ cognosceret solum corporea, & individua.

1595. Resp. Miror profecto, quomodo peracutus homo non viderit extemplo proprii argumenti solutionem, licet non dissimulaverit, quam n. 1593. tradidimus. Omnia itaque paucis. Dist. antec. *Si per proportionem naturalem eam, quæ dicitur entitativa, intelligat*, conc. *si objectivam*, subdist. *qualibet, belluina etiam non excepta*, neg. *præter belluinam quæcumque*, transeat.

1596. Ad 2. Dum belluas cognoscentes statuimus, non statim defendimus, eas quædam esse entia materiæ legibus non subjecta. Cognitionem pro spontaneis operationibus necessariam tuemur, pro mechanicis nequaquam; quid ergo mirum, si absque ulla libertate aliquando respectu ejusdem objecti uno modo operentur, aliquando autem diversimode se gerant? Nonne & nos non semper respectu ejusdem objecti æque afficimur? Aliquando subirascimur, non raro blandimur, sequentes ferme semper vel animi, vel corporis constitutionem. Non ob id tamen liberi sumus, sed tales dicimur, quia cum affectiones corporis, & impressiones sensuum sequimur, cognoscimus, posse etiam non sequi, quod a brutis alienum prorsus est. Quapropter dum canis primum extraneo adlatrat, postea domestico blanditur, cum id numquam efficiat, nisi iteratis vicibus idem objectum conspexerit, patet, tunc sequi potius necessario sensuum impressiones. Matres etiam dum non raro catulos lac sugentes patiuntur, iisdem vero alias subirascuntur, forsan corporis intimam constitutionem necessario sequuntur, aut in mammis morbo quodam laborant non secus etiam, ac fœminæ hominum. Idem dicite de alio ferarum exemplo, in quo nullum oportet agnoscamus libertatis signum nullam boni, vel mali generalem notionem.

1597. Ad 3. Arbitror, hæc omnia fieri a recensitis ani-

animantibus, quin ullo pacto tempori futuro prospiciant; sed cum eorum species conservari sine illo ciborum delectu non possent, D. O. M. vel quasdam ideas eorum mentibus a nativitate insculpsit, quibus statis temporibus in ea objecta necessario raperentur, vel ita eorumdem corporum ordinavit mechanismum, ut ab iis objectis ita allicierentur, ut sic deberent operari. Neque tamen hic aut hypotheses nostris thesibus contrarias unquam suspicati fueritis, aut purum brutorum mechanismum; si enim ideas quasdam ingenitas nidificandi ex. gr. mellificandi in belluis agnoverimus, habemus evidentissimas, quibus id efficiamus, rationes; cum enim neque sensuum ministerio, neque institutione majorum hæc potuerint addiscere, ingenita dicamus oportet: vel si ad mechanismum confugiamus, id efficimus in iis operationibus, quæ constantissime in omnibus, statis duntaxat temporibus, & invariabiles omnino deprehenduntur: in quibus equidem non tam in belluis, quam in hominibus etiam mechanismum agnoscimus.

1598. Tandem ad ultimum. Impotentiam attingendi objecta spiritualia dicimus esse brutis intrinsecam; ergo, concludit P. Fortunatus, perperam ii se gerunt, qui animam humanam ideo ajunt, posse attingere objecta spiritualia, quia spiritualis est. Distinguo cons. *qui ex hoc tantum fonte hanc potentiam derivant*, conc. *secus*, neg. Ens quodlibet nisi sit spirituale, impotens omnino est percipiendis objectis quibuscumque, ut vidimus n. 1113. optime igitur ii se gerunt, qui ex demonstrata animorum nostrorum spiritualitate inferunt, non esse ullam contradictionem, quod percipiamus objecta spiritualia: sed simul ut ostendant, præter hanc potentiam desumptam a natura spiritus, revera aliam adesse in ipsa nostri animi constitutione, sumere necessario debent principium aliud, ex quo proprium assertum demonstrent, scilicet, si nostrum operandi modum intueamur, conspiciemus statim, nos non esse ad sola sensibilia determinatos, sed vim potius animam a corpore, cui copulatur, pati, dum volens intime in objectorum penetrare naturam se

sen-

sentit veluti quibusdam laqueis impeditam, vinctam, & irretitam, quod adnotavimus n. 1114. Ex hoc igitur, & ex demonstrata simul animæ nostræ natura spirituali optime inferimus, quod nobis potentia insit etiam super sensibilia assurgendi, ad cognitionem nempe spiritualium. Quod siquis ostendendo tantum suæ animæ spiritualitatem, vellet inde concludere, quod possimus, quæ sensus fugiunt, contemplari, concedimus libenter, quod hic perperam se gereret, sicuti pessime argumentaretur, qui ostendens & Cherubim, & Seraphim, & animam nostram spiritus esse, concluderet: omnes igitur a natura habent, ut possint ex æquo Deum contemplari, & cognoscere.

Schol. Hucusque ea iterum typis consignata sunt, quæ in priori harum institutionum editione publici facta fuerunt juris: nunc præsenti disputationi nonnulla, licet pauca, videntur addenda, non ut veritati, quam defendimus, sed nostro nomini satis superque consulatur. Statim ac nostra hæc opinio de spirituali brutorum anima fuit evulgata, nonnulli Peripatetica forsan Philosophia nimium, quam par erat, capti atque distenti, quorum nominibus parco, in vulgus cæperunt disseminare, mille ex hac sententia non dogmatibus Philosophicis, sed SS. nostræ Religioni imminere pericula; si enim, inquiebant, materialis non amplius asseratur Brutorum anima, quodnam discrimen inter hominem, & belluam poterit adhuc superesse? Nonne jure, ac merito triumphabit Helvetius hominem cum bestia confundens (n. 1112.) exteriori tantum excepto mechanismo? Sed, quod majus est, addebant, qui fieri potest, ut solide sicut antea immortalitas nostræ animæ vindicetur, semel ac concretionis corporeæ expers principium concessum fuerit, tandem aliquando fore a Deo destruendum? Etiamsi vellemus acrioribus parcere censuris, ad minus tamen ansam Incredulis præbere hæc opinio dicenda foret. Hæc & alia plurima (quæ me aniles non captantem voculas forsan latebant) spargebantur in vulgus, & ita quidem spargebantur, ut nomini, ne dicam, fidei meæ confla-

retur

retur suspicio. At quoniam vocibus decertabatur, tacebam, enixe tantum efflagitans, ne adversarii obmurmurando, clamitando (quod fœminas, non doctos viros decet) operam luderent: siquæ potius haberent improbanda, papyro consignarent: verba non daturos homini valde indocili jurabam, præsertim cum nullo præ ipsis a bestiis affectum beneficio me conspicerem, ut pro illarum nobiliori tuenda natura vellem veritati fucum facere; quapropter ut accusandi vim atque industriam augerent, excuterent omnia, aggrederentur, oppugnarent, iterum, iterumque rogabam, at calamo, non lingua. Sed cecinimus surdis. Nos ergo pro illis aliquid scribamus; quid enim honestius, quid justius, quid imo magis necessarium, quam contra Incredulos pugnantem ostendere, se nihil cum illis neque cominus nec eminus, nec directe neque indirecte habere communis? Argumenta equidem mihi opposita non iterum confutabo: habes plene contrita a n. 1583. usque ad 1586. & a n. 1578. usque ad 1581. Ferme dolum sapit ea, quæ jam sunt enervata, quasi nova forent, iterum in scænam proferre: si sapiunt, contra responsiones insurgant. Quædam solum adnotabo de caducitate, seu defectibilitate, cui obnoxias statui (n. 1578.) brutorum animas. At in primis defecturas cum corpore sum opinatus, non ita tamen, ut tamquam thesim hanc opinionem venditarem; num. enim 1581. aliam indicavi viam, quam ii possent terere, quos nec Adversariorum thesis, nec nostra responsio delectaret. At dato, quod vere destruendas belluinas hasce animas defenderim, quid inde? Ansam præbes Incredulis. Ain' vero? Sed te mehercule puto gravioribus erratis pepercisse, ut a tardo homine facilem defensionem exprimeres. Sapis: sed audi S. Bernardum ita mecum Incredulos foventem in ea, quam ad Magistrum Gualterum de Calvomonte dedit epistola, ut ad Monachorum, non ad Incredulorum castra convolaret. ***Esto tamen: liceat tibi hæc interim adscribere nomini tuo, & gloriari in laude tua, & vocari ab hominibus Rabbi, & facere tibi nomen grande dumtaxat super terram: quid tibi post***

mor-

mortem de his omnibus, nisi sola fortasse memoria relinquetur? Et hoc quoque solummodo super terram. Scriptum quippe est: dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Quod si hic est finis omnium laborum tuorum, ut pace tua dixerim, quid habes amplius jumento? Siquidem & de tuo palefrido, cum mortuus fuerit, perhibebitur, quia bonus fuit. Simul vide, quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo, quod acceperis in vano animam tuam, & animam talem: si tamen inveniaris nihil egisse amplius de immortali & rationali spiritu tuo* (nota verba), *quam quodvis pecus de suo* (oh!), *cum brutus utique spiritus non vivat, nisi quamdiu vivificat* (Bernarde, Te audiunt Increduli), *& uno, eodemque momento & vivificare pariter desinat, & vivere.* Triumphat Helvetius. At prosequitur. *Quid, quaeso, dignum te judicabis, qui factus ad imaginem Factoris tantae in te majestatis non defendis dignitatem? ... Dum nil spirituale videlicet, aut aeternum elaboraveris, sed instar bellnini spiritus* (belluini spiritus?), *qui ut a corpore, ita cum corpore dissolvitur.* Hucusque ad rem nostram Sanctus non modo, sed doctissimus Pater, qui certe & Incredulorum causam non ignorabat, & eam fovere non desiderabat. Bernardi verba cum nostris confer n. 1578.

At nomen spiritus pluribus, possunt respondere, significationibus usurpatur. Scimus, & defendimus n. 1544. Sed S. Bernardus illud usurpat pro vera substantia cujuscumque concretionis experte, quae in hoc tantum ab anima hominis differat, quod haec rationalis sit, ad spiritualia percipienda objecta destinata, & in aevum usque duratura: illa vero ad usus tantum corporalium, & sensibilium sit coarctata, atque vivere sit cessatura eo ipso momento, quod desinet vivificare. Inania verba ne jactemus, loquatur Bernardus: & quoniam dum Auctoris testimonium aliquod est obscurum, conferendum est cum altero clariori (n. 270.), neque ullum censetur clarius eo, in quo de materia, ut inquiunt, agitur *ex professo* (n. 264.), Bernardum cum Bernardo conferamus de

quo-

quolibet veri ſpiritus genere ex profeſſo pertractante, & ita quidem, ut cujuſcumque ſpiritus ab alterius generis ſpiritu aſſignet diverſitatem. Id peragit ſermone, qui eſt 5. in Cantica. En ſermonis titulus: *De quatuor generibus ſpirituum, videlicet Dei, Angeli, hominis, & pecoris*. Solus titulus Bernardi mentem, niſi clariora adeſſent, patefaceret; non enim inter ſpirituum genera recenſet procellas, & aerem, quibus nomen ſpiritus aliquando aptatur (n. 1544.), ſed Deum, Angelos, homines, & pecora, ſcilicet ſpiritum pecoris in ordine ponit verorum ſpirituum. At præter titulum argumenta præbet clariora; poſtquam enim n. 3. dixerat, ſpiritum hominis *omnem uſum hujus temporalis ſervitutis ad quæſtum referre æternorum*, paulo poſt ſubdit: *irrationalis ſpiritus etſi corporalia* (ſcilicet corporalium ideas, ut patet ex ſequentibus) *per corpus & ipſe hauriat, numquid tamen eouſque juvatur corpore ſuo, ut per corporalia, & ſenſibilia, quæ per illud ſentit, etiam ad ſpiritualia, & intelligibilia proficiendo pertingat?* Loquitur ergo Bernardus de ea ſubſtantia ſpirituali, quæ per corpus ſenſibilia, & corporalia ſentit, ita tamen, ut ad cognitionem inſenſibilium nequeat aſſurgere. Loquitur ergo de ſpiritu intelligente, ac per conſequens de vero ſpiritu, ſi hic ſumatur pro ſubſtantia ſimplici, & cogitante. Quod quidem ex eo etiam magis abunde patet, quod diſcrimen inveſtigans inter ſpiritum humanum & belluinum adhuc corpori copulatum, non aliud præter iſtud invenit, niſi nempe, quod ille ex contemplatione viſibilium ad inviſibilia queat pertingere: hic vero in ſolis corporalibus torpeſcat. At ſi nomine *ſpiritus pecoris* materialem intellexiſſet ſubſtantiam, ſiluiſſet ne hanc præcipuam inter utrumque ſpiritum diverſitatem?

Loquens ergo S. Doctor de vero ſpiritu pecoris; jam nobiſcum opinatur, quod attinet ad naturam animæ belluinæ. Videamus & in hoc ſermone quid putet de ſorte hujus animæ poſt corporis, quod vivificat, interitum. Illud ipſum, quod ſcripſerat ad Magiſtrum Gualterum, ita ut verborum quoque eorumdem meminerit. Audi.

Audi. *Et primum quidem* (scilicet pecoris) *ita corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo utcumque possit. Simul quippe & vivificare desinit, & vivere ille spiritus, quando moritur pecus*. Et n. 3. antequam ea proferret, quæ attulimus, *at pecus quidem*, inquit, *ex debito servitutis, & ad usus tantum temporalium, corporaliumque necessitatum juvando servit: ideoque ille spiritus* (en illatio, quam nos etiam n. 1580. ex præcedentibus deduximus) *& cum tempore transit, & cum corpore deficit. Servus quippe non manet in domo in æternum*. O dictum bene! At clariora ne possunt desiderari, ut demonstretur S. Bernardum in nostram concessisse sententiam, vel potius, si mavis, tanti Doctoris nos diligentissime pressisse vestigia? Tantum autem Doctorem secutos quis suspicaretur accusandos quasi manus labentibus Incredulis admovisse-mus? Bernardus ne Incredulorum fautor?

Sed Bernardus quoniam suo tempore pestilentissimum hoc genus hominum non adeo furiose grassabatur, securius, quasi dicam, loquebatur. Sic mihi quondam a gravissimo, & sapientissimo Adversario fuit responsum. At quæso, quid est Incredulitas? Certe ad nostram Fidem relata non est nisi negatio Dogmatum Catholicorum: tempore autem Bernardi deerant ne Infideles? Utinam, sed abundabant; ergo tempore quoque Bernardi Dogmata Christiana erant ab Infidelium jaculis vindicanda; neque tam stupidus dici debet hic Doctor, ut quæ Christianorum Religioni poterant obesse, non agnosceret. Si ergo ita scripsit, aut vidit aperte opinionem propriam Incredulitati nulla arma præbere: aut nisi viderit, certe neque est suspicatus.

Miror tamen, & miror equidem, quomodo tam confidenter Incredulis hanc sententiam aliquo pacto opitulari pronuncient. Si accusationes accusationibus, & convicia possent retundi conviciis, tela in Adversarios facillime intorquerem; dato enim, ut concedunt, quod Brutorum anima cogitet, licet materialis, non video, quolibet inter cogitationes conficto discrimine, quomodo pro Helvetio Lokius potius, ejusque asseclæ non valeant

trium-

triumphare. Sed *honore*, non contumeliis docet Apostolus debere nos *invicem prævenire*.

Mihi meam fidem defendenti sat est. & quod in se, quæ asserui, ab omni errore demonstrem immunia, & quod nequeam ego accusari, quin sanctissimum, gravissimum, doctissimum mecum accusetur Ecclesiæ lumen. Ceterum siquæ habent Adversarii mei, quod mihi opponant, dummodo scripto, non voce faciant, opponant: facient, mihi credant, rem ingenio meo jucundissimam; nam nihil magis in votis habeo, quam ea ipsa, quæ certa ratione feci, si doctis viris non probentur, statim & verbo, & reipsa mutare, ut lucubratiunculas meas cum eorum laboribus conjungam; *sumo enim, ut quisque habet, quod mihi conveniat, quodque me non posse melius facere credam* (Macrobius Saturn. l. 6. c. 1.). Quod si vocibus velint adhuc me lacessire, sciant, ad fæmineas me nunquam lites accessurum, nec quæsiturum simultates; inopia enim otii plerumque laboro.

Finis Tomi primi.



I N-

INDEX

EORUM, QUÆ CONTINENTUR IN PRIMO TOMO.

 evi-

Ar-

Ar-

Lem-

Artic.

in-

Finis indicis primi Tomi.

